IN ARISTOT. LOGICAM COMMENTARIUS EXCEL.MO DUCI D. GASPARI DE...

Julian : de Castelvi y Ladron

Digitized by Google

H

Digitized by Google



8 1

K. 462.

Digitized by Google

Digitized by Google

12.
1.
D.
25.

Digitized by Google

14.2.3.6 8 3

IN ARISTOT. LOGICAM
COMMENTARIVS

EXCEL.^MO DVCI
D. GASPARI DE GVZMAN
Comiti de Oliuares, à Status
consilio, summo Stabuli Præ
fecto, regij Corporis curatori
magno Indiarum Cancellario
regiarum Arcium Hispal. Præf.
Alcantarae Max. Perceptori

AVTHOR
F. Iulianus de Carteluci et de Lodron
Carmel. SS.T.D.L. Artium M. et in
Acad. Valent. Professor Primarius
DEDICAVIT.

VALENTIÆ
Apud Ioannem Bapt. Marsal
1621

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google

APPROBATIO SAPIENTISSIMI Franciſci Paſtor ſanctæ Theologiæ Doctoris & Profeſſoris præſtantiſſimi, Valentinę Sedis Præpoſiti meritiſsimi.

EX *præſcripto perilluſtris D.D. Martini dé Funes in Valentina Diœceſi Vicarij generalis pro Illuſtriſsimo, & Reuerendiſsimo D. D. Fratre Iſidoro Aliaga meritiſsimo Archiepiſcopo, vidi, legi, & perlegi Comentariũ in Ariſtotelis Logicam, interprete P.F. Iuliano Caſtelvi & de Ladron, è ſacra Carmelitarum familia, ſacroſanctæ Theologiæ Doctore, ingenuarum Artium Magiſtro, earundemque in Valentinæ vrbis Academia publico primario Profeſſore, eumque non modo nihil cõtrarium fidei, & bonis moribus continere iudicavi, ſed etiam doctiſsimũ, & eruditiſsimũ cenſui, dignumq. perindé exiſtimo, qui in communem lucem edatur, ut omnibus Logicæ, & Philoſophiæ ſtudioſis lucem clariſſimam afferat, atque præbeat. Valentiæ, die 4. Februarij.* 1625.

Franciſcus Paſtor Theologiæ Doctor, ac Profeſſor, & Val. Sedis Præpoſitus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRO EDENDO OPERE FACVLTAS PER-illustris D.D. Martini de Funes V.I.D. percellētis, Vicarii generalis Illust. & Reverē. D.D. Fr. Isidori Aliaga, Valen. Diœceseos Archiep. dignissimi, omniumq. virtutū splendore clarescentis.

NOS Dō Martinus de Funes presb. D. D. ac pro Illust. ac Reve. D. Don fr. Isidoro Aliaga Dei & S. Apostolicę Sedis gratia Archiepis. Valent. Regioq. Consiliario, Vicarius generalis, & Officialis in præsenti ciuitat. & Diœcesi Valent. Quoniam ex commissione nostra Franciscus Pastor presbyter, Sanctę Theologiæ Doctor, Præpositus sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Valent. nimia diligentia Commētariū in Aristotelis Logicam, Interprete. P. fr. Iuliano de Castellvi Carmelitanę Religionis alumno, & in Academia Valentina publico, ac primario Professore, necnon sanctæ Theologiæ Doct. perlegit, & examinavit, & in eo aliquid fidei Catholicæ cōtrarium non inveniſſe, imo omnibus Dialecticæ Professoribus valde utilē, & necessariū fore nobis relatū fuit. Ideo tenore prę̄sentiū ut in hac ciuitate. & Diœc. Val. typus mandari possit, licentiā & facultatē concedimus, & impartimur. Dat. in Palatio Archiepis. Val. die 8. Februarij 1625.

Don Martinus de Funes Vic. gñlis.

De mandato dicti dñi Vic. gñlis.

Matthæus Calafat Not. pro Secret.

OPE-

OPERIS IVDICIVM R. P. M. FR. Cyrilli Tortosa è sacra Carmelitarũ familia divæ Theosophiæ Doctoris lectissimi.

COmmentarium in Aristotelis Logicã, Authore P. F. Iuliano Castelvi, & de Ladron Carmelitani Cœtus Alumno, Liberalium Artium Magistro, & in Valentina Academia Professore primario, & S. Theologiæ Doctore, iussu Reverendi admodum P. N. M. F. Anastasij Garcia Carmelitarum regularis observantiæ in Provincia Aragoniæ Provincialis, accurate inspexi, numeris omnibus absolutũ inveni, tanto ingenio dignum, sana, vera, & firma doctrina redundantẽ, scholasticis utilẽ, merentẽque ut in quolibet studiosorum cœtu evolvatur. In cuius fidem subscribo, die quarto Ianuarij 1624.

Fr. Cyrillus Tortosa.

APPROBATIO R.P. PRAESENTATI Fr. Petri Olginat Carmelitani, sapientissimi Artium Magistri, & in Academia Valentina primarij Professoris, necnon S. Theo. Doctoris, eiusdemq. in Carmelitano Musæo Professoris probatissimi.

IVSSV Reverendi admodum Magistri ac Patris nostri Fr. Anastasij Garcia Carmelitarum, regularis observantiæ in Provincia Aragoniæ Provinciali, debita diligentia perlegi hunc librum, cui titulus est, In Aristotelis Logicam Commentarius, nec quidquam in eo inveni, quod vel à Catholicæ veritatis tramite, vel ab honestarum actionum norma declinet: expurgatissimum sane opus, & undequaque perfectum; si eius spectemus doctrinam selectissimum, si methodum præclarissimum, si perspicuitatem, omnibus, vel etiam rudioribus, pervium, eo si bonarum Artium studiosi mediocri saltem exercitatione utantur: spero futurum, ut nec autorem ipsum suorum laborum pœniteat, nec studiosorum quisquam sua spe, aut expectatione fraudetur. Sic censeo in Valentino Carmelitarum Conventu, die 4. Ianuarij 1624.

Fr. Petrus Olginat.

PRO EDENDO OPERE FACVLtas Reuerendi admodum P. N. M. Fr. Anastasij Garcia Liberalium Artium, & S. Theologiæ Doctoris dignißimi, Carmelitani Cœtus Regularis obſervantiæ in Aragoniæ Prouincia Prouincialis meritißimi, omniumq. virtutum laurea decorati.

FRATER Anastasius Garcia Theologiæ Magiſter, & Carmelitarum in Prouincia Aragonię humilis Prior Prouincialis, &c. cum à RR. PP. Cyrillo Tortosa S. Theologiæ Magiſtro, & Petro Olginat Præſentato, (quibus hunc Commentariũ in Ariſtotelis Logicam, Authore P.F. Iuliano Caſtelvi & de Ladron, &c. diſcutiendũ commiſi) acceperim, nihil in eo reperiri orthodoxæ Fidei, probiſq. moribus diſſonum, immò eſſe opus ſtudio laboratum, doctrina perfectum, & ad inſtitutum accommodatum, atque etiã quolibet honoris titulo dignum: idcirco tenore præſentium, & authoritate noſtri officij, prædilecto nobis in Chriſto filio P.F. Iuliano Caſtelvi & de Ladron, bonarum Artium Magiſtro, & Profeſſori primario, Theolo. Doctori, facultatẽ concedimus, ut prædictum opus in lucem edere, typiſque mandare valeat. In quorum fidem præſentes fieri iuſſimus, & propria manu ſubſcripſimus, in noſtro Valentino Carmelo die 4. Ianuarij 1624.

Fr. Anastasius Garcia
Provin. Aragoniæ.

OPERIS IVDICIVM PRAESTANTISSIMI Iohannis Baptistæ Belda S. Theologię Doctoris, & Professoris eruditissimi, Valentinæ Sedis Præpositi dignissimi.

EXIMIOS hos Commentarios in Aristotelis Logicam, ex commissione perillustris Domini Don Francisci Vives, Ecclesiæ Valentinæ Canonici præstantissimi, nostræ Vniversitatis Gymnasiarchæ, & Rectoris vigilantissimi, Regij Capellani honoris, & trium gratiarum Commissarii prudentissimi, sedula, qua potui, diligentia evolvi, accurate perspexi, ac magna animi voluptate perlegi: nilque inveni à doctrina sana, bonisq. moribus alienum: imo opus indicavi perfectum ingenio, elaboratum industria, ac suo auctore dignum, in quo Aristotelis doctrina vera imago videtur expressa, mens acute, & fideliter explanata, quæstiones nostris temporibus adeo exagitatæ ita proponuntur, ita resolvuntur, ut nil neque ad ingenij acumen, neque ad doctrinæ eruditionem, neque ad perspicuitatem methodi, quæ in Doctore facilis, brevis, ac expedita esse debet, desiderari illustrius posse videatur. Dicam uno verbo, protulit Auctor de agro suo omnia poma, de thesauro nova, & vetera. Quare lucubrationes istæ, & in Logicis bene positi labores, digni sane sunt, qui publicam lucem aspiciant, Academiam nostram toto terrarum orbe florentissimam nova luce illustrent, & in communem studiosorum, ac bonarum litterarum amatorum utilitatem excudantur. Valentiæ 3. Ianuarij 1625.

Iohannes Baptista Belda Theologiæ Doctor, ac Professor, & Ecclesiæ Valentinæ Præpositus.

PRO

PROEDENDO OPERE FACVLtas perillustris D. D. Francisci Vives Valentinæ Sedis Canonici meritissimi, & Philippi IV. *Hispaniarum Monarchæ Capellani honoris, Trium gratiarum dignissimi Commissarij, & Valentinæ Academiæ Rectoris pervigilis.*

NOS Don Franciscus Vives Presbyter, Sedis Valentinæ Canonicus, Cæsareæ Maiestatis Capellanus honoris, Vniversitatisq. Rector, facultatē facimus prælo mandandi, & etiam in præsenti Vniversitate à quovis ingenuarum Artium Professore, explicandi ac edocendi hunc Commentariū in Aristotelis Logicam, Authore P. Fr. Iuliano Castelvi & de Ladron Philosophiæ Magistro, & Professore primario in hac nostra Vniversitate, & Theologiæ Doctore. Cuius discussionem Ioanni Baptistæ Belda SS. Theologiæ Doctori, & Professori, Sedisque Valentinæ Præposito commisimus: qui nihil Catholicæ doctrinæ, bonisq. moribus dissonum, immo consonum omni cuivis alij facultati indagandæ reperit. Dat. in dicta Academia, die 6. Februarij. 1625.

Don Franciscus Vives
Canonicus & Rector.

FR. IOSEPHVS NOGVES CARmeli alumnus, bonarum Artium Magister, Authoris discipulus ad librum Excel. Duci Comiti de Oliuares D. Gaspari de Guzman sacratum.

EPIGRAMMA.

HIC Anguem, hinc Arcem, cerno inde Leonem.
I liber, i tutus, ne vereare viam.
Audacem reprimunt torvi dura ora leonis,
Ignarum colubri spira, venena prement.
Lividum infausta si mittat ab Arce sagittu,
Oppone Arcem Arci, telaque fracta cadent.
Ne vereare, licet reddat natura Theones,
Nam sic armatum, non timuisse decet.

LOGICAM SE DVCI COMITI de Oliuares dedicantem alloquitur Ioannes Vila Lib. Artium M. Authoris discipulus.

EPIGRAMMA.

AGgrediare Liber tutus liventia monstra,
Ne timeas, tanti si capis arma Ducis.
Ne timeas, potius celeres illude sagittas
Contra te missas: si sapis adde animos.
Nam Mido castellum fortissima turris adornat,
Quæ quoque castelli vis erit, hancque dabit.
Nec deerit fortis vigilantia summa leonis
Hic est, qui solus nosci tur ungue leo.
Castelli vi, hoc est forti cum turre, leone
Exire e tenebris, absque timore potes.

EX-

EXCELLEN. DVCI

DON GASPARI DE GVZMAN

Comiti de Olivares, à Regio ſtatus Conſilio, ſummo ſtabuli Præfecto, Regij Corporis Curatori, Maguo Indiarum Cancellario, Regiarum arcium Hiſpalenſium Præfecto, Alcantaræ Maximo Perceptori.

Frater Iulianus Caſtelvi & de Ladron Carmelitanus fœlicitatem nuncupat æternam.

PINGVESCENTI olivæ, langueſcenteni ſurculũ inſerere fas ſit bona tui venia (Excellentiſsime Dux.) Nam cui alteri olivam, quam olivæ committam? Cui credam ſapientiæ ſymbolum niſi ſapienti? An non peccem in Cœlum, ſolumque, qui extra oleã, oleas perquiram? A quo namque lac, niſi ab vbere? à quo vbera niſi à Matre? Amãt parvuli lactari nutricibus; amant ſurculi nutriri radicibus. Augeſcit in arbore ramus, vireſcit olivæ ſurculus in olea. Tibi

ergo olea pinguis, hanc tenuẽ oleam voveo. Tibi hunc arescẽtem ramulum seco, ut tuæ turgescentis arboris beneficio, feracis soli opera, ope solis irradiatione, roborea brachia, virentes frondes, fructusq. vberes promittat. Cernimus etenim gracilem ramusculum vegetanti trunco insitum, mille germinantem surculos trepidulos frondibus, floribus hilarulos, dulcacidos fructibus. Sic ergo tenellulus hic surculus, tutelę tuæ trunco insitus, mille germinabit ramos, flores mille, mille fructus. Bibet pinguem succum ex virtutum tuarũ feraci solo haustum, auctum benigno influxu irradiantis solis Philippi Regis, solius Phœbi terrarum. Felix germen, insitio diva, dives surculatio. Tibi coluntur feraces melioribus glebis agri. Tibi fortunatiore cespite repastinantur fundi. Tibi felicioribus viresc̃unt rami, surculis gravidi. Tibi medica frõdescit olea, quovis topiario reponenda. Tibi melior rutilat nitidioribus radijs Phœbus. Tibi benigniores irradiãt aspectus, & gratior perpluit imber. Tibi de-

demum hæc omnia vegetant, vireſcunt Tibi, Tibi nitent æternum. Quid ergo nõ promat tenellulus iſte ramuſculus? Inſitus in hacce arbore, hocce ſucco nutritus, paſtus hocce ſolo, ſolé iſto fęcũdatus. Quo non creſcat? Quę brachia non promittat? feriet haud dubie ſydera ſinapico æquandus arbuſto, illique ſimilis in ſuo gremio amplexabitur omnes, brachijs teget, hilarabit frugibus. Si ergo germinãs ſurculus, quem primum fugit vegetãtem ſuccum, quas primas oſtentat lacteſcentes gemmas, quos tenues profert vireſcentes ramos, quem vividus bibit vitalem zephyrum, eos omnes radici refert, trunco tribuit, ab inſitione acceptum prædicat. Vnde incremẽtum omne, omnem luxuriem, decorem omnem in ſuę arboris honorem vertit. An non tibi referam vegetum, quẽ bibam ſuccum? Num nõ tibi tribuam germinantes ſolis, quos ducam ſpiritus? Fors inficiari queam maxima incrementa, quibus germinis inſtar è fæcunda radice erũpentis excreſcam? Tua erunt hæc omnia,

in tuum refundentur honorẽ. Quod ſiqui ramulos hinc ſecuerint, oleas carpſerint, liquorem linxerint, præſtabunt omnes, nõ quia mea iſta, ſed quia in tua oliva inſita; non quia propria, ſed quia tutelę tuæ commiſſa. Age ergo (digniſsime Dux) patiare obſecro hunc ramum tuę olivę inſerere. Tibi namque æternum, ut debeo, illũ dico, ſacroque. Fruere æternũ oliva mea. Tantum concede, ut & ego æternum divino tuo fruar ſucco. Ne contemne, parvulus ramus eſt, ſed primævus. Ideoq. tuo augeſcet incremento, creſcet, & ex arborideo arboreſcet æternum, æternum vale.

LEGTORI
Salutem.

EVNDEM Dialectices moveo lapidē in eminentiori defigendum vertice. Altiora rimor, indago ſuperiora. Non immoror namque in brevibus ſummularū commētariolis; graviora Dialectices Theorēmata meditor, veriora pronuncio, ſubtiliora propono. Prodit etenim rationalis Philoſophia, clavis ſcientiarum Aurea, & pulcherrima mentis Pharus: quæ manu quaſi ducet cæculum vectorem, ne in ipſo Philoſophiæ limine ruat. Intuere igitur illam benigna fronte; quidquid enim deſiderare poteris impolito poliēdo Animo, hic tibi affatim fiet ſatis. Si enim methodum quæras, hic videbis præpoſtera in quadrum redacta, difficilia enodata, rudia dolata. Si opiniones ſpectes, hic tibi occurrent Antiquæ antiquatæ, Infirmæ infirmatæ, Firmæ firmatæ, Novæ innovatæ. Quæ omnia vires potius, quam

metum

metum offerunt magno huic exant lando lapidi. Et ſi quid difficultatis, & laboris extiterit, ſuperabit facile aſsidua gutta, & finitus iucundior erit. Hoc fert humanus animus. Qui nucleum eſſe vult, frãgat nucem. Hoc unum reſtat, laborem utilitati tuæ devotũ æſtima, ſi non ſolet placere, tua ſupplebit Benignitas; maxime cum non deſint aliqua cũ expoſitione literaria textus Ariſtotelici ſatis elaborata, & tãtum expetita abiis, qui Bacchalaureatus, & Doctoratus lauream aucupantur in Scholis: hæc illis viam munient ad longos progreſſus conſequendos. De ceteris nullius Ariſtarchi ſupercilium extimeſco; calumniatores, & invidos nauci duco, ſuo namque ſpiritu ſeipſos ſuffocãt, Baſiliſcorum more: qui dum ſe in ſpeculo intuẽtur, repercuſſo in ſe halitu propria necãtur vita. Vive.

Errata

Errata sic corrige.

PAgina 8.col.1.lin 36.externa,lege interna. Pag.11.col.2.lin.3. sic, lege sit. Pag.73.col.2 lin.10.agit,agunt. Pag.75 col 2.lin. penult.notitia,notiora.Pag.80.col.1.lin 38.definione,definitione.Pag 95.col.1.lin.15.& illa,Et illa cathedra.Pag 104.col.1.lin. 30.uno,uni.Ibidē,alij,alijs.Pag.106.col.2.lin.6.vocuum,vocum. Pag.132.col.1.lin. penult.quarto, quanto. Pag.163. col.1. lin.38. æquivocata, æquivocantia. Pag.165.col.2.lin.23. denominatuis, denominativis.Pag.175.col.1.lin. penult. munibit, muniet. Pag. 199.lin.8.qui,quæ. Pag.204.col.1.lin.32.secundæ,Primæ.Pag.263. col.1.lin.45. fictum, pictum. Pag.295. col.2.lin.20.non mutuis, mutuis. Pag.309. col.2. lin. ulti. relatione, rationale. Pag. 313. col. 2. lin. 19. producit, producti. Pag. 320. col. 1. lin. 19. an, ad. Pag.342. col.2. lin. 9. dundante, durante. Pag. 354. colu. 1. lin. 17. relativam & contrariam, privativam & contradictoriam.Ibidem lin.16.privativam & contradictoriam,relativam & contrariam.Pag.359.col.1.lin.18. præceptibus,præsentibus. Pag. 395.col.2.lin.44.actum,habitum.Pag.419.col.1.lin.23.cognitio, cognitione. Pag 421. col 1. lin.1. quando,quanto. Ibidem lin.2. obiecto,oculo. Pag.427.col.2.lin.6.imberno,hyberno. Pag 450. col.2. lin.46. dependem, dependentem. Pag.422.col.1.lin.33.Petrum currere,lege non currere.Pag.449.col.1.lin.13.impugnanda,lege impugnandas.

Ista sunt maiora, reliqua omitto, quia facile prudens lector corriget.

PROOEMIVM.

QVANTAE utilitatis fuerit, aliqua quasi per synopsim in Epitome nostra de universa differendi facultate præluisse, cuique proclive erit intelligere ex iis, quæ ad ipsius Compendii limen proloquutus sum. Neque enim fas esse autumãt Arbitri Dialectici, ad abditiora Logices Penetralia, quemquam admitti, qui non prius aliqua cognitione tingatur earum rerum, quæ uberiori filo, secretioriq; discursu inquiruntur in Logica. Cum enim Dialecticam ingeniorum pulcherrimũ iubar appositè vocitaverimus, si ad eius splendorem fulgentissimum vires, aciemq; nostri intellectus nulla prævia tenuioris notitiæ luce obfirmatas, temerario ausu tentavissemus attollere, nosmetipsos, non sine prudentium hominum risu, sine dubio excæcassemus. Iam vero, quando sano, prudentiq; consilio ad exiguum luciferi præeuntis lumen vim intellectuum nostrorum paulatim acuimus, rebus facilioribus addiscendis, contemplandisq; assueti, difficiliores in posterum comprehendemus facilius, & in ipsam Logici Solis faciem sine cæcitatis periculo incurremus. In illum ergo iam mentis oculos coniiciamus, eosq; in eius radiosum orbem placidissimo figamus obtutu: Ecce enim Sol iste clarissimus luciferum suum sequitur citato cursu, puriores, vegetioresq; vibrat radios, candidi luminis opes uberiores ostentat, quibus adolescentium studiosorum illustrentur mentes, recreentur animi, locupletentur ingenia, crassæ igno-

rationis nebulæ dissiciantur, & ingrata demum, quod in votis est, insciticæ caligo fugetur: Quæ omnia haud difficulter obtinebuntur à discipulis nostris, si ipsi generosam perspicacis Aquilæ sobolem (absit verbo invidia) in perspiciendis Phœbi huius radiis rutilantibus æmulentur: Loquor apertius; si nullo difficultatum, quæ passim occurrunt in Logica, insolenti quasi ardore perterriti, eas labore assiduo superent, ingenii vi, & quotidiana exercitatione assequantur, si denique summa diligentia, indefesso studio, pari constantia in Dialecticæ veritatis investigationem incumbant.

Totius operis partitio.

ANTEQVAM Commentarios aggrediamur, placuit, distinctionis gratia, totius operis partitionē præponere, methodumque, quam in illis sectaturi sumus. Vniversam igitur Logicam in sex partes partiar, quas Tractatus appellabo; Tractatus in Disputationes, has denique in Dubia dividam. Tractatus primus, Dialecticam in communi, sive Disputationes, quas Proœmiales vocant, exponet. Secundus Entis rationis, Isagogemque Porphyrii. Tertius, Anteprædicamenta, Prædicamenta, & Postprædicamenta. Quartus libros de Interpretatione. Quintus, libros de Priori resolutione. Sextus, libros de Posteriori Analysi, sive de Demonstratione, complectetur.

TRACTA-

TRACTATVS PRIMVS.

De natura, & Essentia Logicæ in communi.

TRES disputationes hunc tractatum exhaurient. Prima, Obiectum Dialecticæ. Secunda, Essentiam habituum Logicorum. Tertia demùm, huius Scientiæ, sive utilitatem, seu necessitatem breuiter, ac dilucide comprehendet.

DISPVTATIO PRIMA.

Obiectum Dialectice investigatur.

SICVT scientia omnis ab obiecto formali speciem sumit, sic etiam circa aliquod obiectum Materiale versatur; hoc enim fundamentum est, & quasi basis, cui innititur obiectum formale, ideo in hac prima Disputatione de utroque differemus.

DVBIVM PRIMVM.

Quodnam sit obiectum materiale Dialectice.

TAM variæ sunt opiniones circa subiectum Dialecticæ, ut non facile sit eas ad longum referre, & refellere. Aliquas attingemus, & veriorem indicabimus. Quod ut fiat, Notandum primo est, licet subiecti nomine intelligi soleat illud, de quo aliquid prædicatur, ut dictũ in Summulis, vel etiam ille intellectus, in quo quasi in subiecto scientia recipitur; hic tamen, per subiectum idem, ac per obiectum intelligemus.

Notandum secundo, obiectum duplex esse. Vnum Materiale, seu Quod, & aliud Formale, seu Quo. Materiale est illud, de quo agit ars, vel scientia, ut corpus humanum respectu medicinæ. Formale vero est illa ratio, sub qua scientia disputat de obiecto Materiali, ut sanabilitas in eadem medicina; hæc enim agit de corpore humano quatenus sanabile est.

Præterea subiectum materiale aliud est per se, de quo ratione sui, & ex primaria intentione disputat scientia, ut motus cælestes in Astrologia; & aliud per accidens, de quo secundario, & ratione subiecti per se tractat scientia, ut motus sphæræ ligneæ in eadē Astrologia, quæ illos non considerat per se, sed ratione motuum cælestium.

Insuper obiectum per se, unum est totale, sive adæquatum, quod complectitur omnia, quę tractantur in scientia, ut cælum in communi in Astrologia; alterum vero partiale, sive inadæquatum, quod continetur sub obiecto totali, & aliquo modo est pars illius; ut materia cæli, & etiam hoc, vel illud cælum in particulari in eadem Astrologia.

Tandem obiectū partiale, aliud est præcipuum, & est præstantior, & nobilior pars subiecti totalis; ut in Metaphysica, Deus; & aliud minus præcipuum, & est quælibet alia pars minus perfecta eiusdem subiecti totalis, ut qualitas, &c. in eadem Metaphysica.

Notandum tertio, Ens esse duplex, alterum reale, & alterum rationis. Primum est, quod habet, verum, & reale esse obsq. fictione intellectus, ut leo, quo pacto actus, & habitus intellectus sunt entia vera, & realia. Secundum, quod habet esse dumtaxat beneficio intellectus fingentis ipsum; v. g. distinctio, quæ fingitur inter iustitiam Dei, & eius misericordiam.

Ita Caiet. q. 5. artic. 2. Soarius disp. 54. Metaph. Murcia hic. q. 2.

Prima conclusio. Ens rationis non est obiectum Materiale per se Logicæ. Ita sentio cum communi sententia recentiorū, contra communem Thomistarū. Probatur primo, nam etiam si nulla entia resultarent ex operationibus intellectus, adhuc Logica esset vere, & proprie scientia, & demonstraret de actibus intellectus ea omnia, quæ nunc demonstrat. v. g. definitionem esse orationem explicantem naturam rei; enuntiationem constare subiecto, copula, & prædicato; demonstrationem generare scientiam; ergo ens rationis non est subiectum Materiale per se Logicæ, cum, illo secluso, maneat Logica circa suum subiectum per se.

Hurtad. disput. 1. sect. 4. contra Thomistas, & nuper doctiss. magist. meus Ioseph. Blanc disputat. 1. sect. 2.

Confirmatur, nam vt docet D. Thom. Logica instituta est ad dirigendas actiones mentis, quæ sunt, definitio, diuisio, & argumentatio, nomine enim actionum actus ipsos intelligit productos per actiones vitales, qui respectu obiectorū grammaticales actiones dici solēt, sed hæc saltim pro materiali sunt entia realia, cum sint qualitates à parte rei existentes productæ per actionem realem ab intellectu; ergo subiectum materiale per se Logicæ est ens reale, & non rationis.

D. Tho. lect. 1. Periherme nias, in Prafatione.

Secunda conclusio. Subiectum Materiale per se Logicæ sunt omnes actus intellectus, qui possunt dirigi à Logica. Probatur primo auctoritate D. Tho. 1. Posteriorū, lect. 1. dicentis, sicut inventa est ars ædificatoria, seu fabrilis, per quam homo faciliter, & prompte eius actus exercere possit; eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ dirigat actus intellectus, ut prompte, & sine errore producantur, & hæc ars est Logica. Quid clarius?

Tenent auctores supra citat. itemq. Fonseca 2 Metaph. c. 3. q. 1. Pla q. 1. & est communis.

Secundo probatur à priori. In qualibet arte illud obtinet materialis obiecti rationem, quod potest talis artis formam recipere; illud enim est materia artis tua-

tuariæ, quod eius formam potest admittere, sed actus intellectus per se recipere possunt formam Logicam, scilicet directionem in rectum differendi modum; ergo erunt obiectum materiale per se Logicę. Vnde illi actus ingredien tur obiectum, qui possint recipere prædictam directionem.

Est eorundē auctorum.

Tertia conclusio. Omnis actus explicans ignotum per notum po test dirigi à Logica; vnde & erit obiectum adæquatum. Probatur, nam Logica dirigit actus in rectum differendi modum, sed omnis actus, qui explicat ignotum per notius est dirigibilis in rectū modum differendi; ergo ille quicunque sit, pertinebit ad obiectū materiale Logicæ: quinam vero actus possint à Logica regulari, ostendet dubium tertium.

Colligo primo. Ens rationis ut plurimum esse subiectum per accidens; quatenus entia rationis aliquando iuvant ad explicandum eius obiectum.

Colligo secundo. Demonstrationem esse obiectū partiale præcipuum Logicæ, quod vocant attributionis, quia est præstantior, & nobilior operatio intellectus humani, & melior pars subiecti totalis Logicæ, scilicet operationis realis interne. Nec obest definitionem esse simpliciorem modum cognoscendi, vnde poterat colligi esse perfectiorem sicut cognitio Angelica est humana perfectior, quia magis simplex; non, inquam, obest, nam demonstratio includit ipsam definitionem in præmissis, & præterea generat scientiam; ergo perfectior est.

D. Thom. 4. Metaph. lectio. 4.

Obiices primo contra primam conclusionem. D. Thom. affirmat ens rationis esse obiectum proprium Logicæ; ergo falso dixi-

mus, non esse obiectū per se. Respondetur, ideo dixisse S. Doctorem, obiectum proprium Logicæ esse ens rationis, quia proprium est Logicæ per accidens disputare de ente rationis, vt facilius explicet operationes intellectus; sicut proprium est Philosophiæ disputare de vacuo, & tenebris; licet non sint subiectum per se illius. Vel dic, nomine entis rationis intellexisse S. Doctorem, entia, vel actus intellectus, qui sæpe vocatur à Philosophis, Ratio. Notandū tamen est, ens rationis esse per se definibile, & scibile, atque adeo pertinere per se ad aliquam scientiam particularem, quæ ideo in scholis introducta nō est; quia eius essentiam sufficienter exponit Metaphysicus.

Obiices secundo. Aristotelem asserentem Metaphysicum, & Logicum agere de omni Ente, sed Metaphysicus agit de omni ente reali; ergo Dialecticus de omni Ente rationis. Respondeo, Logicum suo modo agere de omni ente prout subest formæ differendi. Logica enim circa omne ens versari potest, definiendo, dividendo, & argumentando.

Arist. 4. Metaph. cap. 2. text. 5.

DVBIVM II.

Verum cōceptus obiectiui, aut modus differendi externus pertineant ad Dialecticæ obiectum.

PRæmoneo conceptum esse duplicem, obiectivum scilicet, & formalem; obiectivus est quælibet res, cognita à nostro intellectu formalis, ipsamet cognitio, qua rem aliquam cognoscimus

verbi gratia, quando quis cognoscit hominem, homo cognitus est conceptus obiectivus; cognitio vero, per quam homo cognoscitur, est formalis cõceptus. Deinde nomine modi differendi externi definitionem, divisionem, & argumentationem ore prolatam, aut scriptam intelligo.

Ita plures Recentiores in manuscriptis, contra Hurtad. disput. 1. sectione 5.

Iam dico primo, conceptus obiectivi non sunt subiectum per se Logicę. Probatur, quia Logica sufficienter intelligitur constituta in se per ordinem, quem dicit primo, & per se ad solos actus intellectus, & secundario, & per accidens ad obiecta ipsorum, ut ad terminos terminãtes tales actus; ergo, &c. Antecedens probatur, quia Logica non dirigit primo, & per se obiecta, sed actus intellectus versantes circa obiecta, & solum per accidens dicitur regulare obiecta talium actuum, quatenus terminant ipsos actus; ut videre est in Prudentia, quæ magnã habet cum Logica proportionẽ; & solum dirigit primo, & per se actus virtutum, qui circa obiecta versantur, & per accidens, & secũdario obiecta talium virtutum quatenus terminant ipsos actus, ergo idem cum proportione dicendum de obiectis actuum Logicorum.

Adverte; hæc præcepta Logicę; definitio debet constare genere, & differentia; definitio debet convertitum suo definito, convenire primo, & per se definitioni formali, & non obiectiuæ; sensus enim primi præcepti est; definitio debet constare genere, & differentia; id est, debet explicare genus, & differentiam rei definitæ; quod quadrat definitioni formali; & sensus secundi definitio debet cõvertitum suo definito; id est definitio debet explicare totam essentiam definiti, & nihil aliud, quod per se convenit definitioni formali: vnde non in prædicando, sed in repræsentando convertitur definitio cũ definito, id est, repræsentat omne, quod est essentiale definito, & non amplius.

Obiicies contra hanc conclusionem. Ab ordine artificioso demonstrationis formalis, (& idem est de definitione, & divisione) & ab ordine demonstrationis obiectivæ potest abstrahi una ratio ordinis artificiosi, sed hęc ratio spectat ad Logicam, ergo & ordines, à quibus abstrahitur. Non nemo ex Recentioribus benè doctus, tantum tribuit huic argumento, ut propter unum illud admiserit conceptus obiectivos ad materiã per se Logicæ. Verum si hæc ratio expẽdatur, nimis probat, probat enim fere omne obiectum secundarium, & per accidens, esse etiam primarium, & per se, cum nullum pene sit obiectum per accidens, à quo, & ab obiecto per se, non possit similis aliqua ratio communis abstrahi. Deinde probat idem de modo differendi vocali, aut scripto, cum in hoc etiã sit ordo artificialis vocalis, aut scriptus, cuius oppositum defendit prædictus Recẽtior. Vnde respondeo in forma ad argumentũ. Negare possem illam rationem univocè esse abstrahibilem, sed solum analogice, cum ordo artificiosus extrinsece, & improprie cõveniat obiectis, intrinsece vero, & proprie cõceptibus. Verũ trãseat Mai. Ad minorem respondeo, illam rationem spectare ad obiectum Logicæ, ita ut quatenus contrahitur ad ordinem formalium conceptuum, spectet proprie, & per se; quatenus vero contrahitur

ad

ad ordinem conceptuum obiectivorum, sit obiectum improprie, & per accidens.

Idem, contra Nominales. Dico secundo. Actus externi vocales, & scripti non sunt obiectũ per se Logicæ. Probatur primo: Subiectum per se est illud, de quo ratione sui disputat scientia, sed Logica non disputat de vocibus, & scripturis ratione sui, sed ratione actuum internorum quatenus sunt signa illorũ; ergo actus externi non sunt subiectum per se Logicæ. Minor probatur, quia actus interni non sunt manifesti, & noti ex se, ergo indigent vocibus, aut characteribus, ut manifestentur, & explicentur, & consequenter solum tractat de actibus externis, ut sunt signa internorum.

Respondebis: Logicam non solum agere de actibus externis, ut sunt signa internorum, sed etiam ratione proprii artificii Logici, quod in se includunt, cum recte, & artificiose disponantur in formam definitionis, &c. Sed cõtra, quia quamvis actus externi habeant artificium proprium; id est, distinctũ ab artificio actuum internorum: hoc tamen artificium est ordinatum ad exprimendum artificium actuum internorum, ergo tãtum aget secundario de hoc artificio quatenus iuvat ad ostendendum artificium internum cognitionum.

Probatur secundo. Nulla ars, vel scientia disputat per se de rebus non conducentibus ad consecutionem sui finis, ut constat per singulas artes, & scientias discurrendo. Medicina enim dumtaxat disputat per se de his, quæ conducunt ad sanitatem consequẽdam, sed actus externi non conducunt per se ad consecutionem finis Logicæ, ergo Logica non disputat per se de illis. Minor probatur: quia finis Logicæ sunt actus intellectus regulati, & etiam si isti soli essent, daretur adhuc tota scientia Logica, sed ad regulandos hos actus, non conducunt per se actus externi, v. g. voces, & characteres, cum sine vocibus, & characteribus recte possint regulari, ergo Logica non disputat de illis per se.

Cõfirmatur 1. quia ut videbimus infra, in Angelis datur Logica; tũ etiã in animabus separatis Logica perseverat; & tamen ibi nulli sunt actus externi, ergo actus externi non pertinet ad subiectum per se Logicæ, scientia enim nequit esse sine suo subiecto per se.

Confirmatur secundo: quia ars domificãdi non respicit tanquam obiectum per se imaginem, seu exemplar pictũ alicuius domus, nec Cosmographia mapam; nec Astrologia sphęrã ligneam, quãvis per illã artifex declaret, qua ratione sit construenda domus, mundus in suas partes dividendus, cæliq̃e motus, etiam si illa facta sint iuxta regulas artis, ergo ita similiter Logica non respicit tanquam subiectum per se actus externos, factos iuxta regulas ipsius, licet per illos actus mẽtis exprimantur.

Colligo ex dictis, Logicam dici sermocionalem scientiam, quia agit de sermone interno, sicut enim actus externi dicuntur sermo, ita interni, & mentales, vel quia agit indirecte, & per accidẽs de sermone externo.

Dices primo. Aristoteles asserit, eos Dialecticæ, & Rhetoricæ naturam ignorare, qui eas docẽt, ut scientias rerum, & non ut orationes, *Arist. 1. Rhetor. cap. 4.*

tiones; ergo saltim tractat Logica de oratione. Respondeo, Aristotelem nomine orationis cõprehendisse mentalem: & sensus illius est, Dialecticã non esse scientiam, niũ orationis mentalis.

Dices secundo: Actus externi sunt artificiose dirigibiles in formam diffinitionis, &c. ergo pertinent per se ad Logicã. Respondetur distinguendo antecedẽs, sunt dirigibiles ratione sui & per se, ita ut præcipuum institutũ Logicæ sit illos dirigere, nego antecedens; sunt dirigibiles per accidẽs ratione actuum internorũ quatenus sunt signa illorũ, cõcedo antecedens. Vnde nulla est consequentia.

Dices tertio, actus externi ut sic sunt opera quędam artificiosa, ergo debẽt per se dirigi, & regulari ab aliqua arte, non ab alia nisi à Logica, hæc enim sola respicit artificium definitionis, &c. ergo Logica per se regulat actus externos. Respondetur, actus externos esse opera artificiosa, ordinata tamen ad exprimenda alia opera artificiosa, videlicet actus internos; atque adeo non debere dirigi, & regulari per se ab aliqua arte, sed dumtaxat per accidens à Logica.

Dices quarto, sicut in definitione externa potest esse error, ita in externa, sed ad illum tollendum datur Logica, ergo & ad istũ. Respondetur, posse cõtingere errorẽ in definitione externa, nihilominus dicimus corrigi hunc errorem, ex eo quod Logica primo & per se versetur circa definitionem internã, & per accidens & secundario circa externã, quatenus scilicet est explicatio internæ.

Dices quinto, sicut actus vocales, & scripti sunt dirigibiles per regulas Grammaticæ, & Rhetoricæ, ita sunt dirigibiles per regulas Logicæ, sed quatenus dirigibiles per regulas Grammaticæ, & Rhetoricæ sunt obiectum per se illius, ergo quatenus dirigibiles per regulas Logicæ erunt obiectũ per se illius. Respõdemus negando maiorem, nam actus externi sunt regulabiles per regulas Grãmaticæ, & Rhetoricæ per se, & per regulas Logicæ per accidens, nam cum Grammatica, & Rhetorica ordinentur primo, & per se ad persuadendum quod fieri nequit sine vocibus, & scriptis, solis enim actibus internis nõ possumus persuadere, ideo regulat per se voces, & scripta; at vero Logica ordinatur solum ad se, id est, ad artificiose intelligendum, & ita per accidens regulat externos actus, quatenus scilicet cõducunt ad exprimendas intellectiones artificiosas, sicut Grammatica, & Rhetorica per accidens regulant actus internos quatenus scilicet sunt necessarii, ut actus externi persuadent, & quasi vita quædam ipsorum verborum.

Arist. 2. Rhetori. c. 2. docet, Rhetoricam esse ad alios, Dialecticam vero ad se.

Dices sexto. Iste actus: definitio, v.g. explicanda est per voces ostendentes essentiam definiti: & iste alius, definitio scribenda est per characteres, & verba indicantia definiti naturã, producunt habitus in intellectu, sed isti habitus sunt Logici; ergo Logica agit de definitione externa, sive vocali, seu scripta.

Respondeo concedendo: illos actus suum quemque habitum generare; contendo tamen hos habitus non esse Logicos, saltem principaliter, quia etiam si tales habitus non darentur, esset tota Logica, quæ est ars manifestãdi ignotum per notum inventa ad scien-

tias

tiss facilius addiscendas. Quod si reductive velit adversarius istos habitus ad Logicam quasi secundariam, & per accidens revocare, cum eo minime contendemus, ne quæstionem de nomine moveamus. Illud certum est Logicam agere vocibus, non de vocibus. Si autem respicit voces, id præstat, ut signa cõceptuum internorum, ideo autem voces nõ dici possunt pertinere ad obiectum per se Logicæ. Confirmo id; Physica non dirigit voces, ut explicantes suum obiectum, ergo neque Logica dirigit voces, quibus explicat suum. Antecedens probatur: Alias omnes scientiæ respicerent voces ut obiectum suum; Metaphysica voces, quibus ens explicatur; Arithmetica voces, quibus numeri declarentur: quod inauditum est.

Dices ultimo. Virtus prudentiæ per se primo regulat tam actum internum moralem, quam externum; virtus Religionis tam ad orationem internam, quam externam; ergo pariter Logica. Respondemus: virtutem prudentiæ regulare per se tam actum internum, quam externum, quia actus externus cum interno efficit unã virtutem: v.g. in virtute temperantiæ, quæ respicit actum internum voluptatis, & externum, quia ex illis conflatur una virtus Temperãtiç: nam internus actus ordinatur ad externum gerendi se iuste, & sobrie in cibo, potuque sumendo. Idem dico de Religione, aliisque virtutibus; at vero actus internus Logicus, v.g. definitio interna nõ ordinatur cum definitione externa ad conficiendam unam integram definitionem; nam definitio interna cum completa sit non ordinatur ad externam; unde si aliqui actus externi reperiuntur in virtutibus, qui non efficiãt unam virtutem, cum internis non regulantur per se, sed per accidens ab illa virtute cui spectant.

DVBIVM III.

Quænam operationes intellectus sint à Logica regulabiles.

PRæmitto triplicem esse operationem nostri intellectus. Prima est, simplex apprehensio, & est cognitio, qua intellectus cognoscit rem aliquam secũdum se, sine ulla affirmatione, & negatione; ut cognitio, qua cognoscimus hominem, & leonem. Secunda est iudicium; & est cognitio, qua intellectus cognoscit rem cum affirmatione, vel negatione; ut cognitio, qua cognoscimus hominẽ esse animal, vel leonem, non esse lapidem: si iudicium est affirmativum, vocatur compositio; si negativum, divisio. Tertia est, discursus, & est cognitio, qua intellectus unum ex alio infert, qualis est hæc, homo est rationalis; ergo est risibilis. Simplex autem apprehensio duplex est, alia est vnius tãtum termini, quæ dici solet simplicissima, ut apprehensio animalis tantum; alia est duorum terminorum, ut apprehensio animalis, & rationalis. Nunc sit

Prima Assertio, secunda, & tertia operatio, utraque est à Logica regulabilis. Probatur, quia in secunda operatione intellectus, reperitur dispositio, & ordinatio subiecti, & attributi, & in tertia medii cum extremis antecedẽtis, & con-

Eam tuentur Doctores citati, dub. 1. conclus. 1.

& consequentis, in qua dispositione potest esse error, ad quem vitandum est necessaria aliqua ars, quæ non est alia nisi Logica.

Idem contra Scotū, disp. 1. sect. 2.

Secunda Assertio. Prima intellectus operatio, quæ est apprehensio duorum terminorū, est etiam à Logica dirigibilis, quia in prima apprehensione duorum terminorum, v. g. in apprehensione animalis, & rationalis reperitur dispositio, & ordinatio generis, & differentiæ, in qua etiam potest intellectus errare non apprehendendo modo debito genus, & differentiam; ergo poterit à Logica dirigi. Deinde omnis definitio, prout ab enuntiatione differt, est simplex apprehensio composita; certum vero est definitionem esse dirigibilem per regulas Logicæ; ergo idem de hac apprehensione dicendum.

Maior tamen difficultas est de alia apprehensione unici termini, quam simplicissimā vocant Dialectici: de hac itē quæritur, Vtrū possit à Logica regulari? In qua controversia duas invenio sententias extreme oppositas. Altera absolute negat eam esse ullius directionis capacē; ideoque excludendam censet ab obiecto Dialecticę. Altera affirmat posse eam dirigi, atque adeo ingredi obiectum materiale Logicæ. Ego vero, quoniā hæc extrema iudico vitiosa, mediam viam tenebo; defendamque simplicissimam apprehensionem posse quidem dirigi, eius tamen dirigibilitatem, aut directionem ad Logicam per se non pertinere, quod duplici Assertione præstabo.

Assertio tertia. Simplicissima apprehensio est absolute dirigibilis per aliquam scientiam. Probatur primo, destruendo præcipuum adversariorum argumentum. Ad hoc ut aliquid possit dirigi, & actu dirigatur ab aliqua regula, non est necesse ut in tali re sit aliquod artificium, sed etiam si sit simplex regulari, & dirigi potest, ergo licet simplicissima apprehēsio nullum habeat artificium, nullamque compositionem, poterit nihilominus ab aliqua scientia regulari, & dirigi. Consequentia legitima est. Antecedens probatur: Entitas Angeli est simplicissima; & tamen regulatur per ideas divinas, ut per scientiam practicam; ergo, &c. Hoc vltimum antecedens suadetur: nam antequam Deus crearet Angelū, habuit hanc cognitionem, seu ideam de illo faciendo: Angelus efficiēdus est, ita ut constet simplicissima entitate spirituali, sed hæc idea est scientia practica, cum dictet modum operis faciendi, & ad ipsum opus dirigatur, ergo entitas Angeli regulata fuit per ideas divinas: Tum etiam quia modo dicitur factus conformis suæ ideę, & non ideę hominis, ergo dicetur directus per illam.

Quod vero aliqui respondent, Deum non habere cognitionem practicam de Angelo efficiendo, sed mere contemplativam; libere dicitur, & sine fundamento, cum tali cognitioni, & ideę conveniat scientiæ practicæ definitio. Deinde non effugiunt vim argumenti, nam saltem sequitur Angelū esse regulatū per illam cognitionem speculativam, quod & novum, & absurdum est, cum speculativa cognitio ad opus minime dirigatur.

Deinde simplicissimus actus amoris in Deum dirigi potest per prudentiam infusam, moraliter; ergo simplicissima apprehensio pote-

poterit dirigi per aliquam regulam physice.

Secúdo probatur cõclusio principalis. Si aliquis homo rudis, & ignarus nesciat, qua ratione conficere debeat simplicissimam apprehẽsionem parietis, possum ego illum instruere hac cognitione: simplicissima apprehensio debet constare unico actu simplicissimo tendente in parietem; sed hæc cognitio est vera regula practica illius apprehẽsionis, cum ad eam efficiendam modum præscribat, ergo per illam vere regulari, & dirigi poterit. Neque enim necessarium est ut intra ipsam simplicissimam apprehensionem possit error inveniri, sicut potest intra definitionẽ, & demonstrationem, quæ compositæ sunt, satis enim est, ut quis in ea conficienda possit errare, efficiendo, v.g. simplicem pro simplicissima, ut hæc possit dirigi.

Obiicies: Omnis scientia practica, vel est ars, vel prudentia, sed a neutra potest simplicissima apprehensio dirigi; ergo non potest. Minor probatur, quia non à prudentia, ut patet: hæc enim solum dirigit opera moralia; non ab arte, quia hæc respicit opus artificiosum, quale non est simplicissima apprehensio. Ad responsionem prænoto, plures scientias practicas habere intra suum obiectum entitates simplices, & cõpositas, sive artificiosas, quas dirigant, ut videre est in scientia practica Dei, seu in ideis divinis; communiter tamen scientia practica non dicitur à Philosophis Ars, nisi respectu rerum faciendarum, quæ compositæ sunt, & habẽt aliquod artificium.

Nunc respondeo, simplicissimã apprehensionem pertinere ad aliquam scientiam practicam, quam infra explicabimus, nõ quatenus artis nomine gaudet, cum hoc nomen in rigore innuat artificium in re dirigenda, sed prout est talis scientia practica; quod necessario dicendum est; nequit enim negari scientias practicas posse dirigere res simplicissimas, propter rationes supra positas.

Assertio quarta. Hæc sciẽtia practica, quæ dirigit simplicissimam apprehensionem, non est Logica. Probatur manifeste, quia subiectum Logicæ adæquatum in communi sentẽtia Dialecticorum, est modus differendi, sed simplicissima apprehensio non est modus differendi; ergo nõ erit obiectum Logicæ, ac per consequens ab illa non dirigetur. Minor, in qua tota difficultas est, probatur: quia modus differendi explicat ignotum per notius, sed simplicissima apprehẽsio non explicat ignotũ per notius; ergo &c. Hæc vltima minor suadetur, quia si explicaret, maxime, quia res illa, quæ per unam simplicissimam apprehẽsionem confuse cognoscitur, clare per aliam cognoscatur, sed hoc nõ sufficit, ergo. Probatur, quia si hoc sufficeret, daretur modus differendi in sensibus hominum, & brutorum, quia quod à longe apprehendunt, vel vident confuse, è propinquo vident, & apprehendũt clare, quod absurdissimũ est.

Ita Conim. q. 5. artic. 3. Fõsec. 2. Met. c. 3. q. 1. sect. 1 Hurtadus disp. 1. sect. 2.

Sed dices, non solum modum differendi esse obiectum materiale Logicæ, sed illud etiam, quo modus differendi cõponitur, qualis est simplicissima apprehensio: quod patet in pariete, qui non est domus, & tamen est materia partialis artis domificativæ, ergo idem dicendum de simplicissima apprehensione.

Respon-

Respondeo, antecedens illud esse verum quotiescumque partes obiecti tales sunt, ut ad eas conficiendas scientia, cuius sunt obiectum regulas tradit; at vero Logica nullam regulam tradere potest ad simplicissimam apprehensionem, ut dicã postea. Ars vero domificativa præcepta tradit de pariete erigendo. Imo retorqueo argumentum, quia effectio materiæ quasi remotæ, ex qua constat arte factum, non pertinet ad artem, quæ tale artefactum dirigit; lapides enim sunt materia domus, & tamen ars domificãdi non dat regulas ad lapides conficiendos, sed simplicissima apprehẽsio est quasi materia remota, ex qua efficitur modus differendi; ergo non pertinebit ad Logicam eam dirigere.

Deinde probatur Assertio, & simul explicatur, ad quam scientiã pertineat dirigere simplicissimã apprehensionem: circa simplicissimam apprehensionem nullũ præceptum dat Logica, ergo non dirigitur ab illa. Antecedens probatur, efficaciter, & ad probationem adduco in exemplum hanc simplicissimam apprehensionem, qua apprehendo, rationale; Logica non docet, qua ratione simplicissime apprehendere debeamus rationale, id enim ad scientiam de anima spectat, vt recte Suarez, probat ratio: nam scientia de anima agit de actibus vitalibus, ut sunt affectiones entis naturalis, & considerat illos secundum se, & ut scientia practica præscribere potest modum illos faciendi, & consequenter ad eam scientiam pertinebit dirigere simplicissimã apprehẽsionem secundum se, cum ut sic nullum artificium possit in ea ostendi, propter quod ad Logicam pertineat, vel ab illa reguletur.

Suarez disput. 1. Metha. sect. 1.

Ex dictis in hoc dubio aliquot corollaria deducuntur. Primũ est, definitionem, divisionem, & argumentationem pertinere ad obiectum materiale Logicæ, cum in illis aliquot sit artificium, quod à Logica dirigi quçat, quidquid reclament aliqui recentiores.

Secundum, simplicissimam apprehensionem posse quidem dirigi, sed non à Logica, sed à Philosophia in scientia de anima.

Tertium denique, ad hoc ut aliquod opus dirigatur à sciẽtia practica necessarium non esse, ut sic artificiose compositum, sed posse etiam simplex dirigi, dummodo talis scientia dicet practice modum eius efficiendi.

DVBIVM IIII.

Quodnam sit obiectum formale Logicæ.

ADvertẽdum est primo. Actus nostri intellectus, quatuor modis posse considerari. Primo, ut sunt entia præcisse. Secundo, ut qualitates vitales. Tertio, ut sunt regulabiles secundum rectam regulam rationis ad bonitatem moralem. Quarto, ut sunt dirigibiles per regulas Logicæ ad rectum differendi modum. Primo modo spectant ad Metaphysicam, quæ disputat de omnibus rebus sub ratione cõmuni entis abstrahentis à materia. Secundo, ad Philosophiam naturalem, quæ disputat de anima, & consequenter de proprietatibus, & actibus ab ea procedentibus. Tertio, ad Philosophiam moralẽ, quæ regulat omnes operationes in ordine ad honestum

neſtum finem. Quarto tandem modo ad Logicam, quæ præbet modum definiendi, &c. tota ergo difficultas eſt de actibus intellectus. Quarto modo conſideratis, an ſcilicet pertineant ad Logicam, ita vt hæc dirigibilitas ad regulam Logicam ſit obiectum formale Logicæ.

Aduertendum ſecundo. Sicut in obiecto viſo reperiuntur duo, ſcilicet viſibilitas, quæ eſt potentia quædam, ſeu capacitas paſſiva ad hoc ut videatur, & reperitur eſſe viſum, quod eſt denominatio extrinſeca deſumpta à viſione exiſtente in potentia viſiva ita in actu intellectus regulato reperiri duo, ſcilicet regulabilitatẽ, quæ eſt potentia quædam, ſeu capacitas paſsiva, qua actus intellectus poteſt regulari à Logica, & actualem regulationem, ſeu directionem, quæ nihil aliud eſt, quam actũ eſſe factum iuxta regulas, quod, ut videbimus dubio ſequenti, eſt denominatio extrinſeca.

Aduertẽdum tertio. Logicam aliam eſſe practicam, & aliam ſpeculativam. Practica eſt illa, quæ præſcribit modũ conficiẽdi definitionem, &c. Speculativa vero, quæ conſiderat, & contemplatur eſſentiam definitionis factæ, vel faciendæ, de quo fuſius ſequenti diſputatione.

Ita Soarius, Vaſq. Murci. apud Blanc, diſ. 1. ſect. 5. quos ipſe ſequitur cõtra Ruuium, Tolletum, Pla, apud eũdem Blanch.

Dico primo. Obiectũ formale Logicæ eſt dirigibilitas actuum intellectus in formam definitionis, &c. Probatur. Obiectum formale ſcientiæ, eſt illud, ſub cuius ratione ſcientia diſputat de obiecto materiali, & a quo ſumit ſpeciem, & per quod differt à quacunque alia ſcientia, atqui Logica diſputat de actibus intellectus ſub ratione formali dirigibilitatis in formam definitionis, &c. & ab illa dirigibilitate ſumit ſuam ſpeciem, & diſtinctionem ab aliis ſcientiis; ergo dirigibilitas actuum intellectus in formam definitionis, &c. ſive actus intellectus ut dirigibiles ſunt ſubiectum formale Logicę. Minor patet, quia de actibus intellectus, ut ſunt entia, diſputat Metaphyſica, ut ſunt actus vitales Philoſophia naturalis, ut ſunt dirigibiles ſecundũ rectam regulã rationis Philoſophia moralis; ergo ut ſunt regulabiles per regulas definiendi, &c. diſputat Logica. Secundo, omnis habitus, ſive iudicativus, ſive non, qui verſatur circa operationem aliquam dirigendam, habet pro obiecto formali eandem ut dirigibilem, ſive dirigibilitatem talis operationis, ut patebit perpendenti: atqui Logica verſatur circa operationes intellectus dirigendas in rectũ diſſerendi modum; ergo eaſdem operationes, ut dirigibiles, ſive dirigibilitatem talium operationum habet pro obiecto formali.

Confirmatur. Sicut prudentia verſatur circa actus voluntatis, regulando illos ad bene operandum, ita Logica verſatur circa actus intellectus, regulando illos ad bene diſſerendum; ergo ſicut prudentiæ obiectum ſunt actus voluntatis, ut dirigibiles à prudentia, ita ut hæc dirigibilitas ſit obiectum formale prudẽtiæ, ſic etiam actus intellectus, ut dirigibiles ſunt à Logica in rectum modum diſſerendi, erunt obiectum Logicæ, ita ut dirigibilitas ſit obiectum formale illius.

Dico ſecundo. Obiectum formale Logicæ etiam ſunt actus intel-

Colligitur ex iiſdem DD.

intellectus ut directi,& ordinati per regulas Logicæ, ita ut actualis ordinatio,& directio pertineat ad obiectum formale Logicæ. Probatur à fortiori ex dicto præcedenti: nam dirigibilitas est obiectum formale per ordinem ad actualẽ directionẽ; ergo multo magis erit obiectum formale ipsa actualis directio;tũ etiam exemplo prudentiæ sæpe adducto, quæ magnã habet cum Logica similitudinem.

Dubitari hic poterat, an hæc dirigibilitas,vel directio posita, sint obiectũ formale Logicæ practicæ,vel speculativæ: id tamen ex dicendis inferius disp. 2.dub. 3. facile colligetur.

Obiices primo cõtra primam conclusionem:Si Logica respiceret ut obiectum materiale actus, sub ratione formali dirigibilitatis, de illis ut dirigibilibus demõstraret aliquas proprietates, id enim propriũ est omniũ scientiarum,sed de illis ut sic nullam demõstrat; ergo nõ respicit prædictos actus ut dirigibiles. Nego minorẽ: proprietates enim conformari debent cum essentia; si hæc consideretur in actu,demonstrandæ sunt proprietates, quas actu habet;si vero spectetur quasi in potentia demonstrãdę sunt illę,quas potest habere: Logica autem vtrumq. præstat; de actibus enim directis ostendit proprietatẽ actualem videlicet, demonstrationem generare scientiam, & syllogismum probabilem producere opinionẽ. De demonstratione vero ut dirigibili demonstrat, eam posse producere scientiam, & de syllogismo probabili,ut dirigibili, eũ posse generare opinionem, &c.

Obiices 2.Logica non agit de ipsa entitate actuum intellectus; ergo agit de illis quatenus subsunt alicui formæ,quæ excogitari non potest alia præter eas rationis,etenim Logica agit de universalibus, de prædicabilibus, genere,specie,differentia,&c.de prædicato,& subiecto, de syllogismo, & aliis huiusmodi, quæ pro forma sunt entia rationis; ergo respicit pro obiecto formali ens rationis.

Hæc obiectio,si probe expendatur,vult etiã probare ens rationis esse obiectũ materiale Logicæ,cuius oppositum supra docui.

Deinde in mea sentẽtia vix habet difficultatem. Probavi enim dirigibilitatem, & directionem esse obiectum formale Logicæ; ergo si talis dirigibilitas, aut directio non sint entia rationis, (vt non esse probabo dubio vltimo huius disputationis) reliquum est, vt nullus locus esse possit enti rationis intra limites obiecti formalis Logici.

Sed respondeo ad argumentũ in forma, concedendo Logicam agere de actibus intellectus non absolute, sed quatenus induunt formam differendi, & ut dirigibiles sunt ad recte argumentandum. Etenim in modo differẽdi, v.g.in syllogismo duplex forma spectari potest. Prima est, collocatio illa, & dispositio materialis propositionũ, qua medius terminus sumitur pro forma in maiori, & pro materia in minori, vel è contra. Secunda, respectus quidam rationis,quẽ fingit intellectus inter propositiones sic dispositas. 1. formã curet Dialecticus,quia illa sufficiẽs est ad generãdam scientiã. Non vero 2. quia omni respectu rationis sublato, demõstratio scientiã generaret.

Ad

Ad illud, quod adfertur de 5. vocibus, & universalibus. Respõ deo, ad scientiam Logicam per se non pertinere; in reliquis autem modis differendi vera directio datur, quam non esse ens rationis, probabitur infra.

Instabis, in Categoriis Logica disputat de illa dispositione, & ordine inter prædicata inferiora, & superiora, &c. sed talis ordo est rationis; ergo Logicæ obiectum formale, saltim partiale est ens rationis.

Respondeo 1. Tractatũ de Categoriis Metaphysici negotium esse, potius quam Logici. Respõdeo 2. negando, illum ordinem esse rationis, nã licet inter prædicata superiora, & inferiora fingi possit aliqua relatio rationis superioris, & inferioris, tamen etiam si talis relatio non fingatur, dabitur vera dispositio consistens in denominatione extrinseca reali sumpta ab actu intellectus illa prædicata debite disponente, ut suo loco differendum est.

DVBIVM V.

Quid tandẽ sit prædicta dirigibilitas, aut directio actualis.

DVplici modo diximus, actus intellectus pertinere ad Logicã, scilicet, ut dirigibiles, id est, ut capaces directionis actualis in rectũ modũ differẽdi, & ut iã directos, & factos iuxta regulas Logicas. Iã inquirimus quid sit ista dirigibilitas, quidque directio in ipsis actibus.

Ad resolutionem difficultatis notãdum est 1. Denominationẽ duplicem esse; aliam intrinsecã, extrinsecã aliam. Denominatio intrinseca est illa, quæ provenit à forma exsistente intrinsece in re denominata, ut paries denominatur albus intrinsece ab albedine exsistẽte intrinsece in pariete; denominatio vero extrinseca est illa, quæ provenit à forma non exsistente intrinsece in re denominata, ut pariesdenominatur visus à visione, non exsistente intrinsece in pariete, sed in potentia visiva.

Notandum 2. In demõstratione, v.g. duplicẽ dirigibilitatem considerari posse; alteram, qua talis actus est dirigibilis per regulam, & potest esse illi cõformis; & alteram, qua dicta demonstratio formalis est dirigibilis in ordine ad obiectum, & potest esse conformis illi; etenim si ex eo, quod actus possit esse conformis regulæ, est dirigibilis ab illa, cur ex eo, quod possit esse conformis obiecto non erit regulabilis, & dirigibilis ab illo?

Notãdum 3. Duplicem esse directionem, aliam activam, & est cognitio, seu regula dirigens, aliam passivam, qua actus dicitur directus: & de hac quærimus quid sit.

Notandum 4. Sicut dirigibilitati, quæ sumitur in ordine ad regulam, respondet actualis directio in ordine ad illam, ita dirigibilitati, quæ sumitur in ordine ad obiectum, respondet etiam sua actualis directio in ordine ad illud. Nam si formetur aliqua definitio nulla regula dirigente, ut fieri potest, & sæpe in rustico homine accidit, illa definitio directa erit, sed non per directionem à regula; ergo per directionem ab obiecto.

His

His præpositis, dico primo: neutra directio posita, cõsistit in relatione aliqua prædicamentali. Probatur primo, quia ante talẽ relationem, etiam si illa admittatur, actus est ordinatus, & directus; ergo directio formalis non consistit in relatione. Probatur antecedens, quia ex eo resultat talis relatio cõformitatis ad regulas, vel ad obiectũ, quia actus est regulatus, & ordinatus, ut regulæ, vel obiectum postulant; esse enim ordinatum est proximum fundamentum talis relationis; ergo ante relationẽ iam supponitur ordo, & directio actualis in actu, sive in ordine ad regulas, sive ad obiectum.

Confirmatur: Quia etiam si Deus impediret resultantiam talis relationis, adhuc actus esset regulatus, cum adhuc explicaret obiectum iuxta regulas Logicæ, & ut ipsum postulat explicari; ergo directio, & regulatio non potest consistere in relatione aliqua conformitatis ad regulas, vel ad obiectum.

Verum quoniam possent adversarij respondere, ante talem relationem esse actum directum fundamentaliter, non vero formaliter. Probatur secundo efficacius: vel ista relatio prædicamẽtalis esset ad regulam tanquam ad terminum, vel ad obiectum; atqui ad neutrum esse potest; ergo excludenda est. Minor probatur, nam relatio prædicamentalis requirit terminum existentem in communi sentẽtia, quam defendemus in prædicamentis, sed potest actus esse directus, etiam si obiectum illius minime existat, & etiam si regula Logica pereat, vt patet in domo, quæ directa manet, regula pereunte; ergo talis directio esse nequit relatio prædicamentalis.

Dixi consulto etiam si admittatur relatio, quia existimo non esse admittẽdam, supposito quod directio consistat in denominatione extrinseca, ut statim dicã, sicut quia parietem esse visum est denominatio extrinseca, non admittitur in ipso pariete viso relatio visi ad videntem.

Dico secundo. Neque esse potest modus aliquis absolutus superadditus actibus intellectus. Probatur, nam vel iste modus produceretur à regula, vel ab obiecto, à neutro producitur, ergo, &c. Minor probatur, nam ut dixi dicto superiori, actus mane re potest directus, eius obiecto non existente, vel regula pereunte: atqui quod non existit nihil potest, physice producere; ergo, &c. Deinde, regula Logica, vel obiectum se habent tanquã causa exemplaris respectu talis directionis, at causa exemplaris non influit physice, sed solum moraliter dirigendo, ergo. Minor hæc perspicua est in regulis artis domificativæ, quæ non influũt physice modum aliquem in domo regulata producendo; ergo idem erit de regulis Logicis.

Respondebis, disparem esse rationem de actibus externis artificiosis, & de actibus intellectus, quia inter actum externum artificiosum, & regulas artis, v. g. inter domum, & regulas artis domificandi, non datur simultas realis, & indistantia, quę omnino necessaria est, ut agens agat, & producat aliquid in passo; at vero inter actus intellectus, & regulas Logicæ datur realis simultas, & indistantia, cum ambo sint in intellectu; & ideo regulæ

Contrarium voluit Magister meus longe doctiss. Ioseph. Blãc disp. 2. sect. 7. prædialiũ: in quolibet ab eo discedimus, quia quantumvis amicus sit Plato, magis tamen amica debet esse veritas, quam nostra Assertioni inesse putamus.

gulæ imprimere possunt aliquē modum realem actibus intellectus. Verū hinc ego sumo argumentum; quia si potest domus esse regulata, sine modo superaddito, cur demonstratio non poterit etiá esse directa sine illo. Deinde impugno solutionem: quia quādo unus actus voluntatis imperatur ab alio actu eiusdem voluntatis, v.g. quando ex actu amoris Dei movetur quis ad actū misericordiæ, dādi scilicet eleemosynam pauperi, tunc actus voluntatis imperās non imprimit aliquem modum actui imperato, & tamen inter actum imperantem, & imperatum datur realis simultas, & indistantia, cum ambo sint in eadem voluntate; & etiam regulæ prudentiæ regulāt actus eiusdem intellectus, non imprimendo illis modū aliquem superadditum, quamvis habeant indistantiam, & simultatēs; ergo similiter quamvis inter regulas Logicæ, & actus intellectus, quos dirigūt, detur indistantia, & simultas, non impriment ipsis actibus aliquem modum. Vnde sic argumentor. Esse actum imperatum non est modus superadditus ab actu imperante; ergo neque esse directum erit modus à regulā dirigente. Antecedens probātur: quia voluntas eodem modo imperat negationes, v.g. desistentiam à turpi delectatione, ac imperat actū positivum misericordiæ, v.g. in ratione imperandi; sed negationem esse imperatam nō dicit in illa modum positivum, cum hic recipi nequeat in negatione; ergo neque actum esse imperatum dicet talem modum positivum.

Dico 3. Prędicta dirigibilitas, seu directio nō est ens rationis. Ita sentio contra Rubium. q. 6. proœm. qui in hac re pro Thomistis pugnat. Probatur tamen nostrum dictum: quia præcisa omni cōsideratione intellectus, actus ex se sunt dirigibiles, sicut præcisa operatione eiusdem intellectus, obiectum est visibile, & cognoscibile; sunt præterea directi, licet intellectus non consideret talē directionē; ergo neque dirigibilitas, neq. directio esse potest ens rationis, cum hoc solum habeat esse ab intellectu.

Contra Rubiū, & Thomistas docet Blāc. disp. 1. sect. 6. Murcia disp. unica. q. 2. est q. communis recentiorum.

Confirmatur. Esse actus voluntatis regulabiles, vel regulatos à prudentia in bonitatem moralem, non est ens rationis; ergo neque actus intellectus esse dirigibiles, seu directos ad rectum modum differendi erit ens rationis.

Dico 4. Dirigibilitas, sive in ordine ad regulam, sive ad obiectū est ipsa entitas actus ordine transcendentali respiciens regulam, vel obiectū. Probatur, quia obiectū esse cognoscibile est ipsa entitas obiecti respiciens cognitionem; ergo esse actum dirigibilem nihil aliud erit, quam entitas actus respiciens, vel obiectum, ut dirigibilis ab illo, vel regulam, ut ab ea regulabilis.

Nec obest huic dicto, quod alii qui recentiores defendunt, præter entitatem, v.g. demōstrationis formalis, addere dirigibilitatem, denominationem extrinsecam, quam dicūt actus ipsius demonstrationis ex eo, quod per Logicam possint cōiungi, & dirigi ad recte differendū, non inquam obest: nam talis denominatio extrinseca licet admitti possit, necessaria tamen non est; tum quia simplicissima entitas Angeli est vere dirigibilis per ideas

divinas, quin eius dirigibilitas dicat aliquam extrinsecam denominationem in ipso Angelo, cum in eo partes non sint, inter quas illa fundetur: idemque est in simplicissimo actu amoris Dei, à prudentia dirigibili; tum etiam, quia demonstratio Angeli est vere dirigibilis à Logica, & tamen cum unico, & simplici actu demonstret, non potest admitti ista extrinseca denominatio inter partes ipsius demonstrationis formalis; ergo signum est posse cõsistere dirigibilitatẽ sine tali extrinseca denominatione.

Dico 5. Actualis directio, quæ petitur à regula, est extrinseca denominatio ab ipsa, & actualis directio ab obiecto est etiã extrinseca denominatio ab ipso desumpta. Prima pars probatur. Obiectum esse cognitum, esse visum, nihil est aliud, quam denominatio extrinseca à cognitione, vel visione; ergo esse directũ erit pariter extrinseca denominatio à regula dirigente.

Confirmatur, quia esse actum directum, est esse factũ iuxta regulas Logicæ, sed actum voluntatis esse factum iuxta regulas prudentiæ, & domum fabricatã iuxta regulas Architecturæ, est solum denominatio extrinseca à talibus regulis; ergo idem in nostro casu dicendum est.

Secunda pars de directione sumpta ab obiecto suadetur, quia obiectum est mensura, & regula cognitionis, & sicut actus est conformis regulis Logicis, ita est conformis obiecto; ergo eodem modo de directione ab obiecto petita philosophãdum est, ac de directione petita à regulis Logicis.

DVB. VLTIMVM.

Satisfit non levibus obiectionibus contra doctrinam dubii præcedentis.

AD maiorem cõfirmationem præcedentis doctrinæ, quam superiori dubio proposuimus, superest ut nonnullis obiectionibus, quæ contra illam fiunt à gravissimis Philosophis, breviter pro more nostro satisfaciamus.

Oppones 1. cõtra 1. conclusionem. Esse actum directũ, est esse similem regulæ, sed esse similem, est relatio prædicamẽtalis; ergo directio est relatio prædicamentalis. Respondeo. Si relationem similitudinis regulati ad regulã admiserimus, eam debere resultare in actu iam directo, ut 1. cõclusione indicabimus; atq. ideo actum directũ esse similem fundamentaliter ut requam resultret talis relatio, per quam formaliter simile constituatur.

Oppones 2. contra 3. conclusionem. Aristoteles in eo distinguit Metaphysicum à Logico, quod ille agat de omni ente, ut ens est, iste autem de eodem ente, ut subest secundis intentionibus; ergo agit sub ratione entis rationis. Hunc locum proposito modo obiiciunt aliqui recentiores; quos monere iuvat, ut Aristotelem consulant, invenientq. nec verbum esse in loco citato de secundis intentionibus: solum enim docet Metaphysicũ, & Logicum agere de omni ente, eo modo, quo diximus supra. *Aristot. 4. Metaphysic. cap. 2. text. 6.*

Oppones 3. cõtra 4. conclusionem. Dirigibilitas illa, vel in ordine ad regulas, vel ad obiectũ, non

non distinguitur realiter ab ipsa entitate actus; ergo ad scientiam, ad quam spectat tractare de actuum natura, pertinebit etiam tractare de tali dirigibilitate. Nego consequentiam: Nam illa dirigibilitas ratione distinguitur, & constituit diversam rationem obiecti formalis, quod sat est, ut à nova scientia considerari possint actus sub tali ratione. Actus enim ipsi, qui secundum suam entitatem pertinent ad scientiam de anima, quatenus tamen dicũt rationẽ entis abstrahẽtis à materia, pertinent ad Metaphysicã; ratio autẽ entis ratione solũ differt ab ipsis actibus. Deinde dirigibilitas eorundem actuũ in bonitatem moralem, sola ratione differt ab eorum entitate, & tamen pertinet ad prudentiam. Quod confirmatur: nam si aliquid aliud esset, maxime denominatio extrinseca, quam dicunt inter se partes rei dirigibilis, sed in hac nequit consistere talis dirigibilitas, cum multi actus sint dirigibiles tum à Logica, tum à prudentia, qui tamen simplices cum sint, nequeunt dicere talem denominationem; ergo cum talis dirigibilitas non sit relatio, nec modus, nec ens rationis, reliquum est ut in sola entitate actuum obiectũ, vel regulam respicientium posita sit.

Oppones 4. contra eandẽ. Obiectum prudentiæ non est dirigibilitas, seu ordo transcendentalis ad obiectum, sed solum ad regulas rationis; ergo neque obiectum Logicæ erit talis ordo ad obiectum, sed solum ad regulam Logicam. Nego consequentiã, & disparitas est; quia bonitas moralis non semper sumitur ex obiecto, sed etiã ex circunstãtiis; etenim ieiunare propter peccata cõmissa, ex se bonum est; & tamẽ si superior iubeat ut non ieiunetur, malũ erit ieiunare, quia prudentia dictat, obediendũ esse superiori legitime præcipienti: vnde quod actus sit bonus, vel malus, sumitur ex eo, quod sit difformis, vel cõformis regulæ rationis, & nõ obiecto. At vero nullus actus Logicus est, qui sit cõformis obiecto suo, & non sit etiã cõformis regulis Logicis, quia talis cõformitas sumitur ex eo, quod obiectũ repræsentetur, ut postulat repræsentari independenter ab extrinsecis circunstantiis.

Oppones vltimo contra vltimam cõclusionem. Directio extrinseca petita à regula, est denominatio extrinseca, ab ipsa regula Logica; ergo non est distincta ab ipso acta Logico, qui regula est Probatur consequentia: quia extrinseca denominatio non distinguitur à forma extrinsece denominante, sed regula Logica extrinsece dirigens actum, est actus Logicus, dictans quomodo efficienda sit, v. g. definitio; ergo à primo ad vltimum talis directio, quæ in extrinseca denominatione sita est, erit ipse actus, & regula dirigẽs. Vnde ulterius argumentor. Ista directio est ipse actus, & regula Logica dirigẽs; ergo non est obiectum Logicæ, quia actus Logicus, & obiectum distinguntur.

Ad solutionem adverto, vltimam quasi resolutionem, obiecti formalis Logicæ fieri in ipsa obiecta actuum logicorum, ad eum modum, quo Theologi philosophantur de obiecto formali fidei divinæ. Rẽ explico. Si percõ teris, cur hæc definitio hominis, Animal rationale, sit recta. Resp.

quia constat genere, & differentia, & quia omnis definitio eiusmodi recta est. Si rursum interroges, Cur omnis definitio constans genere, & differentia recta sit. Respondeo, quia omnis eiusmodi definitio repręsentat obiecta prout petunt repręsentari, quod inductione patet, & ex terminis fit manifestum; itaque ultima ratio formalis Logicæ, & quasi remota est dirigibilitas, vel directio sumpta ab obiecto sic se habente, sicut per actus Logicos artificiosos exprimitur. Ex eo autem quod hæc, & illa, & alia definitio, & sic de cæteris, per genus, & differentiam explicent naturam obiecti definiti; recte ego colligo istam regulam. Omnis definitio constans genere, & differentia, recta est; & per hanc regulam immediate dirigo alias definitiones, & mediate per obiectũ. Itaque hęc regula, licet sit actus Logicus, dirigitur ab ipso obiecto solũ, & directionem, vel dirigibilitatem ab eo desumptam, respicit pro obiecto formali: reliquæ autẽ definitiones, quæ fiunt per istã regulam, dirigitur ab illa immediate, & mediate ab obiecto. Quo posito, ad argumentũ oppositum respõdeo, non implicare actus Logicos particulares regulari, & dirigi per alium actũ universalissimum, tanquam per exemplar ultimæ regulæ, quæ est obiectum. Vnde ille actus universalissimus v.g. definitio constare debet genere, & differẽtia, licet sit actus Logicus, tamen non est directus per aliam directionem, petitam ab alia regula Logica, cum talis non sit, sed per directionem petitam ab obiecto, ita in re se habẽte, quale per talem actum exprimitur. Actus vero particularis, ut definitio hominis, leonis, &c. debet cõstare genere, & differẽtia; dirigitur immediate per ipsam regulã Logicã, & mediate per ipsum obiectum: vnde etiam cõstat eundẽ actum, & posse esse actum Logicæ scientiæ, & posse esse obiectum formale, si diverso modo consideretur. Ex quo ruit tota machina obiectionis.

Sed instabis. Denominatio extrinseca desumpta à regula, non differt ab ipsa regula, quę est forma extrinsece dirigens; atqui talis regula est actus intellectus pertinens ad scientiã de anima; ergo nequit esse obiectũ formale Logicæ. Respondeo, illã regulã, v.g. omnis definitio debet cõstare genere, & differentia, esse actũ Logicũ, quem Logica dirigit per directionẽ, seu denominationem extrinsecam ab obiecto petitam; neque enim necessarium est, ut omnes actus Logici per duas regulas dirigantur; reliquæ vero definitiones diriguntur per istum actum, non absolute per entitatem physicam, sed quatenus regula Logica est.

Vrgebis adhuc. Denominatio extrinseca directionis ab obiecto desumptæ, sub qua Logica respicit istum actũ universalissimum non distinguitur ab ipso obiecto extrinsece denominante, atqui saltem obiectum nõ pertinet ad Logicam, sed ad Physicam; ergo talis denominatio nequit esse ratio, vel obiectum formale Logicæ. Respõdeo, denominationem prædictam directionis passive talis actus fundari in obiecto non absolute, sed prout actu dirigente ipsum actum, quæ tamen formaliter ratione distinguitur ab ipsa entitate obiecti, & suf-

& sufficit ad constituendam novam rationem formalem scientiæ, sicut supra vidimus, de dirigibilitate ipsorum actuum, quæ solum per rationem differt ab ipsa entitate, & efficit distinctũ obiectũ formale ab obiecto scientiæ, ad quam pertinet entitas talium actuum.

DISPVTATIO SECVNDA.

De essentia, & divisione habitus Logicæ.

OBiectum Dialecticæ tam materiale, quam formale, quam diligẽti examine potui, investigavi: verum enimvero, quoniam id satis non est ad istius facultatis essentiã pernoscẽdam, necessariũ est, ut modum, quem in præfato suo obiecto attingendo tenet, investigemus.

DVBIVM I.

An Logica sit virtus mentis.

VIrtus in communi ita definiri solet à Philosophis, & Theologis: Habitus inclinans in actum perfectum. Duplex est; alia mentis, sive intellectualis; alia voluntatis, sive moralis. Virtus voluntatis est qualitas inhærens voluntati, eãque inclinãs semper in bonum, cum incapacitate ad malũ. Virtus mentis est qualitas residens in intellectu, ipsum inclinans semper in verum, cum incapacitate ad falsum. Dixi esse qualitatem residẽtem in intellectu, ut specialiter excludatur veracitas à ratione virtutis mentis, quæ inclinat ad loquendum verum, & tamen residet in voluntate.

Sit ergo prima conclusio. Logica verè, & propriè est virtus mentis. Probatur. Omnis habitus inclinans semper in verum, cum incapacitate ad falsum, est vera virtus mentis, sed Logica est huiusmodi; ergo est virtus mentis. Maiorem omnes Philosophi, & Theologi admittunt, & constat: nam sicut virtus voluntatis versatur circa honestũ, ita virtus mentis circa verum, sed omnis habitus semper honestus est virtus voluntatis; ergo omnis habitus semper verus erit virtus mentis. Minor patet, quia in Logica dantur cognitiones veræ, & evidentes, quibus ostenditur definitionem debere constare genere, & differentia; demonstrationem constituendam esse ex primis veris, certis, &c. & parere scientiam. Atqui tales actus producunt habitus Logicos in intellectu; ergo tales habitus sunt virtus mentis.

Obiices Magna pars Logicæ agit de argumentatione probabili, & sophistica; ergo quoad istam partem, Logica non erit virtus mentis. Nego consequentiam, quia Logica agit de eiusmodi argumentandi modis evidenter, & de probabili demonstrat quid sit, & quomodo constituendus de sophistico, qua ratione solvendus, &c.

Secunda cõclusio. Logica non

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

est virtus mentis secundum omnes eius actus. Probatur manifeste, quia in Logica sunt plures actus opinionis, & fidei, ergo, &c. Antecedens quoad actus opinativos probatur: nam opinio Logica est, quid sit directio, aut dirigibilitas, & quod sit obiectū materiale Logicæ, & alia eiusmodi. Quoad secundam partem constat etiam, quia possum assentiri alicui obiecto Logico propter auctoritatem alicuius, præsertim antea quam penetrem illius veritatem; ergo Logica non secundū omnem partem est virtus mentis.

Zabarel. lib. 1. de natura Logica. *Arist. 7. Phy sic. cap. 3.*

Opponit 1. Zabarella contra 1. conclusionem. Virtus mentis ex Arist. est ultima perfectio habentis eam, sed Logica, cum sit instrumentum ad alias scientias, non est ultima perfectio, ergo, &c.

Respondeo 1. Aristotelem citatum, tantum dixisse, virtutem mentis esse perfectionem habentis eam, qualis est Logica. Illam vero particulam, vltimam, non habet Aristoteles, sed ab hoc auctore illi affingitur.

Respondeo 2. Logicam esse ultimam perfectionem in ordine ad suum obiectum.

Opponit 2. In voluntate nulla est virtus, quæ sit via ad alias virtutes, ergo neque in intellectu Logicæ erit virtus, cum sit via ad alias virtutes mentis. Nego antecedens: nam humilitas via est ad obedientiam, temperantia ad castitatem. Deinde licet idem antecedens, nulla est consequentia: est enim peculiaris ratio ob quam in intellectu sit virtus mentis via ad alias virtutes tam mentis, quam voluntatis, quia scilicet proprium est intellectus lucē præbere, & quasi præire ad omnes illas.

DVBIVM II.

Qualis virtus mentis sit Logica.

RAtio difficultatis est, quia Aristoteles partitur virtutes mentis in intelligentiam, scientiam, sapientiam, prudentiam, & artem. Pro dubii explicatione

Arist. 6. Ethic. cap. 3. 4. 5. & 6.

Assertio 1. Dantur in Logica actus intelligentiæ, & cōsequenter habitus per illos actus prodūcti. Probatur à priori. Actus intelligentiæ est assensus primorū principiorum, quæ ex ipsis terminis innotescunt sine ullo discursu; sed tales actus dantur in Logica, ergo, &c. Probo minorē in his actibus Logicis. Omnis definitio constat genere, & differentia: omnis demonstratio constat primis veris, certis, & euidētibus, causisque conclusionis: qui actus ex terminis patēt. Nec obstat posse demonstrari per alia principia metaphysica, saltē per illa principia communissima, Quolibet est, vel non est. Omne totū est maius sua parte: solum ergo requiritur ut pateant ex terminis, licet aliqui sint demonstrabiles. Quod manifestum est in moribus: potest enim sanitas obtinere veram rationem finis respectu potionis amaræ, licet alioqui possit ordinari, ut medium ad alium finem; ergo eodem modo philosophandum est in principiis: nam sicut se habet finis in practicis, ita principia in speculabilibus, ut habet commune proloquium.

Asse-

Assero 1. Logica est scientia secundum magnam sui partem. Ita D. Thom. & communiter recentiores. Probatur. Scientia est habitus per demonstrationem adquisitus, sed dantur tales habitus in Logica, ergo, &c. Minor probatur: nam dantur in Logica vere demonstrationes, v.g. in parte demonstrativa; omnis syllogismus cõstat primis veris, &c. generat scientiam, sed demonstratio est huiusmodi, ergo generat scientiam. In parte Topica; omnis syllogismus cõstans præmissis probabilibus, vel altera tantum præmissa probabili generat opinionem, syllogismus Topicus est huiusmodi; ergo generat opinionem.

D. Th. m. 4. Metaph. lect. 4.

Assero 3. Logica est vere ars, ut probetur Assertio. Noto ex Suarez, omnem artem esse scientiam practicam. Probatur in primis, artem esse scientiam, quia scientia est cognitio rei per causam, sed omnis ars cognoscit rẽ per causam; ergo est scientia. Quod autem sit practica liquet: nam scientia practica est cognitio per causam operis faciendi; sed ars cognoscit suum opus faciendum, & per suam causam; ergo ars convertitur cum scientia practica. 2. probatur Assertio. Omnis scientia practica est ars, sed Logica est scientia practica, ut videbimus infra; ergo est ars.

Suar. 3. p. to. 1. disput. 25. sect. 1.

Quæres 1. An sit ars actionis, vel effectionis. Consule nostras compendiarias disputationes.

Quæres 2. Vtrum sit Ars liberalis, an servilis. Respondeo, liberalem esse, quia opus logicũ exercetur sola anima; opus vero servilis Artis etiam corpore. Artes ingenuas, & Mechanicas his versibus concludo:

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra, Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.

Lingua, Grammaticam; Tropus, Rhetoricã; Ratio, Dialecticam; Numerus, Arithmeticã; Tonus, Musicã; Angulus, Geometriam; Astra, Astrologiam; Rus, Agriculturam; Nemus, Venatoriam; Arma, Militarem; Rates, Nauticam; Vulnera, Chirurgiam; Lana, Textoriam; Faber, Fabrilem significat.

Quamquam Mechanicarũ Artium vix est numerus. Liberaliũ munera, hoc Distichon explicabit:

Gra loquitur, Dia vera refert, Rhe verba colorat,
Mus canit, Ar numerat, Geo ponderat, As colit Astra.

Gra, Grammatica; Dia, Dialectica; Rhe, Rhetorica; Mus, Musica; Ar, Arithmetica; Geo, Geometria; As, Astrologia.

Obiices 1. contra secundã Assertionem. Arist. affirmat, Dialecticam non esse scientiam, ergo &c. Respondeo, Aristotelem solum velle non esse scientiam secũdum omnes suas partes; quod fatemur.

Arist. 2. Rhet. cap. 2.

Obiices 2. Omnis scientia habet determinatum obiectum, sed Logica, ex Aristo. non habet determinatum obiectum, sed per omnia rerum genera vagatur; ergo, &c. Respondeo, loquutum de obiecto remoto: nam proximum determinatum habet, ut vidimus.

Arist. 4. Metaph. cap. 2.

Obiicies 3. Scientia est de rebus æternis, & incorruptibilibus, Logica versatur circa actus intellectus, qui fiunt in tempore, & esse desinunt, ergo, &c. Respondeo, scientiam esse de rebus

æternis quoad essentiam, quales sunt actus intellectus, de quibus agit Logica.

DVBIVM III.

An Logica sit scientia practica, vel speculativa.

NOtandum 1. Praxim, licet Græcè actionem absolute significet, à Philosophis tamen communiter sumi pro ea actione, qua ab intellectu dirigitur præscribendo modum quo fieri debeat, sive talis actio sit bona, sive mala, sive intra intellectum, sive extra illum. Hinc colligo cum communi sententia contra Scotum, praxim dari in intellectu. Primo, quia praxis est, quæ dirigitur à notitia practica, sed in intellectu datur vnus actus, v. c. definitionis, directus per alium, v. g. omnis definitio constare debet genere, & differentia, ergo. Secundo. Ad hominem contra Scotum, actus virtutis Moralis in Scoti sententia est praxis, sed actus intellectus speculandi cum debitis circunstantiis, est actus virtutis moralis, ergo erit praxis. Minor probatur. Ideo actus eleemosynæ est actus virtutis moralis, quia imperatur à virtute morali eleemosynæ; sed actus intellectus contemplandi cum debitis circunstantiis, imperatur à virtute studiositatis, ergo est actus virtutis moralis.

Notandum secundo, speculationem esse actum intellectus, quo res cognoscitur secundum se, non præscribendo modum faciendi illam, ut hæc cognitio, Homo est animal rationale. Vnde fit eundem actum posse esse speculationem, & praxim, nam prædictus actus, Homo est animal rationale, est speculatio quatenus contemplatur obiectū, & praxis quatenus dirigitur à Logica.

Ex his duobus notatis, sequitur, habitum speculativum esse qualitatem inclinantem intellectum ad eliciendas speculationes, practicum vero qualitatem inclinantem ad cognitiones practicas; deinde notitiam speculativam esse ipsam speculationem; notitiam vero practicam eam esse, quæ indicat modum aliquid efficiendi.

Notandum 3. Ad notitiam practicam non requiri ut fiat per modum imperii, v. g. fiat definitio hac ratione; vel hac ratione efficienda est per verba de futuro; sed sufficere possunt verba de præsenti. Probatur, quia hæc cognitio, omnis definitio constat genere, & differentia, fit per verba de præsenti, & tamen per illam possum ego regulare definitiones particulares, non secus ac si dicerem, Omnis definitio constare debet genere, & differētia. Confirmatur: nam hæc cognitio, Hac via itur Romā, tam dirigere potest Petrum iturum; quam hæc alia, Hac via eundum est Romam. Quamquam, ut verum fatear, in casibus propositis verbum præsens idem valet, ac futurum. Idem enim est; hac via itur, si ego non considerarem Petrum euntem; atque hac via eundum est.

Notandum 4. Ad notitiam practicam non sufficere ut ex ea colligatur aliud, quod faciendum sit, si non dictet modum, quo fieri debeat. Vnde hæc cognitio,

Deus

Deus est bonus, speculativa est; licet ex ea sequatur, ergo est amandus, quia non dicat quomodo amandus sit.

Notandum 5. Ad practicã cognitionem non esse necessum, ut res sit factibilis ab eo, qui talem cognitionem habet. Probatur, quia hæc notitia, Rosa hac vel illa ratione facienda est, est practica, cum dicat modum operis faciendi, & tamen rosa non est factibilis ab homine, v.g. qui talem habet notitiam.

Notandum vltimo. Neque requiri ad practicum actum ut opus faciendum sit liberum, quia sive actio sit libera, sive necessaria, cognitio eodem pacto est directiva illius, ergo practica.

His præmissis, facile erit nostram aperire sententiam. Quare

Dico primo. In Logica dantur habitus practici, producti per actus similes. Probatur manifeste ex dictis, quia in Logica dantur plures cognitiones directivę definitionis, demonstrationis; &c. v. g. definitio debet constare genere, & differentia, &c. sed isti actus sunt practici; ergo generant habitus eiusdem rationis.

In hac re 4. sunt sententia. Prima asserit Logicam, nec esse practicã, nec speculativã. Ita Pererius lib. 1. cap. 3. Philosophia. Secunda, esse tantũ speculativã, ita Toletus q. 4. Tertia, practicam solũ. Ita Land. 6. metaph. q. 3. Fonse. 1. me taph. cap. 3. xerunt; vel ideo solum esse practicam voluerit, quia Logica non Conimb. q. considerat actus quoad suas entitates, sed quoad modum directionis, quam directionem practicè solum attingi posse arbitrantur. Vtrúque tamen falsum iudico. Primum, quia illa cognitio actus directi iam supponit illum directum, & solum contemplatur illum ut talem, ergo speculativa est, non practica. Secundum, quia ille ordo, vel directio, aut etiam dirigibilitas, quidquid sint, sive ratione, sive realiter ab actibus, vel à regula distinguantur, habent proprias essentias, & formalitates; ergo Logica poterit tales essentias contemplari, non procedendo ad opus. Non video qua ratione oppositum asseratur.

Dico secundo. Datur etiam vera logica speculativa. Probatur, quia Logica intuetur sæpe suos actus directos, vel etiam dirigibiles, considerando quid talis directio, aut dirigibilitas sit, & in mera contemplatione sistendo, ergo erit scientia speculativa. Vnde colligo egregie deceptos esse nonnullos recentiores, qui vel Logicam practicam consiederare posse actus directos dixerunt; vel ideo solum esse practicam voluerit, quia Logica non considerat actus quoad suas en-

DVBIVM IIII.

Aliqua contra superiorẽ doctrinam obiectantur, & diluuntur.

COntra primam notationem dubii præcedentis, Scotus insurgit, cui favent aliqui, asserti omniũ vltimus Didacus à Iesu. 1. ex Arist. dicẽte, intellectũ extensione fieri practicum; sed hęc extẽsio non est ad actus, vel obiecta ipsius intellectus, cũ ad hæc extendatur etiam notitia speculativa, ergo ad actus alterius potentiæ ab intellectu, ergo in hoc non est praxis. Respondeo, illum locum falso adscribi Aristoteli. Deinde demus esse Aristotelis 1 sensus illius erit, intellectum fieri practicum extensione ad operationes suas dirigendas: nam ut contemplativus sistit in eis speculandis.

Didac. à Ie. q. 6. Arist. 3. de anima, cap. 10. tex. 50.

4. proœmia. art. 5. Quarta, practicã, & speculativam simul. Ita Suar. to. 2. met. disp. 44 sect. 13. n. 14. Vazquez. 1. par. disp. 9 nu. 2. Rubius q. 5. proœmi. nu. 24. & noster B. arch. disp. 1. sect. 3. pro œmial.

Insurgit 2. Praxis est libera, actus intellectus non est liber, ergo non est praxis. Nego maiorem, ut vidimus notatione ultima dubii superioris, & licet cõcedatur. Nego minorem; nã actus intellectus directus per aliũ, & à voluntate imperatus, liber est: quare momenta hæc Scoti leuiora sunt, quam ut à communi sententia nos possint abducere.

Obiices contra 2. conclusionem. Si aliqua cognitio speculativa esset in Logica, maxime hæc omnis definitio constat genere, & differentia, sed hæc est practica; ergo in Logica nulla est speculativa. Minor probatur, quia per istam cognitionem tanquam per regulã, potest quis dirigi ad efficiendam definitionem hominis; ergo est practica.

Respõdeo, dupliciter sumi posse prædictam cognitionem, & alias similes. Primo modo ita ut idem valeat, ac omnis definitio conficienda est, constans ex genere, & differẽtia, sicut diximus notatione 3. dubii superioris, tẽpus præsens valere pro futuro, & sic licet talis cognitio fiat per tempus præsens, practica est, cũ procedat per se ad opus illud dirigendo. Secundo modo ita ut eiusmodi cognitio sistat in contemplatione actus directi, & sic est speculativa, quia natura sua non refertur ad opus regulandum, licet per accidens nos possimus ea uti ad conficiẽdam definitionem: nam similiter hæc cognitio, Deus est bonus, est speculativa, licet ex ea in Dei amorẽ rapiamur, &c.

Quæres 1. An Logica sit magis speculativa, quam practica. Respondeo affirmative. Probatur, quia Logica practica solum versatur circa directionem actuum futuram ostendendo modum, quomodo ea adhibenda sit actibus; non vero docet modum quomodo efficiẽdi sint actus dirigibiles, nec versatur circa ipsos ut iam directos: At Logica speculativa circa directionem, & dirigibilitatem versatur, contemplando quid unaquęque sit.

Quæres 2. An idẽ habitus possit esse practicus, & speculativus? Hæc controversia locum propriũ habet in libris de Anima: ibi eã, Deo favente, dirimemus.

DVBIVM V.

De divisione Logicæ in docẽtem, & vtentem.

INvitus hãc controuersiã suscipio, tum quia exiguæ utilitatis, tum quia illam de nomine esse arbitror, ideoque auctores in ea explicanda adeo divisi sunt, ut unusquisque abũdet in suo sensu, & quot capita, tot sententiæ. Harũ nonnullas, quã breuissime potero referam, & refellam; postea quam magis propriam, & probabilem existimo, indicabo.

Displicet 1. Vazquez asserens, Logicam docentem esse Logicã practicam actus regulantẽ, utentem vero esse ipsos actus in quavis materia directos. Impugnatur 1. quia in hac sententia tot sunt Logicæ utentes, quot sunt scientiæ, quæ locutio impropria est. Secundo, quia aliæ scientiæ potius dicuntur uti Logica, quã Logica utens. *Vazquez. 1. p. to. 1. disp. 8. nu. 19.*

Displicẽt 2. Conimbric. & Fõseca, dũ aiunt, universam Logicã esse docentem, partem vero Topicam *Conimbr. q. 4. art. 2. & Fis. 2. Met. cap. 3. q. 1.*

picam utentem. Hanc sententiã impugnant recentiores,& merito. Primo, quia actus opinativi obiecti physici,spectant ad physicã,quod ita probant: Actus sciẽtifici physici, generant sciẽtiam physicam,metaphysici,metaphysicam, &c. ergo actus opinativi physici,opinionem physicam generant. Secundo,& est cõfirmatio præcedentis rationis. Actus opinativi de corpore naturali, v.g.habent obiectum physicum, sicut actus scientifici de eodem corpore. Nunc sic. Quemadmodũ in actibus opinativis physicis præter entitates actuum datur artificium Logicum, ita pariter in actibus scientificis physicis præter eorum entitatẽ datur Logicum artificium,etenim Logica tradit aliis scientiis instrumẽta sciendi,id est,modum,non solum ut opinativæ sunt, sed etiã ut demonstrativæ; ergo eodem modo versatur Logica utrobiq. cum usu suorum præceptorum. Vnde sic arguo ulterius. Ideo pars Topica est Logica utens,in sententia Conimbricensiũ, quia ad eam spectant actus opinativi aliarum scientiarum quoad formam,atqui actus sciẽtifici scientiarum aliarum spectant etiam quoad formam ad Logicam demonstrativam, ergo hæc etiam erit utẽs,vel neutra. Minor probatur: quia illa forma, seu directio actualis,quæ est in actu sciẽtifico scientiæ physicę,non pertinet ad eam, sed ad Logicam; aliter quomodo Logica versaretur circa omnes scientias.

Rubius q.3. num.10. Displicet 3.Rubius autumans, Logicam quatenus scientia est, esse docentem,quatenus vero est ars,utentem. Sed contra,quia iã supra vidimus Logicam artem converti cum scientia practica, ergo si quatenus scientia est docens,etiam erit quatenus ars.

Displicent ultimo nõnulli recentiores,qui arbitrantur, Logicam speculativam esse solũ docentem, & practicam utentem. Contra, quia practica potiori iure dicenda est docens, cum doceat modum definitionis conficiendæ.

Sit Assertio. Logica practica tam actualis, quam habitualis, *Ita noster Iosephus Blanc disp.1.sect.8* vere, & proprie est docens, tum etiam & utens. Prima pars dicti probatur,quia aliquam sciẽtiam esse docẽtem proprie,nihil aliud est, quam tradere modum, quo opus sit construẽdum; sed vtraque Logica practica docet modum, quo dirigẽda sit definitio, &c. actualis actu docendo: Habitualis, inclinando ad actualem; atque adeo habitualiter docendo, ergo utraque Logica practica est, proprie docens. Secunda pars probatur. Quia illa scientia est utens,quæ præter doctrinam progreditur ad operis executionẽ; sed Logica practica tam actualis, quã habitualis hoc præstat;ergo proprie est utens. Minor patet,quia tam actualis, quã habitualis Logica practica concurrit moraliter ad definitionẽ, &c. conficiendam.

Collige 1.Logicam docentem & utentem non distingui realiter:nam idem habitus, & actus est docens quatenus præscribit modum definitionis conficiendæ, & utens quatenus concurrit ad operis confectionem. Quare Logica utens ut sic,solum addit supra docentem extrinsecam denominationem, desumptam ab actuali operatione, sicut addit actu pingens supra pictorem.

Colli-

Collige 2. Logicam factivam secundum omnes suas partes, esse docentem, & utentem. Ratio est, quia in quacunque parte, ex qua componitur, docet quomodo opus sit faciendum, & illud conficit; ergo secundum omnes suas partes, est docens, & utens.

DISPVTATIO TERTIA.

De Logica secundum se, & in ordine ad alias scientias.

HOC etiã videtur disputãdum, ut integra, & adæquata cognitio Logicæ habeatur, nimirum, eius ut unitatem investigemus, assignemusque distinctionem, qua ab aliis scientiis distinguatur, quod partim ostensum supra, cùm de obiecto eius formali disputaremus; denique ut necessitatẽ ipsius, utilitatemve ad alias scientias assequendas diligenter enucleemus, quæ omnia præsenti disputatione præstanda.

DVBIVM I.

An Logica ex multiplici qualitate componatur.

NOto primum, quadruplex assignari solet unitas. Prima individualis, seu numerica, per quam res habet singularem entitatem, ut Petrus. Secunda specifica, qualis reperitur inter Petrum, & Paulũ, qui eandem specificam hominis rationem participant. Tertia generica, qualis est, quę inter equum, & hominem invenitur in ratione animalis. Quarta artificialis, qua multæ res, licet realiter distinctæ, aggregantur, & unum efficiunt, ut exercitus.

Iam vero quæstio solum erit de Logica quatenus scientia est. tum enim est habitus intelligentiæ, opinionis, & scientiæ Logicæ esse diversos, ac proinde unã Logicam efficere tantum ordinis unitate.

Dico 1. Logica scientia non est vnus simplex habitus, sed una tãtum dici potest artificiosa unitate. Probatur manifeste. Ideo in communi sententia, opinativus habitus in Logica distinguitur à scientifico, quia talium habituum actus habẽt obiecta formalia specie diversa, sed in Logica scientia dantur multi actus specie diversa obiecta formalia sortientes; ergo distinctos specie habitus generabunt. Mai. certa videtur. Minor probatur: nam dirigibilitas, seu directio definitionis, quæ est ratio formalis, distincta est specie à dirigibilitate, aut directione demonstrationis; ergo Logica scientia vna erit propter collectionem diversorum habituum, qui specie distinguuntur. *Toletus q. 3. proœm. Fonseca. 5. met. c. 7. q. 5. tex. 2. Suar. tom. 1. met. disp. 44. sect. vltim. Noster Blãc disp. 3. section. 4. & alii recentiores.*

Secũdo probabitur nostra cõclusio, & principaliter ex solutione satis efficacium argumentorum, quæ nonnulli Doctores gravissimi opponunt contra illam.

Opponitur 1. Prudentia, & Logica similes sunt, ut sæpe dictũ, sed prudentia unico tantũ constat habitu circa omnes virtutes morales; ergo & Logica unico circa omnes scientias. Nego minorem

norem: prudentiæ enim habitus differunt pro distinctione virtutum, quas regulat: non enim qui prudens est in actibus misericordiæ exercendis, est etiam in actibus iustitiæ; quam sententiam egregie propugnat quidam recentior longe doctissimus.

Opponitur 2. Ex nostra sententia sequi omnes scientias dici posse vnam ordinis vnitate. Nego sequelam, quia scientiæ adæquatę diversæ, diversissima sortiuntur obiecta formalia, & nullo inter se vinculo cohærentia.

Efficacius aliquis opponere posset 3. Idem habitus luminis gloriæ concurrere potest ad visiones specie diversas; ergo & unus habitus Logicus ad actus Logicos specie discrepates. Antecedens certum videtur: nam visio omnipotentiæ, ut sic, distincta specie videtur à visione divinæ voluntatis, vel relationis ut sic, & visio eminentiæ leonis distincta à visione eminentiæ hominis, non autem implicat ad has visiones idem lumen concurrere, ergo, &c.

Verum hoc argumẽtum probat fortasis, dari posse divinitus habitum, qui ad omnes actus Logicos posset concurrere. Verum neque hoc recte probat: sed vt omittam antecedentis probationem, de quo late differitur in materia de visione Dei, nego consequentiam: nam habitus supernaturales non tam sunt habitus, quam potentiæ, cum potius facultatem tribuant, quam facilitatem.

Sed instabis. Vna potentia multa attingit obiecta, licet specie diversa, ergo & unus habitus, multas conclusiones specie dissidentes. Nimis probat hæc ratio: probat enim sicut unus intellectus sufficit ad omnes scientias, sic etiam sufficere unum habitum, quod quis admittat? Respondeo ergo negando consequentiam: quia cum potentiæ per actus nostros non adquirantur, sed à natura sint, æquum fuit, ut essent quædam causæ universalissimæ, quæ ad omnia obiecta se extenderẽt. At cum habitus per actus producantur, decursu temporis, ipsorum actuum distinctionem participant.

Opponitur ultimo. Virtus tẽperãtiæ, licet versetur circa obiecta valde diversa, videlicet circa mediocritatem in cibo, & potu, est una simplex qualitas. Deinde idem habitus fidei sufficit ad omnes articulos fidei credendos; ergo similiter idem habitus Logicæ sufficiet ad omnes conclusiones Logicas. Respõdemus negando consequentiam, quia in exemplis adductis, licet obiecta materialia sint diversa, obiectum tamen formale semper est idem, diversis materiis applicatum: obiectũ enim formale temperantiæ est mediocritas in ordine ad rationem, quæ semper est eadem secundum speciem, sive sit servandain cibo, vel potu, vel in quolibet genere ciborũ, in omnibus autem articulis fidei est idem obiectum formale, scilicet auctoritas Dei reuelãs: ex quo solum sequitur sufficere eundem habitum Logicæ quando idem obiectum formale diversis materiis applicatur, ut quando fit definitio circa hominem, vel Angelum, &c. quia tamen Logica respicit etiã diversa obiecta formalia specie distincta, qualia sunt dirigibilitas definiti-

finitionis, divisionis, &c. ideo in ordine ad hæc omnia dantur multi habitus specie distincti.

DVBIVM II.

Quodnã sit subiectũ istorum habituum receptivum.

HAnc cõtroversiam placuit hic attexere, quia utilis erit ad specificam Logicæ distinctionem penitus exponendã. Loquor autẽ solum de caussa receptiva, quia ex dictis dubio præcedenti, certum est caussam efficientẽ talium habituum esse ipsos actus: nam talium actuum repetitione, habitus gignuntur, & non aliter. Nec dicas, ipsum intellectum esse caussam efficiẽtem, actus vero conditionem necessariam, sine qua non, sicut approximatio ligni ad ignem: falsum enim id est, nam dispositio necessaria ut forma in subiectũ inducatur, necessaria item est, ut eadem conservetur, ut patet in ipsa ligni ad ignem approximatione; actus vero non ita necessarii sunt ad habitus conservandos, sed de hoc alibi agendum. Vt igitur ad quæstionẽ accedam

Dico 1. Logica reperitur in intellectu humano; hoc dictum certius est, quam ut ulla indigeat probatione. Probatur tamẽ, quia homines argumẽrando, definiendo, & dividendo facilitatem maximam ad similes actus adquirunt, quæ facilitas, habitus est cognoscitivus; ergo recipi debet in intellectu, ut in potentia cognoscitiva.

Dico 2. In intellectu Angelico admittenda est scientia Logica tam practica, quam speculativa, quia obiectũ Logicæ est obiectũ naturale; ergo cognosci potest ab Angelo. De practica probo, quia Angelus optime novit quomodo efficienda sit definitio, vel argumẽtatio, & homines id docere possunt. De speculativa patet, quia contemplari etiam possunt actus sive à se factos, sive ab hominibus, ut bene directos.

Confirmatur de utraque, quia licet non egeant illa ad errores sui intellectus auferẽdos, tamen in aliquibus rebus, quę non illis constant evidenter, vere ratiocinãtur, quo iaccidere potuit duobus illis Angelis, apud Danielẽ 10. qui inter se contendebant de loco ubi esse deberet populus Dei, altero iudicante egrediendũ de medio nationis pravæ, altero contrariũ defendente, quod neutri esset evidens quid in ea re facto opus esset; ergo in tali occasione, & similibus, poterant cõponere, dividere, & argumẽtari.

Dico 3. Non est divino intellectui scientia Logica deneganda, sive practica, sive speculativa. Probatur de prima: nã licet illa Deus nõ indigeat ad actus suos dirigendos, potest tamen dirigere Angelicos, & humanos: nam ut supra diximus, ad hoc ut notitia practica sit, opus non est, ut opus fiat, vel fieri possit à dirigente, Philosophica quippe cognitio, quam ego habeo de modo, quo rosa sit conficienda, practica est, & tamen rosa nequit à me confici. De speculativa clarius est, negari enim nequit Deũ cognoscere actus Logicos directos, vel dirigibiles, tum hominum, tum Angelorum, cum talis dirigibilitas, & directio sint obiectum intelligibile; denique ostenditur tam de practica, quam de speculativa, quia aliæ scientiæ

impe-

imperfectione carentes, Deo tribuuntur, atqui neque in Logica, neque in eius obiecto ulla appareret imperfectio; ergo sine fundamento divinę menti negabitur.

Dico 4. Logica divina specie dissidet ab Angelica, & humana. Evidens est: nam divina est substantia, illæ vero accidens; illa increata, creatæ istæ; illa est actus purissimus, neque est in Deo ut in subiecto propriè; istæ sunt habitus in propriis intellectibus tanquam veris subiectis inhærentes.

Dico vltimo. Angelica, & humana etiam specie distingũtur. Aliqui probant, quia Angelus, & homo specie differunt, ergo & eorum Logicæ. Verum non est opus, ut nostrum dictum probemus, ad rationem adeo incertam confugere, cum sit adhuc sub iudice lis, vtrum distinctio specifica potentiarum sufficiens sit ad actus distinguendos specie, quod in libris de anima examinãdum est. Probatur igitur dictum. Angeli Logica habet modum tendendi specie diversum ab humana; ergo erit specie distincta. Cõsequentia liquida est: nam creatio, & eductio, licet versentur circa eundem terminũ, differunt tamen specie ob diversum modum attingendi illum; ergo & Logica Angeli differt specie ab humana ob similem rationem. Antecedens suadetur: nam cum Angelus habeat species universaliores, & unica species repręsentet illi multa obiecta, ut in materia de Angelis docẽt Theologi, unico actu poterit attingere præmissas, & conclusionem; quod Logica hominis multis actibus præstare debet ob suam imperfectionem.

DVBIVM III.

Aliqua prænoto ad quæstionem de necessitate Logicæ enodandam.

PRimo prænoto. Posse esse quæstionem de scientia aliqua totali, vel de partiali, id est, de hac, vel illa conclusione.

Secundo prænoto. Cõ unem divisionem Logicæ in naturalẽ, & artificialem, vel potius in naturalem, & adquisitam. Adquisita vel est actualis, & sunt actus distantes modum differendi, vel habitualis, suntque habitus per tales actus producti. Logica naturalis non est ipse intellectus, prout habet vim in omnibus scientiis disputandi: nam ut sic potius deberet dici Physica naturalis, Metaphysica, Medicina, & sic de aliis scientiis, quæ locutio impropria est. Quare ea Logica naturalis est, quam quisque sine præceptore discit; non enim dubitari potest posse intellectum solo lumine naturali elicere actus logicos de modo differẽdi.

Tertio prænoto. Necessarium esse duplex, aliud simpliciter, sine quo res haberi nequit ulla ratione, sic cibus ad vitam dicitur simpliciter necessarius; aliud secundum quid, sine quo ob ineri quidem res potest, sed non tam facile. Hic ergo certũ esto Logicam esse secundũ quid necessariã ad alias scientias, de quo nullus dubitavit, & quotidiana experiẽtia utẽ litaliter enim cur, quæso, homines tanto studio in eam incumberent antequam ad alias scientias capessendas accederẽt?

Quarto prænoto. Duplicẽ distinguendã esse demonstrationẽ, (quod aliis etiã actibus Logicis commu-

commune est) formalè alteram, & alteram obiectivam. Formalis sunt actus intellectus componẽtes propositiones formales certas, & euidentes, &c. Obiectiva sunt obiecta ipsa, quæ per tales cognitiones formales attinguntur.

Quinto prænoto, non esse cõtroversiam de Logica habituali, quam indubitatum est non esse simpliciter necessariã; tum quia habitus tantum dantur ad facilius, non ad simpliciter operandum; tum etiam quia talis habitus iam supponit actus logicos, à quibus producitur; tota ergo cõtroversia est, quæ ex his prænotatis colligitur, utrum actualis Logica, sive naturalis, sive adquisita, sit simpliciter necessaria ad aliquam scientiam, sive partialem, sive integram comparandam. Maioris autem claritatis gratia quæstionẽ de hac demonstratione tractabimus. Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Si enim ostẽderimus hanc scientificam conclusionẽ haberi posse sine Logica, plane concludemus eam non esse simpliciter necessariam, neque ad partialẽ scientiam, neque ad totalem; etenim si intellectus sine Logica, hanc scientificã conclusionem adquirit; cur non alias, quæ sine dubio maiorem difficultatem non habent?

DVBIVM IIII.

Logicam non esse simpliciter necessariam efficaciter ostenditur.

COntrariam sententiam docui olim ut probabilẽ; nunc vero utriusque partis rationibus diligentius examinatis in hanc propendeo tanquam probabiliorem. Sit igitur

Conclusio. Negans Logicã esse simpliciter necessariam ad alias scientias obtinendas. Probatur in exemplo demonstrationis propositæ dubio 3. Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal. Directa cognitio istorum obiectorum, & connexionis, quam habet prædicta obiectiva conclusio, cum suis præmissis obiectivis, est actus Philosophiæ proprius, sed talis actus est vera scientia sine ulla cognitione reflexa Logicæ, sive naturalis, sive adquisitæ; ergo neutra necessaria erit ad scientiam de istis obiectis habendam.

Ita Scot. 2. Metap. q. 12. Ianet. in Cõpend. sua Logic. tract. 1. cap. 4. Fõseca 2. met. c. 3. q. 4. sect. 1. Conimbr. q. 6. ar. 2. Hurtad. disp. 47 de anima, sect. 5. cõtra Lambil. epist. ad Sazẽ. Magnũ Albe. 1. post. tract. 2. cap. 1. Scot. q. 1. Tol. q. 1. Suarẽ disp. 1. Met. sect. 4 n. 26. & Iosephum Blanc de fin. 3. sectione 3. præmiss.

Maior propositio ab omnibus admitti debet. Primo, quia hæc cognitio versatur circa illa obiecta, ut entia naturalia sunt. Secundo, quia si ad aliquam scientiam pertineret, maxime ad Logicam; sed non pertinet ad illã, cum tales actus non tendant in hæc obiecta ut directa, aut dirigibilia ut sic; ergo pertinent ad Philosophiã. Tertio, quia si hæc cognitio philosophica non est, quæ penetrat prædicta obiecta, eorũque obiectivam connexionem, certe nulla cognitio assignari poterit, quæ philosophica sit.

Minor, quam communiter negant aduersarii, & in qua nititur nostræ sententiæ vera probatio, ostenditur efficaciter. Primo, à priori ex scientiæ definitione: Scientia est cognitio rei per suã causam, sed si penetret intellectus, ut potest, connexionem istius conclusionis obiective; ergo

Petrus

Petrus est animal, cum suis præmissis obiectivis, omnis homo est animal, Petrus est homo, cognoscit rem per suam causam, ideo enim cognoscit Petrũ esse animal, quia penetrat Petrũ esse hominem, & omnem hominem esse animal; ergo talis cognitio est vera scientia, cum sit cognitio per suam causam.

Respondet adversarii, nõ sufficere ad scientiã, ut quis penetret connexionẽ cõclusionis obiectivæ cũ præmissis obiectivis; sed præterea requiri aliũ actũ reflexum, quo cognoscatur connexio conclusionis formalis, cum præmissis formalibus, etenim ad hoc ut aliquis sciat, necesse est sciat se scire. Verũ hæc responsio & inefficax est, & seipsam dissolvit; est inefficax, quia talis cognitio reflexa necessario non est, cũ ante illã detur cognitio rei per suã causam, & mox probabitur talem actum reflexũ ad scientiã non requiri: deinde seipsam destruit, nam prius est me aliquid scire directe, quã reflexe sciã me scire; nam si scio, me scire, ergo aliquid prius sciebã, quod postea scio me scire. Deinde antequam ego sciam me scire, vel scio, vel non scio; si scio, ergo iam datur in me scientia, ante illam reflexam cognitionem; si non scio, ergo per actũ reflexum nõ scio me scire, cum revera non sciã antea.

Secundo. Roboratur illa minor, & probo illã cognitionẽ reflexã nõ requiri ad scientiã; illa cognitio reflexa (neq; ad certitudinẽ, neque ad evidentiã) requiritur, ut volunt adversarii; ergo nulla ratione erit ad scientiã necessaria: non ad certitudinẽ, quia vel hæc est ex parte obiecti, vel ex parte subiecti, ad neutram requiritur, ergo, &c. In primis non ad certitudinem ex parte obiecti, quia per actũ Philosophiæ, quo ego penetro prędictam conclusionem obiectivam, eiusque connexionem, cum suis præmissis attingo obiectũ certe, ergo nõ est opus alio actu. Antecedens probatur. Certitudo actus est ipsemet actus attingens cõnexionẽ necessariã obiecti sine dubio, sed positis præmissis obiectivis; Omnis homo est animal, Petrus est homo, sine dubio attingo ego conclusionẽ obiectivã, ergo Petrus est animal, eiusq. cũ suis præmissis cõnexionem; ergo talis actus est certus certitudine obiectiva. Minor hæc ostenditur, quia præmissæ obiectivæ certo cognoscuntur, ergo infallibiliter proponũt inf. Hibi lem connexionem conclusionis sine vllo dubio.

Quod autẽ ille actus reflexus non requiratur ad certitudinem ex parte subiecti, probat. 1. Quia actus directus est certus obiective; ergo reddit certũ intellectũ de tali obiecto. Patet consequentia, quia certitudo est de essentia talis actus; ergo sicut cognitio reddit intellectũ cognoscentem, ita certa cognitio reddit certo cognoscentẽ. Secundo percõror. Quãdo quis penetrat directe cõclusionem obiectivam, ipsiusque connexionẽ cum suis præmissis, vel dubitat, vel non dubitat: si nõ dubitat, ergo certus est; si dubitat, ergo ille actus erit opinionis, non scientiæ. Vnde ulterius sic argumẽtor. Ille actus est opinionis, ergo per actũ reflexũ cognoscetur ut opinio. Patet consequentia, quia si illa cognitio reflexa daret huic actui rationem scientiæ, fieret, scientiã non esse

quid intrinsecum actui, sed extrinsecam denominationē, cum per vos idem actus modo sit opinio, modo scientia, quod inauditum est. Cum ergo cōstet actum illum esse certum ante actū reflexum, istum non esse necessarium manifestè convincitur.

Deinde nō requiri talē actum reflexum ad evidētiam directi, per se patet, etenim quid evidentius istis præmissis? Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo cognitio objectiva, quæ ex illis promanat, evidenter ateingetur.

DVB. V.

Aliter eadem roboratur sententia, contrariæq. partis argumenta opponuntur, & enervantur.

QVæ dubio superiori dixi, sufficere videbātur ad propositæ sententiæ uberiorē probationem, ut autem plenius fiat, quantis rationum momētis hanc in partem inclinaverim, placet eandem novis rationibus reddere firmiorem.

Argumentor ita. Sicut intellectus potest penetrare connexionem conclusionis formalis, cum suis præmissis formalibus, ita etiam potest connexionem conclusionis obiectivę, cū suis præmissis obiectiuis, ut præterito dubio probavi; atqui cognitio, qua cognoscitur connexio conclusionis formalis, est scientia; ergo & qua cognoscitur connexio conclusionis obiectivæ. Minor probatur: Nam si cognitio connexionis conclusionis formalis cum suis præmissis non esset scientia sine alia cognitione reflexa Logicæ, deberet demonstrari per aliam, & rursus hæc per aliam, & sic abiretur in infinitum.

Respōdent. Illum actum, quo attingitur connexio conclusionis obiectivæ, cū suis præmissis obiectivis, ut sit certus, regulandum esse per hanc demōstrationem reflexā. Omnis illatio, quæ sequitur ex præmissis, ita dispositis est bona: sed hæc, ergo Petrus est animal, sequitur ex præmissis recte dispositis, ergo est bona. Hanc regulā reflexam esse necessariam ad certitudinē actus directi, ideo probant, quia quidquid est demonstrabile non scitur nisi demonstretur; sed ista illatio, ergo Petrus est animal, est demonstrabilis, ergo non scitur, nisi demonstretur. Præterea addunt. Demonstrationem hanc reflexam non demonstrari per aliā, quia est primum principiū, & regula. Primum autem principium ex terminis patet; regula vero ex Philosopho, est regula sui, & obliqui.

Hęc tamen responsio non pauca cōtinet dissona rationi: ac primum quidem inauditū est prædictam demonstrationem reflexam esse primū principium; hoc enim intelligentia est in omniū sententia, non demonstratio, sed pars demonstrationis. Deinde illa minor syllogismi reflexi; Hęc illatio sequitur ex præmissis recte dispositis, non est primum principium per se notum, cum hęc sint de rebus universalibus; ergo saltem ad illam minorem probandam opus esset alia demonstratione.

Nec dicas, ex utroque actu directo, & reflexo conflari scientiam, & utrumque ad eam esse necessarium. Hoc enim à vero remo-

remotissimum est. Primo, quia si actus directus non est certus, accedente reflexo, certus non fiet, ergo nec fiet scientia. Secundo, quia aliter omnis scientia erit æque reflexa, ac directa. Tertio, Logica non esset una scientia, sed pars essentialis aliarum scientiarum. Atque ex dictis tam in hoc, quã in superiori dubio facile solventur, quæ obiciunt adversariꝰ partis propugnatores.

Aug. lib. 2. de ord. c. 13. Obiicitur primo. D. August. loquens de Logica, ait, sola scientes facere non solum vult, sed etiam potest. Respondeo, solum velle Augustinum, solam Logicam posse dare aliis scientiis modum faciliorem sciendi; nullibi vero indicat eius necessitatem simpliciter, imo contrarium ex citato loco colligitur: nam si Logica sola potest scientes facere, ergo non necessario facit, cum ut vidimus sine illa scientes esse valeamus.

Obiicitur 2. Demonstratio directe tendés in obiecta ipsa, non est scientia, nisi cognitione reflexa cognoscatur illam esse demonstrationem, sed hæc cognitio est à Logica, ergo, &c. Maior probatur, quia si quis veram conficiat demonstrationem, & non cognoscat esse talem, sed syllogismum probabilem esse arbitretur, talis cognitio opinionẽ generabit non scientiam; si vero cognoscatur ut demonstratio, scientiam producet; ergo ad scientiam requiritur illa reflexa cognitio Logicæ. Huius argumenti solutio implicite iam cõtinetur in probatione nostræ sententiæ posita dubio superiori. Clarius tamen

Respondeo negando maiorẽ, Ad probationem respondeo negando id quod supponitur; etenim ut iam attigi supra, impossibile est, ut quis habeat demonstrativum syllogismum, & obiectivam conclusionem, eiusque connexionem cum præmissis recte penetret, & putet eam esse probabilem: nam illa cognitio certa cum sit, certo cognoscentem reddere debet intellectum. Quare si in præmissis obiectivis earumque conclusione infallibiliter in se connexa cum illis, aliquis dubitet, iste non penetrat talem connexionem, adeoq. non efficit demonstrationem: tum etiam, quia ut supra dictum, si actum opinionis eliceret, talis actus nulla cognitione reflexa posset fieri scientificus. Vnde obiter etiam solves aliã obiectionẽ adversariorum, dicentium, non posse intellectum esse certum sine illa cognitione reflexa, quæ certitudo ad scientiam requiritur. Nego enim, si intellectus, ut potest recte penetret cognitione Philosophica, connexionẽ conclusionis obiectivæ, cum præmissis certis, & evidentibus, talem actum certum non reddere intellectum sine alia quacunque reflexa notitia.

Tertio obiicitur. Prudẽtia est necessaria simpliciter ad acquirendas virtutes voluntatis; ergo & Logica ad virtutes mentis comparandas. Nego consequentiam. Ratio disparitatis manifestissima est, quia voluntas nequit operari actus virtutum debito modo, cum ipsa cæca sit, sine prævio quasi lumine cognitionis prudentiæ diligentis, at intellectus sine Logica potest aliarum scientiarũ obiecta attingere, ut vidimus.

Arist. 1. Poster. cap. 2. Quarto & ult. obiicitur Arist. dicens, scientiã esse cognitionẽ rei per causam, & quod illius causa sit; ergo non poterit dari sciẽtia, nisi intellectus cognitione reflexa cognoscat præmissas esse causam cõclusionis, quia bene dispositę sunt, sed talis cognitio est Logica, ergo non poterit dari scientia sine Logica. Resp. optime constare doctrinã Arist. sine cognitione reflectẽte supra præmissas formaliter: nã illis verbis solũ indicat Aristoteles sciẽtiam debere esse evidentem; dire ct autem cognoscendo omnem hominẽ esse animal, & Petrum esse hominem, per ipsam cognitionem directam cognosco has præmissas esse causas huius conclusionis, ergo Petrus est animal

DVB. VLT.

An Logica supernaturalis sit necessaria ad modos differẽdi supernaturales regulandos.

DE hac re pauca quędam inveniọ apud veteres interpretes, nonnulli recẽtiores rem leviter attigerunt: quid ego in hac re sentiam, aliquibus assertionibus indicabo.

Assertio 1. Negari non potest Logica in entitate supernaturalis, non solum ad discursus supernaturales, sed etiam ad naturales dirigendos. Hęc assertio patet ex Logica, quam dari in divino intellectu demõstravi, quæ supernaturalis in se est; tum etiam in Logica infusa Christo D. quam sicut & aliam quamlibet scientiam illi infusam, supernaturalem esse cõmunis sententia Theologorum docet ad tertiam partem D. Thom.

Assertio 2. Neque negari potest Logica supernaturalis quoad modum. Patet id in Logica infusa primis Parentibus, & aliquibus viris sanctis, quæ licet in entitate sua naturalis sit, tradita fuit modo non debito.

Assertio 3. Ad dirigendos modos differẽdi supernaturales nõ est necessaria Logica supernaturalis, sed sufficit naturalis. Probatur, quia Logica tradit methodum sciendi abstrahẽdo ab hac, vel illa materia physica, vel metaphysica, naturali, vel supernaturali, docet enim definitionem debere constare genere, & differẽtia; quæ regula sicut utitur Philosophia, & Metaphysica ad suas definitiones, quin regula dicatur, vel sit Logica Physica, vel Metaphysica, ita etiam uti poterit quælibet scientia supernaturalis, quin regula sit supernaturalis. Vnde cum modus definiendi tam in scientiis naturalibus, quam supernaturalibus, fiat per genus, & differentiam, & Logica solum modum attingat, non autem contideret materias, circa quas talis modus versatur, sit profecto eandem regulam naturalem Logicã tradere posse modum definiẽdi, sive scientiæ sint naturales, sive supernaturales.

Assertio 4. Logica speculativa contemplans actualem directionem, vel dirigibilitatẽ actuum supernaturalium, non est necessario supernaturalis, sed esse etiãpotest naturalis. Probatur: inprimis de directione actuali desumpta à regula; etenim ut supra diximus hęc directio est denominatio extrinseca ab ipsa regula, hoc est,

ipsa

ipsa regula extrinsece denominans, & dirigens; sed talis regula est naturalis, ut assertione 3. probatum; ergo & actus illam contemplans erit etiam naturalis. Deinde probatur assertio de directione actuali, & de dirigibilitate perita ex obiecto; tum etiam de dirigibilitate in ordine ad regulam; quia licet istæ tres sint in entitate supernaturales, etenim directio actualis obiecti supernaturalis est denominatio extrinseca desumpta à tali obiecto ita se habente, sicut per actum supernaturalem exprimitur, & consequenter est supernaturalis, & præterea vterq. dirigibilitas sit etiam in entitate supernaturalis, cum sint ordines transcendentales ad obiectum, & ad regulam, qui ab ipsa entitate actuum supernaturaliũ non distinguntur, tamen à Logica non considerantur ut supernaturales, sed Logica solum contemplatur tales actus ut directos, vel dirigibiles ab obiecto, vel regula, abstrahens tamen à materia naturali, vel supernaturali, quæ mere materialiter se habet. Sicut quando hæreticus credit Mysterium supernaturale propter motivum mere naturale, supernaturalitas illà obiecti pure materialiter se habet, neque in actum refunditur; ita pariter licet actus directi, aut dirigibiles sint supernaturales, hoc tamen materialiter se habet, quia Logica solum perspicit illos ut conformabiles, vel conformes regulæ, vel obiecto, abstrahendo ab omni materia.

Confirmatur, quia eadem ratione, Logica speculativa contẽplatur actus Physicę, & Metaphysicæ directos, & dirigibiles, & tamen propter dictã abstractionem à materia non est, nec dicitur Logica Physica, nec Metaphysica; ergo ob similem rationem, licet contempletur actus supernaturales directos, aut dirigibiles, non erit ipsa in se supernaturalis.

Oppones contra 3. & 4. Assertiones. Datur prudentia supernaturalis infusa ad dirigendos actus virtutum supernaturalium voluntatis; ergo & dabitur supernaturalis Logica ad regulandos actus intellectus supernaturales. Nego consequentiam. Latissima quippe disparitas est: Logica enim dirigit obiectũ in cõmuni, relinquens aliis scientiis considerationem obiectorum in particulari, tradendo modũ definiendi, dividendi, & argumẽtandi, abstrahendo à materiis scientiarum particulariũ, sicut cũ ars domificativa docet domũ ita fabricandam esse, ut constet fundamentis, parietibus, & tecto; sive hæc omnia ex auro fiant, sive ex lapidibus, quod ipsa non curat; at vero in prudentia supernaturali infusa aliter se res habent; etenim cum voluntas potẽtia cęca sit, ut supra insinuavimus, & non discernat inter bonũ, & malum, quid fugere, quidve prosequi debeat, necessum omnino est ut intellectus præcedat, & per prudentiã supernaturalẽ dirigat actus aliarum virtutũ, proprias considerãdo eorũ materias, easq. voluntati propoẽdo. Vnde dirigens iustitiã, & temperantiã supernaturales, proprias ipsarũ rationes considerat, & cum istæ supernaturales sint, ab illis hauriit supernaturalitatẽ. Atque hæc ratio disparitatis etiam constat ex eo, quod adversarii etiam no

biscum docent, Logicâ naturalē dirigere posse supernaturales discursus; nullus vero dixit prudentiam naturalem regulare actus supernaturalium virtutum propter supradictum modum attingendi illos prudētiæ proprium.

Instabis. Ex eo quod prudentia dirigat actus supernaturales, ut tales sunt dicitur supernaturalis; ergo ex eo quod dirigat actus iustitiæ, vel misericordiæ, dici poterit prudētia iusta, & misericors, vel aliis similibus nominibus vocitari. Nego sequelam, quia denominatio supernaturalis convenit tanquam subiectis apris, tam voluntatis actibus, quā intellectus, in utraque enim potentia dantur actus supra naturam; denominatio vero iusti, misericordis, & similes, solum competere possunt actibus voluntatis, ut per se cōstat. Quare argumentum obiectū solum probat, posse quidem in obliquo vocari prudentiam iustitiæ, prudentiam temperantiæ, id est, prudentiam iustitiæ directivam, quod nos non negabimus, cum tot specie diversos habitus prudentiæ admittamus, quot virtutes specie diversæ à prudentia regulantur, ut diximus Dubio 1. huius disputationis, in solutione ad 1. obiectionem. Neque vero hinc sequitur idem dicendum de Logica, cum hæc non respiciat sicut prudentia, obiecta particularia eorum actuum, quos dirigit.

Aliqui hic disputant. Vtrum Dialectica sit Physicæ, vel saltem Philosophiæ pars; deq. eius inter alias scientias dignitate; utramque nos quæstionem exagitabimus, cum de Logicę subalternatione tractemus.

TRACTATVS SECVNDVS.

In Porphyrianam Isagogem, sive de ente rationis, universalibus, & prædicabilibus.

PROOEMIVM.

MALCHVS Porphyrius, natione Iudæus, doctrina magis Platonicus, quam Aristotelicus, ut illius scripta declarant, discipulus Plotini, Origenis condiscipulus, vir satis ingenii non contemnendi, quo non vulgarem sui nominis commendationē fuisset promeritus; nisi quam sibi ingenii acumine paraverat gloriam, eam Christianam Religionem deserendo, & magicis superstitionibus incumbendo fœdasset, ut testatur D. Hieronymus Epistolo-

Epistola ad Galatas. Hic igitur disepulum habuit inter alios Chrysaorium, generis nobilitate conspicuũ, qui cum prædicamenta Aristotelis non caperet, a præceptore petiit, ut hanc introductionem in Categorias scriberet, quo facilius illas assequi posset.

SVMMA TEXTVS Præfationis.

CVM necessarium sit, Chrysaori, in hac operis præfatione, instituti sui rationem Porphyrius exponit; disputaturum se promittit de universalibus, & quinque vocibus, quia istarum rerum cognitio ad penetrandas Categorias necessaria est, ut postea dicemus, ubi aliqua de ente rationis præmiserimus.

In 7. Disputationes partiar præsentem Tractatum. Prima, Entis rationis essentiam, divisionemque concludet. Secunda Vniversi in communi naturam rimabitur; reliquæ quinque, quinque Prædicabilia, quæ species sunt universi, complectentur.

INTRODVCTIO AD introductionem Porphyrianam, sive disputatio 1. de ente rationis.

CVM hæc Porphyrii introductio ad Aristotelis Categorias, innumerabilia pene entia rationis passim cõtineat, non poterit illa recte explicari, nisi de ente rationis aliqua præmittamus: quare hanc nobis veniam dabit Metaphysicus, ut hanc tractationem, quæ ad illum videbatur pertinere, ad Logicam transferamus, cum sine ea, nec introductio ad Categorias, nec Prædicamenta ipsa recte possint intelligi.

DVBIVM I.

Detur ne ens rationis.

RAtio apud Theologos, & Philosophos, sæpe significat intellectum, præsertim apud D. Thomã, ut notavi Tractatu 1. disp. 1. Vnde ens rationis varias significationes sortiri poterit. Primo enim actus intellectus significat: quo sensu D. Thom. sæpe ait, entia rationis esse obiectum Logicæ, ut loco citato monuimus. Secundo magis late rationis entia vocari possunt quæcumque in intellectu sedẽ habent, ut habitus cognoscitivi, species intelligibiles. Tertio & propriissime sumitur pro illa re, quæ tantũ habet esse obiectivæ in intellectu, & in hoc sensu dubitatur, utrum sit ens rationis.

Ita Theolog. & Philosop. Porceps D. Tho & Arist. varijs in locis. Dur. in 2. d. 19. q. 5. Fos. 6. Met. q. 18. Sot q. 3. de rebus univers. Toles. q. de notionib. Caiet. 1 p. q. 35. art. 5. Suar. disp. ulti. sect. 1. Pater Ioseph. Blāc aliq. de ente rationis sect. 1. & omnes recētiores cōtra Maironium Mirandulanum, & Vallesiū citati apud Suarez.

Pars affirmans adeo certa est, ut supervacaneū sit ad eam probandam, multa argumenta congerere. Quod si aliqui negent, in eos ego duplici solum ratione insurgam.

Prima ratio sumitur ex Aristotele veritatis Philosopho. 2. Metaphysicæ, cap. 2. vbi ens admittit, quod solum habeat esse in mente. Eandem doctrinam sæpe alibi tradidit.

Secunda ratio. Vel isti auctores intelligunt quod negant, quando negant ens rationis, vel non intelligūt; si nō intelligūt, quo fundamēto id negant, quod non capiunt? si intelligunt, ergo admittere tenētur ens rationis, illud enim quod intelligunt ens rationis est. Idipsum patebit late ex toto decursu præsentis disputationis, in qua diversa rationis entia assignabo.

Obiicies 1. Si ens rationis admittatur, admittendæ sunt duæ contradictoriæ simul veræ, quod implicat. Probatur sequela, quia hæc propositio, Non ens rationis non est ens rationis, est vera nam negatio lapidis non est lapis; deinde hæc alia contradictoria est vera etiam, Non ens rationis est ens rationis, quia negatio entis rationis, ens rationis est. Nego sequelam. Ad probationem respondeo. Illam propositionem, Nō ens rationis est ens rationis, dupliciter sumi posse. Primo, negative & hac ratione falsa est, quia negatio rei nō est res & in hoc sensu illa altera, Non ens rationis non est ens rationis, verissima est. Secundo, ita ut negatio entis rationis cōcipiatur ut forma positiva, & sic prima propositio, Non ens rationis non est ens rationis, falsa est, & secunda vera; ergo ruit argumentum.

Obiicies 2. Si daretur ens rationis, esset intelligibile, sed hoc est proprietas entis realis; ergo ens rationis esset ens reale. Cōfirmatur, quia si ens rationis est intelligibile, ergo antequá intelligatur, habet essentiā. Resp. negādo minorē; quia sicut intelligibilitas realis est proprietas entis realis, ita intelligibilitas rationis est proprietas entis rationis. Ad confirmationē resp. Essentiá entis rationis præsupponi quidem ab æterno, semper tamen in ordine ad intellectū, à quo conficiendum est, ideoque esse intelligibile, & esse factibile actualiter idē esse in ente rationis, non vero in ente reali, quod potest intelligi, quin actu fiat.

Instabis. Si ens rationis esset intelligibile, ergo est obiectū intellectus, quod falsum est: nam omne obiectū præsupponitur ad suam potentiā; ens autē rationis nequit præcedere potentiá, ergo nequit esse intelligibile. Resp. 1. Ens rationis secundū essentiam præcedere intellectum, & cognitionē, qua cognoscitur eo quod sit obiectum illius, & causa suo modo specificans illam. Resp. 2. Præsupponere suum obiectū esse proprium potentiæ, quę tale obiectū non facit, non vero potentiæ, quæ illud facit. Quare quēadmodū effectus possibilis præsupponit causam possibilem, & effectus actualis causam actualē, quia suum esse habet à causa, ita ens rationis ut possibile, seu non repugnans præsupponit intellectum possibilē, à quo sit accepturū totam suam essentiá, ut actuale vero supponit intellectū actualem, à quo actu fiat: vnde

nunquam

nunquam ſupponitur ad ſuã potentiam etiam ut intelligibile, quia in illo idem eſt eſſe intelligibile, atque eſſe factibile immediate, & proprie.

Obiicies 3. Si detur ens rationis, ſequiturin rationibus abſtractis ab ipſis entibus rationis poſſe dari genus ſine ſpecie, ſpeciẽ ſine individuo, proprietatẽ ſine eſſentia, quæ videntur abſurda. Concedo ſequelã, quia licet hoc abſurdum ſit in ente reali, quod non pẽdet ab intellectu; non vero in ente rationis, quod pendet ab illo, à quo cogitari poteſt ratio generis, quin ratio ſpeciei cogitetur, &c.

Nec inde colligas, cõcipi poſſe etiam ſpeciem entis rationis ſine genere, quia hæc eſſentialiter illud includit.

DVBIVM II.

De eſſentia, & exſiſtẽtia entis rationis.

TAm variæ iam ſunt ſententiæ de eſſentia entis rationis, ut ſi omnes accurate referẽ dæ eſſent, & convellendæ, plus iuſto in re non adeò neceſſaria immoraremur. Aliquot ex cõmunioribus breviſsime refutabo; cæteras ex principiis à me tradendis non difficulter poterit quiſque refellere.

Rubius tract. de ente ration. nu. 6. Suar. diſp. 54. ſect. Metaph. ſect. 2. n. 10. Vaſqu. 1. p. diſp. 15. ſi re hil aliud eſt, quã ipſa cognitio, ita expẽdatur. Noſter Blãc diſp. 1. de ente rat.

Dico 1. Ens rationis non conſiſtit in extrinſeca denominatione ut ſic. Probatur à priori. Denominatio eſt ipſamet forma realis extrinſece denominans; ergo nequit eſſe ens rationis. Probo antecedens, quia eſſe cognitũ nihil aliud eſt, quã ipſa cognitio, quod ita cõvinco. Per eandẽ cognitionẽ denominatur potentia cognoſcens, & obiectũ cognitũ; ergo ſicut illa cognitio intrinſece denominat potentiã cognoſcentem, cui ineſt intrinſece, ita & denominabit extrinſece obiectum, quod attingit extrinſece. Tum etiã probatur, quia ſi ego videam parietẽ, nullo intellectu conſiderante, paries dicitur viſus, ſicut & ego vidẽs. Nota tamẽ aliqua ratione poſſe fundari ens rationis in extrinſecis denominationibus, ut infra explicabitur.

ſect. 2. Hurtad. diſp. 19. Met. ſect. 1. §. 2. & communiter recentiores contra Themiſtas.

Dico 2. Ens rationis nõ neceſſario conſiſtit in falſitate obiectiva, id eſt, nõ neceſſario efficitur per actum falſum, quia, ut dicã inferius, per ſimpliciſsimam apprehenſionem fieri poteſt ens rationis, ſed in hac non eſt falſitas, vel veritas, ergo, &c.

Contrarium aſſerit Hurtad. diſp. citata. ſect. 1. §. 11. 15. eamq. colligere ait ex Ariſt. & D. Tho. paſſim apud Suarez, & ex PP. Suarez, Vazquez, & Fonſ ſed nihil minus ei dicti auctores aſſeruerunt.

Dico 3. Eſſentia entis rationis cõſiſtit in eo, quod ſolum poſsit eſſe obiective in intellectu; eſſentia vero actualis in eo ſita eſt, quod actu habeat eſſe in intellectu obiective, neq. ut ens rationis eſt, poſsit exſiſtere à parte rei. Probatur, quia ens rationis eſt oppoſitum enti reali, ſed ens reale abſolute poſsibile eſt, ſine conſideratione intellectus; ergo & ens rationis erit ut ſic abſolute impoſsibile, niſi per eiuſdem intellectus conſiderationẽ. Vnde collige illud abſolute eſſe ens rationis, quod eo modo, quo ab intellectu fingitur, implicat eſſe à parte rei.

Ita noſter acutiſsimus Blanch loco citato, & cõmuniter recentiores.

Ex dicto proxime poſito, manifeſte cõvincitur non repugnare ens rationis componi ex entitatibus realibus cum unione fictas etenim quãdo intellectus ex Angelo, & homine, cũ unione ficta facit unum cõpoſitum, hoc abſolute ens rationis, ſeu compoſitũ rationis eſt, quia licet partes per ſe ſumptæ ſine cõſideratione intellectus eſſe, & exſiſtere poſsint

à parte rei, tamen illud totum in ratione totius, nec divinitus existere potest à parte rei, sed solum obiective in intellectu fingente Corollarium hoc maxime iuvabit ad ea, quæ de partitione entis rationis mox dicēda sunt.

Collige, existentiam entis rationis esse etiam ens rationis, & per rationē distingui posse obscure, & inadæquate ab essentia, quia ego possum concipere relationem rationis, ut potērem existere, & non ut actu existentē. Dices. Eo ipso, quod ego illud ens rationis concipiam quoad essentiam, do illi existentiam; ergo non potest cōcipi secundum essentiam, quin secundum existentiam. Respondeo, negando sequelā: etenim possum ego concipere distinctionē rationis inter divina attributa, quatenus hæc distinctio potest esse obiective in alterius intellectu; ergo ut sic respectu talis intellectus solum concipio essentiam. Vegebis ergo, idem ens rationis numero fieri poterit à multis causis adæquate. Cōcedo consequentiam, quia si multæ, & diversæ cognitiones cognoscendo parietem, illum efficerent, omnes essent causæ adæquatę ipsius parietis, cum omnes adæquate cognoscerent; ergo cum omnes cognitiones, quæ tendunt ad eandem numero distinctionem rationis inter divina attributa illam cognoscant, illā etiam efficient, cum nihil aliud sit efficere, quā cognoscere. In quo discrepat ens rationis absente reali, quod non fit ipsa cognitione qua cognoscitur, sed per verum, & realem influxum, qui vere, & realiter tendit in suū effectū, vel terminū, ens vero rationis per solum influxū, seu actionē Grammaticalem, ut vocant.

DVBIVM III.

Communis divisio entis rationis in relationem, privationem, & negationem expenditur.

COmmunissima est ista divisio apud celebres quosq. Dialecticos, & Metaphysicos. In hoc ergo dubio, nō quæro utrum adæquata, & exacta sit, quod proxime sequenti examinabo, sed utrum essentiā entis rationis hæc tria membra participent. Ad quæstionis explicationem

Præmoneo 1. Triplicem esse carentiam formæ. Prima est, carentia formæ in subiecto apto ad illam, ut carentia visus in homine. Secunda, carentia formæ in subiecto inepto, ut eiusdem visus in ligno. Tertia, carentia extra subiectum, ut negatio leonis, vel ipsum nihil. Ex his tribus carentiis, prima vocatur privatio. Secunda, negatio in subiecto. Tertia, negatio extra subiectum.

Præmoneo 2. Privationem, ac negationem, utramque positas reperiri à parte rei, nullo considerante intellectu: qua ratione certum est non esse entia rationis. Probatur, quia nullo cogitante intellectu cæcus caret visu, lignū caret cognitione, &c.

Præmoneo 3. Relationem rationis esse respectum, quem fingit mens inter ea, quæ realiter relata non sunt, ut respectus, quē fingit in animali, aut quovis alio

alio genere ad ſuas ſpecies, & in his ad individua.

Præmoneo ultimo, Tria poſſe concurrere ad efformãdum aliquod ens rationis. Primo concurrit res illa, quæ cum non ſit forma poſitiva, concipitur ut talis, quę res poteſt dici veluti fundamentum remotum, eo quod illi non repugnet ita concipi. Secundo concurrit forma poſitiva realis, quæ eſt exemplar, ratione cuius tale ens rationis effingitur, & poteſt dici fundamentum extrinſecum. Tertio concurrunt varię operationes, effectus & proprietates, quæ reperiuntur in ipſa re, vel ab ipſa manant, ex quibus quaſi è ſignis & indiciis ſumit occaſionẽ intellectus ad diſtinguendũ unum ab alio, & ita efformat ens rationis: & hoc ultimum propriiſsime eſt fundamentum proximum entis rationis. Hæc omnia explicari poſſunt in homine. Cũ enim intellectus effingit diſtinctionem rationis inter animal, & rationale, fundamentum remotum eſt ipſa natura humana, cui non repugnat, ita diſtingui fundamentum extrinſecum eſt diſtinctio realis inter materiã, & formam, ad cuius ſimilitudinem effingitur diſtinctio rationis inter animal, & rationale; fundamentum vero proximum, & quaſi intrinſecum ſunt variæ operationes, & proprietates ſentiendi, & intelligendi, ex quibus intellectus occaſionem ſumit ad talem diſtinctionem effingendam. His poſitis, ſit

Placitum 1. Hęc communis diviſio in primis vitioſa eſt, non quod adæquata non ſit, de quo poſtea, ſed quod non fiat in mẽbra proxime dividentia; etenim proximius fieret in carentiam, & relationem, licet carentiam dividamus poſtea in privationẽ, & negationem: ſic enim animal dividimus in rationale, & irrationale, & non in ſpecies, quæ ſub irrationali continentur, ſed hoc parvi momenti eſt.

Placitum 2. Tria membra poſita ſub ente rationis continentur. Probatur de relatione: nam ille reſpectus, qui concipitur in animali ad ſuas ſpecies, non poteſt eſſe à parte rei etiam divinitus, ſed ſolum eſſe poteſt, & eſt obiective in intellectu; ſed hæc eſt eſſentia entis rationis, ergo, &c.

Maior difficultas eſt in probatione noſtri Placiti circa negationem, & privationem. Communiter reſponderi ſolet, tum eas eſſe entia rationis, quando concipiuntur ad modum poſitivarum formarum, cum videlicet concipio privationem viſus in homine, tanquam formam poſitivam nigredinis afficiente ſubiectum.

Hanc tamen viam inire nunquam potui, quia quando intellectus concipit dictas carentias, ut formas poſitivas, non efficit ens rationis privativum, aut negativum, ſed poſitivum, id eſt, qualitatem rationis.

Confirmo id primo, quia quãdo intellectus carentiam aliquã concipit inſtar poſitivæ formæ, tria ego invenio. Primum, privationem, vel negationem realem, quam non eſſe ens rationis certo certius eſt. Secundum, denominationẽ extrinſecam, à qua talis carentia realis cognita dicitur, & hanc iam ſupra diximus, eſſe realem, cum ſit ipſa cognitio denominans. Tertium, ipſam

ipsam formam positivam, quę in tali carentia, tanquam in fundamento cõfingitur, & hæc est ens rationis, cum aliud esse non habeat nisi obiectivum in intellectu; atqui hoc est ens rationis positivum; ergo non fit privatio, vel negatio rationis, quando privatio, & negatio realis instar positivarum formarum concipiuntur.

Confirmo 1. Cum concipitur aliquid absolutum ut relatum, fit relatio rationis; ergo quando concipitur negatio, vel privatio ad modum formæ positivæ, fiet ens rationis positivum.

Sentio igitur, Privationem, & negationem rationis efformari modo omnino contrario, cum nimirum intellectus concipit ut privationem, vel negationem, quod revera privatio, vel negatio non est, sicut fit relatio rationis, quando idem intellectus concipit ut relatum, quod relatum non est, & sicut tunc fit rationis distinctio, cum concipit ut distincta, quæ distincta non sunt, quia tunc tribuit illis illud esse obiectivum negationis, privationis, relationis, & distinctionis, quod esse ab alio quam ab intellectu habere nõ possunt.

Ad hanc sententiam explicandam aliqui recentiores, qui eam nobiscum veram putant, varia adhibent exempla; egò duo, vel tria assignabo, quæ mihi videntur rem ante oculos ponere.

Primum exemplum sit, Deus ipse; cum enim Deũ definimus, Ens independens ab alio, duplex cognitio versari potest circa Deum. Prima est, quæ considerat negationem realem dependentiæ, quæ sequitur quasi proprietas ipsam divinam essentiã; & hic omnia sunt realia: nam cognitio realis est, & illa negatio dependentiæ ab alio, etiam est realis. Secunda cognitio est, qua intellectus propter suam imperfectionem cognoscendi, attingit positivam rationem divinæ essentiæ constitutricem, quasi esset negatio dependentiæ, & hęc negatio est proprie ens rationis, cum solum habeat esse obiective in intellectu. Idemque considerare possumus in substantia, quatenus illam definimus, quæ non subsstat accidẽtibus. Verum licet hæc exempla accõmoda videantur ad negationẽ explicandam, non tamen idem probant de privatione. Quare exemplum aliud apponam, quod utrunque explicet.

Secundum exemplũ sit, Qualitas nigredinis, quæ cum forma positiva sit, propter illã connexionem, quam cum tenebris habere videtur, à nobis concipitur tanquam quædam carentia. Vnde si illa qualitas cõcipiatur in Aethiope per modum carentiæ, erit privatio rationis, cum sit in subiecto apto ad talẽ formam; si vero in Angelo, erit negatio, quia est in subiecto inepto.

De privatione sola potest adduci in exemplum quantitas Eucharistica; possum enim illum modum existendi per se, quidquid ille sit, concipere ad modũ carentiæ existendi in subiecto, atqui talis carentia est privatio rationis, cum sit in subiecto apto, ergo, &c.

Ex dictis colliges distinctionem inter privationem, & negationem: illa enim subiectum aptum connotat, hæc ineptũ: qualis vero sit, & quanta ista distinctio

ctio, videndum in Physicis; privatio autem, & negatio essentialiter, a relatione differunt, cũ distinctissimas essentias habeãt, ut per se est manifestum; & illæ sint formæ negativæ, ista positiva.

DVBIVM IIII.

An divisio entis rationis in supradicta membra, adæquata, & sufficiens sit.

AD hoc ut præsens difficultas cõmodius expediatur, in memoriam revocanda est entis rationis definitio sæpe tradita; illud nimirũ esse, quod eo modo quo concipitur, solum habet esse obiective in intellectu, & ut sic nequit realiter existere, ipsumque ens rationis fieri ad similitudinẽ entis realis, quod suo modo imitatur. Hoc posito, sit

Vnica conclusio. Tot sunt entia rationis specie disita, quot sunt prædicamenta, & series diversarum rerum in entibus realibus; atque adeo communis divisio supra posita, adæquata non est. Duplici modo probare possumus hanc cõclusionem. Primus est, probando eam in genere de omnibus entibus rationis. Secũdus, in particulari ostendendo hæc diversa entia rationis, & discurrendo per singula.

Probo igitur primo modo. Ex eo quod ego concipiam ut relatum, id quod à parte rei relatum non est, efficio relationem rationis in omnium sententia; ergo ex eo quod ego concipiam ut substantiam, quod substãtia esse non potest, ut quãtitatem, quod esse nequit quantitas, & sic de cæteris categoriis, efficiam substantiam, quantitatem, &c. rationis. Confirmatur, quia ut sic tales entitates solum habent esse obiectivæ in intellectu.

Huic argumento, quod sane efficax est, dupliciter respondere solent adversarii. Primo respondent, hic esse sermonem de entibus rationis cum fundamento, qualia sunt relatio, negatio, & privatio; non vero de aliis, quæ fundamẽtum non habent. Verum contra primo, quia hinc sequeretur non omnes relationes, negationesve contineri in prædicta divisione, cum possimus concipere inter substantiã, & accidens relationem identitatis sine ullo fundamento, quæ sit relatio rationis, & in leone negationem animalis, &c. Contra secundo, quia ut mox videbimus, in aliis prædicamentis possunt confingi entia rationis cum fundamento.

Respondent 2. Entia rationis, quæ in aliis prædicamentis fundari possunt, cũ à parte rei sint merum nihil, revocari posse ad negationem. Contra, quia licet relatio rationis sit merũ nihil, quia tamen ad instar realis relationis concipitur, distinctum membrum relationis cõstituit, nec ad negationem revocatur; ergo idem omnino dicẽdum est de aliis entibus rationis, quæ fingũtur ad similitudinem aliorum prædicamentorum.

Secundus modus probandi nostram conclusionem erit, discurrere per cætera prædicamenta. Probo ergo dari substantiam rationis. Intellectus potest cũ fundamento concipere negationem extra subiectum, seu merum nihil, ad modum substantiæ, cuius pro-

proprium est extra subiectū existere. Deinde patet adhuc manifestius. Cum rusticus videt in tabula mortem depictam, concipit illam, tanquam substantiam cadaverica forma, partibusque constantem; ergo efficit substantiam rationis, quæ eo modo, quo concipitur, solum potest esse obiective in intellectu; etenim hominis mors nequit habere partes substantiales, ut patet. Præterea possumus etiá fingere unionem substantialem rationis inter partes Metaphysicas hominis, animal, & rationale.

Ostenditur 2. Dari quantitatē rationis, cum scilicet spatium imaginarium apprehenditur tanquam quædam quantitas extensa. Nec satisfacies, si dicas, revocari ad negationem rationis, cum sit illud spatium carentia quædam corporis; tum quia concipitur ut forma positiva, ut sic autem diximus iam, esse non posse negationem, aut privationem rationis; tum quia idem diceres de relatione, ut paulo ante argumentabamur, cum hæc quoque sit nihil à parte rei.

Suaderur tertio de qualitate. Cum enim concipimus privationem visus ad modum formæ positivæ, & denominationes extrinsecas tanquam formas intrinsece afficientes: An non qualitates rationis efformamus? An illæ aliud esse habent, nec habere possunt ut sic, nisi in intellectu? Dices: Has denominationes extrinsecas reduci posse ad relationem, quia quando intellectus illas considerat, concipit, ut dicentes ordines transcendentales ad formas, à quibus desumuntur. Contra, quia respectus transcendentalis non tollit quin res sit simpliciter absoluta, ergo illa relatio, quæ ibi concipi potest, non tollit absolutam qualitatem fictam rationis. Aliter omnia entia rationis revocarentur ad relationem, cum in omnibus considerari possit hæc relatio transcendentalis.

Quarto. Dantur actio, & passio rationis. Probatur de actione non solum in cognitione, seu actione Grammaticali, quia intellectus ens rationis efformat, sed etiam in aliis omnibus cogitationibus, quæ circa quæcumque obiecta versantur, illæ enim licet qualitates vitales sint, considerantur à nobis tanquam actiones versantes circa obiecta, tanquam circa terminos: unde fundamentum habuere Philosophi, eas vocandi Actiones Grāmaticales. De passione manifestius est, cum enim concipitur qualitas, vel quantitas rationis, ut inhærens alicui subiecto, illa receptio, seu inhærentia ut passio est, ficta est; ergo passio rationis est.

Simili ratione discurrere poteris per alia prædicamenta, si enim concipias tempus imaginarium ad modum intrinsece durationis, durationem rationis efformabis; si ipsum ens rationis in aliquo loco præsens consideres, rationis præsentiam finges; si quantitatem fictam hac, vel illa ratione, vel dispositione in ordine ad locum inspicias, situm rationis efficies; si denique confingas extrinsecam denominationem desumptam ab extrinseca vestium adiacentia, tanquam formam extrinsecam denominantem hominem vestitum, rationis habitum cognoscens.

ces; ergo divisio illa communis, adæquata non est, cum per omnes Categorias entia rationis possint confingi.

DVBIVM V.

Quenam sit caussa efficiens entis rationis.

Dico primo. Caussa principalis, proxima, & unica est intellectus. Tres partes hoc dictum cõplectitur, singulas ordine fulciemus.

Esse causam principem certo tertius est, cum ad ens rationis effingendum alterius potentiæ, vel habitus elevantis consortio non egeat.

Probo esse proximam, contra aliquos recentiores. Si aliqua esset in istorum sententia, proxima caussa esset cognitio ipsius entis rationis, atqui hæc est actio metaphorica illius productiva; ergo intellectus erit proxima caussa.

Maior difficultas est in probanda tertia parte. Suadetur nihilominus, quia si ab aliis potentiis effici posset ens rationis, maxime à sensibus externis, ab imaginatione, voluntate, aut appetitu, sed nulla ex istis illud efformat; ergo solus intellectus. Minor probatur singillatim.

Non sensus externi, quia isti cum materiales sint, versantur solummodo circa sensibilia, id est, circa entia actu, & realiter existentia, effectaque qualitatibus sensibilibus; sed ens rationis neque esse potest quid sensibile, neque existere realiter; ergo, &c.

Non imaginatio, quæ est sensus internus, quia hæc potentia ferri nequit extra suum obiectum, quod est sensibile, sed ens rationis non est sensibile; ergo, &c. Probatur minor. Nam illud obiectum est sensibile, quod per externos sensus transmittit ad internum speciem sui, illumque immutat, sed hoc nequit præstare ens rationis, ut manifestum est; ergo. Quando vero imaginatio apprehendit Hircocervum, v. g. non concipit ens rationis, cum tantum apprehendat illam figuram extrinsecam talis quantitatis, quæ non est impossibilis.

Non voluntas, aut appetitus sensitivus, quia ens rationis tunc efformatur, cum cõcipitur, quod ens non est ad modum entis, sed istæ potentiæ cognoscitivæ non sunt, ergo. Deinde licet voluntas interdum tendat in id, quod non est bonum, ac si bonum esset, cum tamen sit cæca potentia, non concipit, & fingit tale bonum, sed supponit ab intellectu confictum, aut conceptum; ergo si hic aliquod ens rationis intercedat, fiet ab intellectu, non à voluntate, aut appetitu.

Dico secũdo. Actio productiva entis rationis, est cognitio, quatenus est expressio vitalis ipsius entis rationis. Hoc dictum pugnat contra communiorem sententiam Logicorum. Probatur tamen primo. Illa est actio alicuius entis realis, qua posita ens, quod ante erat intra suas causas, concipitur esse formaliter extra illas, sed eo ipso, quod intellectus per cognitionem attingat ens rationis, dat illi existentiam, & ponit illud extra

transuas causas; ergo intellectio est actio, seu fieri entis rationis.

Secúdo Si intellectus cognoscendo obiectum reale, illud faceret, sane cognitio qua illud cognosceret esset actio effectiva illius, sed cognoscendo ens rationis, illud efficit; ergo actus cognoscens erit actio productiva illius.

Tertio. Efficere ens rationis, est repræsentare intentionaliter id quod non est ens per modum entis: atqui ista repræsentatio est ipsa cognitio; ergo idem erit cognoscere, ac repræsentare, idemque repræsentare quod efficere ens rationis, atqui intellectus est qui repræsentat ens rationis per cognitionem; ergo & illud per illam efficiet. Vnde colligo, actionem istã productivam entis rationis esse realem, non tamen propriam, sed metaphoricam, quia non influit in terminum, nisi illum repræsentando, & cognoscendo. Deinde non magis implicat ens rationis habere causam realem impropriam, quam fieri per actionem realem metaphoricam, seu Grammaticalem, idque necessario fateri debent aduersarii, nisi forte velint processum infinitum admittere in productione entis rationis. Etenim si hoc fiat per actionem rationis, illa actio erit verum ens rationis. Et de hoc redibit quæstio quomodo ab intellectu fingatur, & sic in infinitum.

Dico tertio. Per quamcunque operationem intellectus efformari potest ens rationis. De aliis operationibus, præterquam de simplicissima, omnes cõcedent, quia per illas concipere possumus relationem inter extrema, quæ relata non sunt. Probatur tamen specialiter de simplicissima apprehensione, quia simplicissimo conceptu apprehendere possum distinctionẽ realiter existentem inter rationale, & animal: Quis hoc neget? & cæcitatem ut formam positivam, deinde simplicissima apprehẽsio antecedit simplicem, & iudicium, & discursum; ergo omnia entia rationis, quæ per hos tres actus efformabuntur, poterunt per illam prius efformari.

Dico ultimo. Ens rationis nõnũquam effici potest cognitione reflexa propria, fere semper tamen efficitur per actum reflexum improprie. Ad probationẽ nota. Illam cognitionem esse reflexam proprie, qua intellectus reflectit in aliam cognitionẽ, eamque considerat ut obiectum; illam vero reflexam improprie, quæ supponit quidem aliam cognitionem, non tamen in illam reflectit eam considerando. Nũc probatur prima pars dicti, quia postquam ego construxi discursum aliquem, possum reflectere supra illum, & inter actus talis discursus cõfingere relationem rationis prioris, & posterioris. Secunda pars ostenditur, quia cognitio factiva entis rationis, supponit aliam cognitionem, qua cognoscatur illudens reale, ad cuius similitudinem tale ens rationis fingitur.

DVB. VI.

An Deus cognoscat, & efformet entia rationis.

Dico primo. Deus cognoscit omnia entia rationis per ordinem

dinem ad noſtrum intellectum cognoſcendo ea eſſe ficta, vel effingibilia ab ipſo. Probatur à priori. Deus comprehenſiva cognitione cognoſcit actus, quibus nos ens rationis efficimus; ergo attingit ipſum ens rationis. Patet conſequentia, quia actus iſti reſpiciunt tranſcendentaliter, tanquam terminum ens rationis; ergo non poteſt comprehendi iſte actus ſine tali reſpectu, neque talis reſpectus ſine tali termino, quem reſpicit eſſentialiter.

Vaſq. 1. p. d. 125. cap. 2. Reſpondet Vaſquez. Actus noſtri intellectus non dicere ordinem eſſentialem ad entia rationis, ſed tantum ad entia realia, ad quorum ſimilitudinem nos rationis entia formamus. Sed contra. Actus, quibus cognoſcimus entia realia, dicunt ordinē eſſentialem ad entia realia; ergo actus, quibus cognoſcimus entia rationis, dicent ordinem eſſentialem ad entia rationis. Probatur conſequentia. Nam ſicut illi ſunt eſſentialiter repreſentationes, & imagines entium realium, ita & iſti entium rationis. Confirmatur, quia imago, & repræſentatio alicuius rei nequit perfectè intelligi ſine tali re, ſed actus, quibus cognoſcimus entia rationis, ſunt imagines, & repræſentationes entium rationis, ut eſt certum; ergo nequeũt cognoſci quin entia rationis agnoſcantur.

Dico ſecundo. Intellectus divinus mediate ratione intellectus humani, eiuſque occaſione entia rationis efformat, intelligendum arbitror, Divum Tho. *D. Thom. 1. p. q. 15. art. 2. ad 3.* iuxta hanc concluſionem, cum in 1. p. q. 15. ar. 2 ad 3. ait. Reſpectus, quibus multiplicãtur ideæ, non cauſantur à rebus, ſed ab intellectu divino, comparante eſſentiam ſuam ad res: quibus verbis aperte docet, fieri à Deo ens rationis. Nam illi reſpectus, quibus multiplicãtur ideæ, ſunt relationes rationis. Deinde probatur ratione: Quia Deus cognoſcit entia rationis, quæ de facto habent eſſe obiectivum in intellectu humano; ergo accipiũt etiam eſſe obiectivum in intellectu divino, atque adeò fiũt quaſi ſecundario ratione intellectus humani: nam efformare ens rationis, eſt cognoſcere illud, & dare illi eſſe obiectivum.

Nec obſtat illa entia rationis ſupponi, facta ab intellectu creato: hoc enim nihil officit, quo minus fieri poſsit iterum ab intellectu divino, quemadmodum ens reale ſemel productum iterum, & ſæpius produci poteſt, quod potiori iure habet locum in ente rationis, quod neceſsitate quadam fit, eo ipſo, quo cognoſcitur.

Secundo: Quia Deus non ſolum nunc cognoſcit entia rationis, quæ actu exiſtunt in intellectu humano, ſed ab æterno, antequam exiſteret aliquis intellectus humanus illa entia rationis novit, & modo cognoſcit omnia entia rationis futura, & poſsibilia; ergo Deus ab æterno in ſuo intellectu talia entia rationis nondum facta, ab intellectu creato, efformabit.

Reſpondent aliqui recentiores, inter quos eſt noſter Iosephus Blanc, Deum ſolum cognoſcere entia rationis cognitione ſpeculatiua, non tamen practica, per quam ſolum entia rationis fiunt. Nomine autem cognitionis ſpeculativę, in- *Sect. 5. huius diſp.*

telligunt cognitionem, qua cognoscitur ens rationis factum, vel faciendum à nostro intellectu. Sed contra, quia quovis modo explicet illam cognitionem speculativam, nequeunt negare adhuc per illam ens rationis accipere aliquod esse obiectivum in intellectu divino: Deus enim quamvis cognoscat ens rationis ut producibile, vel ut productũ ab intellectu creato, eo ipso, quod illud apprehendit, dat illi aliquod esse obiectivum, sed in hoc consistit efformatio entis rationis; ergo Deus cognoscendo ens rationis, modo explicato, efficit illud.

Obiicies contra primum dictum. Si Deus cognosceret ens rationis, cognosceret id quod non est, ac si esset, sed hoc est impossibile; ergo Deus non cognoscit. Minor probatur. quia ens rationis est id quod non est, ac si esset; ergo si Deus cognoscit ens rationis, cognoscit id, quod non est, ac si esset. Resp. Deũ cognoscere id quod non est, ac si esset ex parte obiecti, non tamen ex parte modi cognoscendi, id est, Deũ habere pro obiecto id quod non est, ac si esset, quando cognoscit ens rationis, ex parte tamen modi cognoscendi versari circa illud prout est in se, quia cognoscere id quod non est ac si esset esse aliquid fictum, est cognoscere illud prout est in se.

Aliquas obiectiones, quæ fieri solent contra traditam doctrinam libens prætereo; tum quia facilem habent solutionem, tum quia solum probãt imperfectionem esse, ut Deus sine ordine ad nostrum intellectum efformet, vel cognoscat entia rationis, quod nos libenter admittimus.

DVB. VLT.

De secundis intentionibus Logicis.

TRactari hic solet de secundis intentionibus Logicis, ego breviter proponã pauca quædam necessaria de illis ad universalia, & prædicabilia melius agnoscenda.

Intentio igitur altera formalis, altera obiectiva; illa est cognitio intellectus, hæc obiectũ talis cognitionis. Deinde obiectiva duplex est, una prima, alia secunda. Prima est omne ens reale, secunda omne ens rationis. Formalis item est duplex, altera prima, altera secunda. Prima est cognitio entis realis, secunda cognitio entis rationis, supra aliquam naturam realem fundati. Vbi nota primam, & secundam intentionem formalem, & primam etiam obiectivam, semper esse entia realia, cum illæ sint reales cognitiones, ista vero obiectum reale; secũdam vero obiectivam semper esse ens rationis, ut dictum. Nota deinde, licet omnia entia rationis sint secundæ intentiones, non tamen omnia esse notiones Logicas, sed solas illas relationes rationis, quæ aliquo modo iuvant, vel fingi possunt in obiecto Logicę, ut in definitione relatio generis, & differentiæ; in iudicio relatio prædicati, & subiecti; in discursu relatio medii maioris, & minoris, &c.

Quare hæc confici poterit definitio notionis, vel intentionis Logicæ obiectivæ. Relatio rationis proxime fundata in natura, ut cognita. Relatio rationis

vicem

vicem habet generis, quia convenit etiam aliis speciebus relationum rationis, quæ Logicæ non sunt. Reliqua autem verba vicem habent differentiæ, per quam differt notio Logica ab aliis relationibus rationis, quæ proxime non fundãtur in natura ut cognita, id est, inter ipsos actus intellectus, quatenus sunt obiectũ Logicæ,& eorũ obiecta.

In fine huius disputationis nota,ens rationis non habere propriam speciem impressam, bene tamen expressã. Prima pars probatur, quia est immateriale, & insensibile, si enim immitteret speciem sui, illa prius transiret per sensus, & phantasiam, cum nihil sit in intellectu,quin prius fuerit in sensu. Secunda pars clara est:nã species expressa est cognitio repræsentans obiectum, intellectus autem per veram cognitionẽ repræsentat ens rationis.

DISPVTATIO SECVNDA.

De universo in communi.

CVM Porphyrius in sua Isagoge agat de quinque vocibus, quæ omnes universalitatis notionem participant,non incongrue prius de ratione universi in communi pauca præfabimur; quæ ad prædicabilia in particulari facilius cognoscenda conducent. Sumimus autem occasionem ex ipsa præfatione Porphyrii, in qua & instituri sui rationem, & tradẽdæ doctrinæ dilucidam methodum proponit,quam breuẽ,ac facilem fore promittit;seque Peripateticæ scholæ cõsentientia loquuturum; acturum denique de genere,specie, differentia, proprio,& accidenti.

Nos ergo totã hanc tractationem in duas partes diuisam volumus. In prima agemus de universo in communi. In secunda, de universo in particulari, contracto scilicet ad quinque prædicabilia;& in tradenda doctrina, Porphyrii methodum æmulari contendemus, claritatem maiorem afferre conabimur.

DVB. I.

Detur ne universum,& quotuplex sit.

VT omnis æquivocatio auferatur prænoto, universum multipliciter dici: nã primo unum dicitur complexũ, & alterum incomplexum. Complexum est,propositio aliqua universalis: ut Omne totum est maius sua parte. Incõplexum est res aliqua simplex dicens ordinẽ ad multa, ut Homo, animal. Prætermisso universo cõplexo, agendum nunc est de simplici, seu incomplexo,quod multiplex etiam est. Primo, in caussando, quod caussat plures effectus, ut Deus,& Sol. Secundo in significando, quod significat aliquid cõmune, ut vox homo. Tertio, in repræsentãdo,quod repræsentat aliquid cõmune, ut cognitio animalis. Quarto,in prædicãdo, & est natura abstracta à suis inferioribus,quæ de pluribus prędicatur,ut natura humana abstracta à Petro,& Paulo,quæ de illis prędicatur. Vltimo in essendo,& est natura abstracta, quæ in pluribus exsistit, ut ratio hominis, quæ abstraitur à Petro, & Paulo, & est in illis. Inter

hæc omnia universalia, universale dumtaxat in prædicando, & universale in essendo sunt quæ absolutè, & simpliciter dicuntur universalia, cum horum tantum cognitio ad quinque voces agnoscendas iuvet. Et sic de his duobus tantum in præsenti disputandum est.

Sit assertio. Præter voces plura significantes dantur naturæ universales in essendo, & prædicando, significatæ per illas voces. Ita Arist. passim, & precipue. 4. Met. c. 6. & 4. lib. cap. 5. ubi reprehendit Heraclytum, & Cratylũ, quia dicebant in rebus solum esse singularia. Et 1. de interpret. c. 5. dividit res in universas, & singulares. Divus itẽ Anselmus contrarium opinantes vocat Hæreticos Dialecticæ. Probatur ratione, quia non solum vox homo, sed etiam natura humana, significata per illam, convenit omnibus individuis naturæ humanæ, in quibus est, & de quibus prædicatur; ergo præter voces dantur naturæ universales in essendo, & prædicando.

D. Anselm. lib. de Incarnatione Verbi, cap. 2.

Confirmatur, quia in his prædicationibus, Petrus est homo, Ioannes est homo, vox homo non prædicatur, essent enim falsæ prædicationes, quia voces Petrus, & Ioannes non sunt vox homo; ergo prædicatur aliqua natura communis Petro, & Ioãni, quæ sit universalis in essendo, & prædicando.

Oppones primo. Aristoteles hæc verba habet: Vniversum aut nihil est, aut posterius est; sed voces, & conceptus sunt posteriores rebus; ergo in solis illis datur universum. Respondetur. Aristotelem illis verbis solum voluisse negare ideas à Platone confictas, quasi exsistentes ante singularia: quod præstitit asserẽdo universalia nõ esse priora ipsis singularibus, sed posteriora, id est, posito quod exsistãt singularia, in illis exsistere universalia, & posteriora esse singularibus, quia fundantur in illis.

Aristot. 1. de anima. c. 1.

Oppones secũdo. Omne quod exsistit, & producitur à parte rei est singulare, ergo non datur universum. Respondeo. Omnem rem à parte rei esse singularem formaliter, quia universa formaliter non reperiuntur à parte rei, ut infra videbimus. Dari nihilominus aliquas naturas universas fundamentaliter, quatenus tribuunt intellectui fundamentum, ut ab illo in ratione formali universi compleantur.

DVBIVM II.

Quid sit universum.

SVppono primo. In universo duo reperiri, naturam ipsam secundum suam essentiam, & relationem rationis, per quã natura formaliter universa constituitur.

Suppono secundo cum Aristotele. Vniversum debere esse unum nomine, & ratione significata per ipsum. Vna nomine erit natura, si uno nomine valeat proferri, quare complexa, ut animal rationale, non sunt universalia. Vna erit ratione, si vnã habeat essentiam, vt homo: quare analoga, & æquivoca nequeunt esse universalia, quia non habẽt unã rationem, sed multiplicẽ, ut canis ad cœlestem, terrestrem, & marinum; & sanum ad medicamentum, & animal.

Arist. 1. de interpr. c. 1.

Suppo-

Suppono tertio. Naturam, ut posſit esse universalis, requirere inferiora, in quibus multiplicetur, vel posſit multiplicari, ob huius conditionis defectum, natura divina nequit esse universalis, tametsi in tribus divinis personis inveniatur, quia nec multiplicatur in illis, nec multiplicari potest.

Suppono 4. Licet unitas necessario prærequiratur ad universum ut fundamentũ; non tamen esse de essentia universalis, aut partẽ essentialẽ, quia unitas vel est mera carẽtia, vel aliquid absolutũ; essentia autẽ universi, est relatio superioris ad inferiora, sicut similitudo essentialiter solum consistit in relatione ad aliud simile, requirit tamẽ ut fundamentum unitatem specificam qualitatis.

Suppono ultimo. Naturã universam, v. g. naturã humanã in communi quatuor modis posse considerari in ordine ad inferiora. Primo, ut apta, vel potẽs exsistere in multis. 2. ut actu exsistẽs in illis. 3. ut potest prædicari de multis. 4. ut actu de illis prædicatur. Quę mẽbra tradũtur expresse ab Arist. var. in loc. Vnde quatuor relationes rationis oriũtur in natura ad sua inferiora diversimode comparata. Prima est, relatio naturę potẽtis exsistere in multis. 2 relatio actu exsistẽtis in multis. 3. relatio potentis prædicari de multis. 4. relatio naturæ actu prædicatæ de multis. Difficultas ergo in præsenti est, in qua istarum relationum essentialiter consistat universum formale, seu Logicum. Recentiores multi summopere contendunt per quamcunque ex his 4. relationibus constitui naturam Logicæ universam. Nihilominus

Primum. 7. Metaphysic. cap 13. Secundũ, lib. 1. de partib. animal. cap. 4. Tertiũ. 1. de interpret. c. 5. Quartum. 3. Topicor. c. 6.

Sit conclusio. Vniversum formale solũ cõstituitur essentialiter per primã relationẽ rationis, qua natura cõcipitur potens exsistere in multis. Probatur 1. quia per illam relationẽ constituitur natura universalis, per quã primo cum fundamẽto constituitur relata ad multa: cũ essentia sit, quod primo cõcipitur in qualibet re; atqui per solam relationẽ potentis exsistere in multis, constituitur natura primo relata ad multa; ergo per solam istã constituitur universalis Logicę.

Secundo, quia ex eo aliqua natura universalis est actu in multis, & prædicatur de multis, sive potẽtia, sive actu, quia potest esse in illis, & non è contra: ideo potest esse in illis, quia de illis prædicatur, vel quia actu est, etenim etiam si actu non esset, vel non prædicaretur actu, vel potẽtia, adhuc tamẽ posset exsistere; ergo cum hæ relationes sint entia rationis cum fundamento, & ad similitudinem entis realis, prius erit posse esse, quã actu esse, vel utroque modo prædicari.

Collige ex dictis, posse prædicari de multis, esse proprietatẽ universi, quia supponit essentiã illius, & eam primo consequitur necessario, quod non ita intelligendum est, ut posita relatione potentis exsistere, necessario fingenda sit relatio potentis prædicari: nam licet hoc verum sit in proprietatibus realibus, non tamen in proprietatibus rationis, cum hę etiã libere ab intellectu fingantur; sed in eo sensu diximus necessario sequi essentiam, ut si aliquid cum fundamento fingendum sit post relationem

potentis exsistere debeat esse relatio potentis prædicari, quæ cõnexio necessaria satis est ad proprietates rationis. Ex eo enim, quod natura possit esse in multis statim quasi necessario, sequitur posse prædicari de multis; at vero actu esse in multis, & actu prædicari de illis sunt accidentia communia universi, quia illi contingenter adveniunt. Vnde sicut in homine posse ratiocinari est essentia; posse ridere proprietas; actu ratiocinari, & actu ridere accidentia communia, ita cum proportione in præsenti dicendum.

Obiicies primo. Sicut universum Metaphysicum est natura abstracta à singularibus, ita universum Logicum relativum est natura comparata ad singularia; atqui universum Metaphysicum non cõstituitur essentialiter per aptitudinalem abstractionem à singularibus, sed per actualem; ergo similiter neque universum formale constituetur essentialiter per aptitudinalem comparationem, sed per actualẽ. Respondeo. Vniversum Metaphysicum constitui essentialiter per actualem abstractionem, quia ante illam nihil omnino est, quod illud facere possit universum; solum ergo reperitur fundamentum in natura ad illud efficiendum, fundamentum autem ut resultet aliqua forma, non est essentia, seu posse esse talis formæ; universum vero formale ante actualem cõparationem, est iam per relationem rationis potentis exsistere, unum in multis, atque adeo universum relativum. Vnde optime definietur universale Logicum relativum: Vnum aptum esse in multis. Potẽtia autem ut sit universale Metaphysicum, non est vera aptitudo universalis, sed solum fundamentũ, quod reperitur in inferioribus similibus in natura.

Obiicies ultimo. Aristoteles definit: Vniversum (ut supra notavimus) non solum per posse esse in multis, sed etiam per posse prædicari, actu esse, & actu prædicari de multis; ergo sentit Aristoteles præter illud universum, quod per posse esse in multis cõstituitur, constituenda esse tria alia universalia specie distincta. Nego consequentiam: quia Aristoteles tradidit unam definitionem essentialem, & alias descriptivas, vel accidentales.

DVB. III.

Vtrum, & quæ distincta sint prædicata universalia à suis singularibus, vel inferioribus.

NOn controvertam de separatione, sed de distinctione: error enim Platonicus seipsum prodit satis, dum universales naturas à singularibus realiter separatas admittit, quas ideas vocat. Quam opinionem frivolam ac sine fundamẽto esse iudicat Peripatetica schola, cum suo duce Aristotele: cum enim istæ naturæ sint de essentia singularium, implicat omnino etiã divinitus, ut ab illis etiam separari possint: quare ad faciliora gradum facio.

Præmitto tamen primo. Distinctionem duplicem, alteram realem, rationis alteram. Realis est, quæ in rebus ipsis reperitur

ante

ante intellectus operationē, sive inter rem & rem, sive inter rem & modum, de qua alibi. Distinctio rationis est, quam mens fingit inter ea, quæ distincta non sunt.

Præmitto secūdo. Distinctionem hanc rationis duplicē item esse. Primam, rationis ratiocinatæ, seu quę cum fundamento cōfingitur, ut distinctio inter iustitiam Dei, eiusque misericordiam. Secundam, rationis ratiocinantis, quæ sine fundamento, libere ab intellectu concipitur, qualis est distinctio inter Petrū & seipsum. Hanc secundam distinctionem multi reiiciunt, ut Vazquez, cui subscripsit noster Blanc. Res est non magni momenti: placet tamen illam breviter hoc loco contra prædictos auctores defendere. Primo, quia nulla potest assignari ratio ob quam intellectus libere nō possit Petrum concipere sub aliqua ratione à seipso diversum, v. g. in hac prædicatione, Petrus est Petrus. In qua intellectus distinguit Petrum in ratione subiecti ab ipsomet in ratione prædicati, quid enim aliud ad distinctionem sine fundamento requiritur? Confirmatur. Si Petrus divina virtute, in duobus locis existeret, posset intellectus illū in duos quasi distinguere, ratione loci; ergo & modo ratione prædicati, & subiecti.

Vazq. 1. p. disput. 177. cap. 1. Ioseph. Blāc disput. 1. de universo, sectione 4.

Obiicies primo. Ista prædicatio, Petrus est Petrus, idem significat, ac Petrus est idem cum seipso; ergo per illam non distinguimus per rationem Petrum à seipso. Respondeo, nos concipere Petrum, ut idem cum seipso in essentia, ut distinctum tamen in ratione subiecti ab ipso in ratione prædicati apprehenso.

Obiicies secundo. In prædicatione idemptica, subiectum, & prædicatū formaliter differunt; ergo prædicatio idemptica minime differet à formali. Neganda consequentia: nam in prædicatione formali aliquid significatur in attributo clare, quod obscure significabatur in subiecto, at vero in idemptica, quod clare in subiecto dicitur, clare in prædicato enuntiatur, solumque termini differunt in ratione prædicati, & subiecti. Vnde in hac propositione, Petrus est Petrus, non datur eiusdem termini repetitio, cum diverso mōdō in prædicato, ac in subiecto concipiatur. His positis, sit iam

Prima assertio. Prædicata universalia non distinguntur realiter à singularibus. Est communis sententia, colligiturque ex Philosopho, dicente, universale nihil esse præter multa singularia. Quibus verbis non solum reiicit ideas Platonicas, sed etiam realem distinctionem universalium à singularibus.

Arist. 7. Metaph. c. 17.

Probatur. Deinde ratione facta contra Platonem, quæ id etiam convincit; singularia essentialiter continent ista prædicata superiora; ergo hæc realiter ab illis differre non possunt.

Secunda assertio. Neque differunt distinctione Scotica, sive ex natura rei, quam Scotus excogitauit inter realem, quæ reperitur inter duas entitates invicem separabiles, & realē modalem, quæ est inter rem & modum, qui separari nequit à sua re, licet res separari possit ab illo; hancque distinctionem Scoticam vocare solent Scotistæ, Realem formalem. Probatur as-

sertio primo. Istæ prædicationes Petrus est homo, Ioannes est homo, sunt veræ, sed Petrus, & Ioannes non habent aliquid diversum ex natura rei ab homine; ergo homo ex natura rei realiter distinctus non est à Petro, & Ioanne: unde prædicata superiora ex natura rei, non distinguẽtur ab inferioribus. Minor probatur: quia hæc prædicatio est falsa, Petrus est anima, quia Petrus præter animam dicit aliud realiter distinctum, nempe corpus; ergo si Petrus diceret differentiam individualem realiter diversam ab homine, falso Petrus & homo prædicarẽtur tanquam realiter idẽ; ergo sunt idẽ ex natura rei: itaque ratio omnibus prædicatis universalibus convenit.

In 2. dist. 3. quæst. 1. Obiicit Scotus. Illa distinguntur ex natura rei, quæ diversas habẽt definitiones, atqui gradus superior, & inferior diversas habẽt definitiones, cum unus non includat alium in suo formali conceptu, ergo, &c. Distinguo maiorem. Illa distinguntur ex natura rei, quæ habẽt distinctas definitiones obiectivas ex natura rei. Concedo maiorẽ, quæ habẽt diversas formales. Nego maiorem: nã eadem res multis definitionibus formalibus potest definiri; imo retorqueo argumentum, & ex ipsa doctrina Scoti illud urgentius impugno.

Secundo. Ex hac Scoti doctrina, si vera sit, sequitur hominem esse ex natura rei diversum à seipso: hoc est absurdum, ergo & illud. Probo sequelam: quia homo habet duas definitiones, vnã physicam, alteram metaphysicã; ergo si quæ diversas sortiuntur definitiones ex natura rei dissident, homo à seipso similiter distinguetur.

Tertio. Inde etiam fieret unũ attributum divinum ex natura rei differre ab alio, & quodcunque ab essentia, cum diversas vẽ dicent definitiones; quod licet Scotus non vereatur admittere, merito tamẽ absurdũ reputat cõmunis sententia Theologorũ, inde enim fieret omnipotentiam Dei non esse essentiam Dei, atq. adeo per aliquam compositionẽ uniri cum divina essentia, quod ad doctrinã Gilberti Porretani videtur accedere, quam damnavit Rhemense Concilium. Sed de hoc fusius agitur contra Scotum in materia de essentia, & attributis divinis.

1. Tertia assertio. Prædicata superiora ab inferioribus, differunt distinctione rationis ratiocinatæ, id est cum fundamẽto in re. Primo, quia intellectus definit, Animal non cogitando de homine, & hominẽ non concipiendo Petrũ; ergo cum fundamento discrepant per rationẽ. Secundo, Petrus per rationem hominis, convenit cum Paulo, & ab eo differt per differentiam individualem; ergo sufficiens est fundamẽtum ad distinguendũ id in quo convenit, ab eo in quo differt. *D. Tho. 1. p. q. 50. art. 1. in corpore, & q. 76. art. 3. & 4. Caiet. de ente, & essentia c. 4. q. 6. Scn. 7. Meta. q. 36. Durand. in 2. d. 3. q. 1. nu. 14. Capreol. Soto, CC. Pla, noster Blanc. & cõmuniter recentiores.*

Oppones primo. Petrus, & Paulus sunt similes, & dissimiles; ergo illud in quo sunt similes realiter distinguitur ab eo, in quo sunt dissimiles: non enim potest una, & eadem res esse principiũ similitudinis, & dissimilitudinis, sed sunt similes in natura humana, & dissimiles in propriis differẽtiis; ergo natura humana, & propriæ differentiæ realiter distinguntur. Resp. negãdo 1. consequentiam, & eius probationem. Potest enim eadẽ res esse principium similitudinis cõmunis,

nis,& disimilitudinis particularis: nam in Deo ratio entis nõ distinguitur realiter à ratione talis entis, scilicet increati,& infiniti,&c.& tamen in ratione entis cõvenit Deus cum creaturis, à quibus distinguitur per rationem talis entis increati, & infiniti. Vnde iam una,& eadem entitas divina est in Deo principium similitudinis, & disimilitudinis respectu eiusdem, scilicet respectu creaturarum.

Oppones 2. Natura humana, v.g. realiter separatur à Petro, cũ reperiatur in Paulo, ergo distinguitur realiter à Petro, quia quę realiter separãtur, realiter distinguntur. Resp. Ex hoc argumẽto solum sequi naturã humanã existentem in Paulo, realiter distingui à Petro, quod nos non negamus: solum enim asserimus naturam universam existentem in Petro, v.g. non distingui realiter ab illo, à quo nec divinitus potest separari.

Oppones 3. Si Petrus,& Paulus essent idem realiter cum natura humana, etiam essent idem realiter inter se, nam quæ sunt eadẽ uni tertio, sunt eadẽ inter se. Consequens est falsum, ergo & antecedens. Resp. A parte rei non reperiri unam naturam humanã in Petro, & Paulo, cũ qua idemptificẽtur, sed potius naturam humanã multiplicari realiter ad individuorũ multiplicationẽ; quare Petrus est idem realiter cum natura humana, quam in se habet, & Paulus similiter idemptificatur realiter cum natura humana, quam in se includit: & ita non sunt à parte rei idem realiter cum uno tertio, & per consequens neque inter se.

DVBIVM IIII.

Vtrum à parte rei detur unitas formalis, & in quo consistat.

PRæmoneo 1. ex Metaphysica: Voitatem dicere carentiam divisionis in se, & carentiam coniunctionis cum alio. Vtrum autem unitas consistat essentialiter in carentia divisionis, vel in entitate, quam consequitur talis carentia, ad Metaphysicũ spectat definire, nobis autẽ hoc secundũ magis placet: quare unitas erit indistinctio rei in se, & distinctio à qualibet alia extra se. Vnde quot sunt divisiones, tot erunt unitates illis proportionaliter respondentes.

Præmoneo 2. Præter unitatem præcisionis, de qua dubio sequẽti, duplicem aliam esse unitatẽ: unam materialem, quę etiam numerica, vel individualis nominatur; alteram formalẽ, sive essentiæ. Materialis est entitas habẽs carentiã divisionis per differentias materiales, & individuales, qua ratione Petrus est unus unitate materiali, quia non potest dividi in varia individua. Formalis est entitas dicens carentiam divisionis per differentiam essentialem, ut homo est unus unitate formali, quia non est divisus in plures homines essentialiter, & specie diversos.

Sit prima conclusio. Præter unitatẽ numericam datur à parte rei unitas formalis conveniens rebus ipsis ante omnem operationem intellectus. Pro-

batur, quia cum unitas sit proprietas entis, quot modis aliquid est ens, tot modis est unū; sed Petrus, v.g. est ens, qua Petrus, & qua homo; ergo erit unus qua Petrus, & qua homo; sed ut Petrus est unus unitate materiali, ergo ut homo erit unus unitate formali.

Cōfirmatur, quia sicut Petrus à parte rei caret divisione numerica, ita caret divisione essentiali, sive specifica, sive generica; sed Petrus, quia caret divisione numerica, habet unitatem materialem; ergo quia caret divisione essentiali habebit unitatem formalem.

Secunda conclusio. Vnitas formalis, & materialis in quolibet individuo non distinguuntur realiter, sed ratione tantum, cum fundamēto in re. Probatur, quia unitas sequitur entitatem, & naturam cuius est unitas, cum sit illius proprietas, sed natura humana, v. g. quæ est in Petro, nō distinguitur realiter, sed solum ratione cum fundamento in re ab ipso Petro, & ab eius differētia individuali; ergo eadem distinctione distinguentur inter se unitas formalis hominis, & materialis Petri.

Dices primo. Natura humana prout est à parte rei, est singularis, ergo eius unitas erit singularis, & numerica, & non formalis. Respondeo, hoc argumentum solum probare à parte rei, non esse unitatem formalem distinctam à singulari, sicut nulla datur natura specifica, distincta à differentia individuali, quod libenter admittimus.

Dices secundo. Petrus solum habet unam entitatem, ergo & unam unitatem, & nō duplicem formalem, & materialē. Respondeo, Petrum unicam dumtaxat sibi vēdicare entitatem, & unitatem realiter; quia tamen eius entitas per intellectum in plures entitates potest distingui, ita & eius unitas in materialē, & formalem.

Dices tertio. Natura humana est multiplicata in inferioribus; ergo non est una unitate formali. Respondeo, naturam humanam non esse unam in omnibus suis inferioribus, sed multiplicem, multiplicatur enim ad multiplicationem inferiorum; atque adeo unitatem formalem non esse unam in omnibus, sed unam in quocunque inferiori; esse tamen diversam à materiali, quia hæc est unitas individualis differentiæ, illa vero essentialis.

DVBIVM V.

An naturæ secundum se conveniat aliqua unitas præcisionis.

AFfirmabit sine dubio Fonseca, cum Scoticā distinctionem, ex natura rei inter naturam, & singularia admittat. Quare cum supra docuerim, nullatenus admittendam prædictam distinctionem, quæstio hæc confecta videbatur; illam tamen instituo, tum ut nōnullis difficultatibus faciam satis, tum potissimum, ut unitatē præcisionis aperiam.

Ad faciliorem difficultatis huius enodationem, triplicem naturæ statum considerare possumus. Primus est naturæ secundum se, prout dicit sua prædi-

cata

cata essentialia, qui status vocari solet, Solitudinis. Secundus status est naturæ, ut existentis in suis singularibus. Tertius eiusdem quatenus abstractæ mentis auxilio à differentiis inferiorum.

Sit ergo certa conclusio Natura ante intellectus abstractionem, nullam unitatem præcisionis obtinet. Probatur primo. Talis natura sola ratione differt à singularibus, ergo quamcunque unitatē obtineat, obtinebit tantum ut distincta ratione à singularibus, ergo non secundum se. Probatur consequentia. Illa natura realiter est idem cum inferioribus, ergo implicat habere realem unitatem, quam non etiam ipsa inferiora participent, sicut de unitate formali nuper dicebamus.

Secundo. Ista unitas convenit naturæ secundum se, ergo etiam convenit in inferioribus existēti, unde non erit proprie præcisionis. Probo consequentiā: quia rationale convenit homini secundum se, convenit etiam in Petro, & Paulo, & ubicunque sit homo; ergo idem in nostro casu dicendum.

Tertio. Natura non præcedit ipsa inferiora, ergo nequit ante contractionem ad illa vendicare præcisionis unitatem, quæ communis sit. Consequentia per se constat. Antecedens etiam patet, quia natura seipsam nequit præcedere, sed realiter illa natura est idem cum singularibus; ergo neque hanc præcedere poterit.

Nec dicant adversarii, talem unitatem convenire naturæ ut possibili, etenim illa unitas realis est in eorum sententia, ergo si natura potest existere, etiam illa unitas existere poterit, atque adeo convenire naturæ ut existenti. Ens enim reale illud est, quod potest existere. Quod si illi repugnet à parte rei existere, erit mera unitas rationis iuxta ea, quæ de rationis ente supra tradidimus.

Nec item dicant. Naturam secundum se non includere differentias individuales, etq. adeo ut sic sortiri posse aliquam unitatem; etenim licet non includat tales differentias tanquam prædicata essentialia naturę, includit tamen realiter, & cum illis realiter idemptificatur. Quod si aliquam prioritatē habeat natura ante inferiora, est tantum prioritas in subsistendi consequentia, quia cum natura possit esse in aliis individuis, quin sit in Petro, v.g. non bene valet est homo, ergo est Petrus; cum vero Petrus non possit esse quin sit homo ideo valet, est Petrus, ergo est homo. Nullus autem dixit, istam prioritatem sufficere ad tribuendā toti naturæ secundum se unitatem realem præcisionis.

Obicies. Naturæ secundum se conveniunt aliqua prædicata, quæ singularibus non competunt, ut esse ingenerabilem, & incorruptibilem; ergo hæc aliquam dicunt in natura præcipuam unitatem.

Respondeo. Naturam per intellectum præcisam non esse generabilem, vel corruptibilem, alio autem quocumque modo, & corrumpi, & generari cum inferioribus. Vnde constat nullam unitatē præcisionis habere naturam, quam nō accipiat ab intellectus actu illam abstrahente.

DVB.

DVBIVM VI.

Nonnullæ difficultates obvie proponuntur, & explicantur.

DIfficultas prima. An à parte rei duo individua eiusdem speciei, v. g. Petrus, & Paulus, possint dici unum formaliter, positive, aut negative.

Respõdeo. Neutro modo posse dici unũ formaliter. Prima pars nempe non posse dici unũ positive, evidenter infertur ex iis, quæ dubio 4. diximus. Vnitatem scilicet formalem, non differre à materiali, & multiplicari à parte rei pro individuorũ multiplicatione; tum etiam ex eo, quod dubio proxime præterito concludebamus, nullam unitatẽ convenire naturæ communem multis sine intellectus operatione. Ex quibus manifeste convincitur Petrum, & Paulum à parte rei dici non posse unum formaliter: quare in eo fusius probando immorari non iuvat. Secunda pars, utpote adhuc non posse individua eiusdem speciei dici unum formaliter negative, probatur: quia ex eo à parte rei duo individua eiusdem speciei nequeunt dici unum formaliter positive, quia à parte rei non datur aliqua entitas positiva, quæ sit una in illis formaliter: sed similiter non datur à parte rei una nõ distinctio formalis, sive una carentia distinctionis formalis, quæ sit una formaliter in illis; ergo, &c. Minor probatur, quia quamlibet naturã humanam sequitur sua non distinctio formalis, sive sua carentia formalis distinctionis ab alia; ergo sicut natura humana multiplicatur in omnibus individuis, ita carentia formalis distinctionis multiplicabitur in omnibus illis.

Ita D. Tho. de ente, & essentia c. 4. & communiter recentiores.

Obiicies contra primam responsionis partẽ. Inter Petrum, & Paulum à parte rei datur realis relatio similitudinis in natura humana, sed talis relationis fundamentum est unitas humanæ naturæ illis communis; ergo datur à parte rei unitas aliqua, in qua Paulus, & Petrus sunt unum. Respondeo. A parte rei non reperiri inter Petrum, & Paulum unicam relationem similitudinis fundatam in natura utrique communi, sed in unoquoque dari unam relationem fundatam in unitate formali, quam quisque habet à parte rei simile unitati formali alterius, & ab illa distinctam.

Obiicies 1. contra 2. responsionis partẽ. Eo modo, quo aliqua non distinguuntur sunt unũ, sed à parte rei Petrus, & Paulus non distinguuntur formaliter; ergo sunt unum formaliter, saltẽ negatiue. Respondeo. Petrum, & Paulum à parte rei non distingui formaliter per unam non distinctionem, seu entiam distinctionis, sed per duplicem, quarum una est in Petro respectu Pauli, & alia in Paulo respectu Petri. Istę autem duæ non distinctiones fundamẽtaliter dici possunt una à parte rei, quatenus sunt fundamentum ut fiat una formaliter per intellectum.

Ex his autem, & ex supra dictis de unitate formali, & materiali naturæ, facile colligi potest, in quolibet individuo tot esse unitates formales ratione diversas, quot sunt prędicata essen-

sentialia ipsius ratione etiã differentia. Vnde Petrus formaliter est unus homo, & ratione istius unitatis fundat relationẽ similitudinis cum Paulo; est etiam unum animal, & ut sic dicit relationem etiam ad equum, & sic de cæteris attributis, unũ vivens, unum corpus, una substantia, &c.

Difficultas secunda. An unitas formalis naturæ sit privatio, vel negatio. Ad responsionẽ revoca in memoriam, quod supra attigi, quamlibet naturam unam, præter entitatem positivam, dicere tanquam proprietates duas carentias. Prima est, carentia divisionis in se, quia Petrus formali unitate unus est, & non multiplex homo. Secunda est, carentia coniunctionis cum alio, quia Petrus non est formaliter, & realiter equus. Nunc ergo. Respondeo. Carentiam utrãque esse negationem. Probatur manifeste. Negatio est carentia formæ in subiecto inepto ad illam, sed Petrus est ineptus, tum ut dividatur in plures homines, tum etiam ut sit equus, vel canis; ergo unitas formalis quocumque modo sumatur, supra entitatem rei positivam, solum addit meram negationem.

Difficultas tertia. An si natura distinctione Platonica, aut Scotica, differret ex natura rei ab inferioribus, tunc temporis esset formaliter universa? In partem affirmantem non ignobiles Philosophi abierunt, cum bona tamen eorum venia in negãtem propendeo, quod eius argumenta censeam efficaciora.

Probo ergo, in eo casu non fore universam: quia vel natura humana ex natura diversa ab inferioribus multiplicaretur in singularibus, vel non. Si primum, ergo in utroque singulari esset suus gradus superior, qui in eo tantummodo reperiretur. Et ita non esset universale, cum non foret unum in multis, sed multiplex in multis. Si secundum dicas, neque adhuc illa ratio esset universalis, quia non haberet plura inferiora, etenim inferiora hominis, sive naturæ humanæ debent esse plures homines: sed si ratio hominis non multiplicaretur, tantum essent multæ differentiæ individuales; ergo, &c. Confirmatur exemplo manifestissimo. Etenim quia natura divina eadem est in tribus Personis divinis, licet istæ multiplicentur, non tamen dicuntur Dii; ergo si ratio hominis non multiplicaretur in inferioribus, essent quidem Petreitas, & Pauleitas, non tamen plures homines.

Dices. Illa unitas nõ esset singularis, ergo universalis. Respõdent tamen Scotistæ, nec esse singularem unitatem illam, nec universalem, quod quam verum sit ego non curo, cum talẽ unitatem non admittam: quare si quid probaverint adversarii, id totum impugnavit illam unitatem, non tamen probabit illam esse universam ob rationes positas.

DVB. VII.

Quænam unitas ad naturam universam requiratur.

DOcuimus dubio primo huius disputationis, ad universum requiri unitatem ut fundamentũ necessarium, modo vi-

do videndum est quęnam sit ista unitas.

Præmitto, unitatem individualem non sufficere ad universale, quia cum universale pertineat ad multa, individuũ vero ad unũ solũ: unitas individualis non solum nõ sufficit ad universale, sed potius illud destruit.

Præmitto 2. Formalẽ unitatẽ essẽtialiter requiri tanquã fundamentũ ad universale, nã universale debet esse unũ natura, & essẽtia, ut vidimus ex Arist. sed unitas formalis est unitas naturæ, & essentiæ; ergo essentialiter requiritur ad universale.

Dico primo. Vnitas formalis non sufficit ad universale. Probatur à priori, quia unitas rei universalis, ut universalis, est illi tam propria, ut rei singulari nõ conveniat, sed unitas formalis convenit rei singulari: nam, ut vidimus, reperitur realiter in individuis; ergo non sufficit ad universale.

Dico secundo. Præter unitatem materialẽ, & formalem, quę reales sunt, constituẽda est unitas quædam rationis in natura, ut denominari possit formaliter universa, quæ dicitur unitas universalis, seu pręcisionis, quia convenit naturæ, vt præcise ab inferioribus. Probatur. Natura humana à parte rei est multiplex, sed antequam cõparetur ad multa, concipitur ab intellectu ut una, quia refertur quatenus una in multis; ergo intellectus tribuit naturæ humanæ unitatem quandam rationis, & consequẽter distinctam ab unitate materiali, & formali, quæ sunt reales.

Cõfirmatur. Intellectus effor mat distinctionẽ rationis quãdo concipit ut distincta, quæ distiũcta non sunt; ergo etiã efformabit unitatẽ rationis, quãdo concipit ut unum, quod in re non unum, sed multiplex est; atqui natura humana à parte rei est multiplex, & ab intellectu cõcipitur una; ergo efformat unitatem rationis, & universalem à materiali, & formali omnino diversam.

Adverte, hanc unitatem universalem includere carentiam divisionis unius naturæ in plures naturas inferiores, cum aptitudine tamen ut in eas dividatur. Prima pars probatur, quia si natura non diceret carentiam differentiarum inferiorum non esset una, sed multiplex, quia quod est actu divisum, multiplex est. Secunda pars probatur: quia licet natura humana quatenus una per intellectum non sit actu divisa in plura inferiora, est tamen apta, ut dividatur in illa, in quo distinguitur ab ipsa natura, prout à parte rei exsistẽti; ergo dicit carentiam divisionis in naturas inferiores, cũ aptitudine ut in eas dividatur, & ita talis carentia erit privatio.

Collige ex dictis: nec unitatẽ æquivocam, nec analogam, nec transcendentalem ad universum sufficere, quia unitas æquivoca, & analoga non est unitas essentiæ, sed multitudo; atque adeo non est unitas formalis, quæ ad universale requiritur; unitas vero transcendentalis non est proprie unitas præcisionis, quia nũquam ita præscinditur per intellectum ab inferioribus, ut in eis per intellectum non includatur.

(:)

DVB.

DVB. VIII.

Præcipuis rationibus ostenditur naturam nõ esse formaliter universam ante intellectus operationem.

SVppono. Naturam secundum se neque esse universalem, neque singularem. Non primum, quia quæ conveniunt naturæ secundum se, semper, & ubicunque ei conveniunt etiam in singularibus existenti: sed naturæ humanæ in singularibus existenti, non convenit esse universalem; aliter Petrus esset universalis, ergo, &c. Non secundum, quia si natura secundum se esset singularis, semper, & ubicumque esset singularis, & nunquam posset fieri universa, adhuc per intellectum, quod est falsum, ut dicemus.

Dico primo contra Monlorium, & alios. Nulla natura à parte rei est actu, & formaliter universa. Hanc sententiam tenet passim Aristoteles, dicens: Vniversale aut nihil est, aut posterius est, id est, post operationem intellectus, ut D. Tho. & pene omnes Doctores interpretantur.

Aristot. passim, sed præcipue 10. *de anima, cap.* 1. *tex.* 8.

Probatur primo ratione: quia nulla res potest esse universa per illud idem, per quod est singularis; atqui à parte rei omnis natura adæquate, & secundũ se tota est singularis; ergo nulla natura à parte rei est formaliter uniuersa. Maior patet ex discrimine inter universale, & singulare; minor etiam constat ex dictis, ergo, &c.

Secundo: quia si universalitas cõveniret naturæ à parte rei, vel conveniret illi in singularibus, vel extra singularia; non primũ, nam ut sic non distinguitur ab illo singulari, in quo est, & repugnat ei esse in alio: neque ut est in pluribus singularibus: nã ut sic non retinet unitatem, & indivisionem requisitam ad universalitatem, ut diximus: neque secundum, etenim natura ut est extra singularia, solum est possibilis; atqui ut sic, non magis potest esse universa, quam eadem existẽs in uno, aut pluribus singularibus, ut superius probabamus; ergo non potest dari à parte rei universum formale.

Tertio. Quælibet unitas realis conveniẽs naturæ à parte rei cõmunicatur etiam individuis talis naturæ, ut patet in unitate formali: atqui unitas universalis est propria naturæ universalis, ita ut individuis nullo modo possit communicari; aliter si communicaretur, Petrus esset unus universaliter, sicut est unus formaliter, quod est absurdum; ergo non datur à parte rei universum formale.

Quarto: Quia universum, vt diximus, essentialiter est unum in multis, sed nulla natura prout existit à parte rei, est una in multis, cum omnis natura existens à parte rei sit singularis, & individua, cui ut sic repugnat esse in multis; ergo nulla natura à parte rei est formaliter, & actu universa.

Hic nota. Fere omnia hæc argumenta militare etiam contra distinctiones supra impugnatas Platonis, & Scoti, & quæ contra illos diximus, posse etiam contra Monlorium adduci.

Ex

Ex dictis aperte constat, universum formaliter esse accidens rationis conveniens naturæ per intellectum, cum fundamento in re: nam cũ universalitas conveniat naturæ aliquo pacto, & non à parte rei, solum restat ut illi conveniat per intellectum; tum quia totum impedimẽtum, ut natura à parte rei sit universa, est contractio, & determinatio eius per differentias individuales, cum quibus idemptificatur: atqui hoc impedimentum tollitur per intellectum concipientem naturam in communi absque differentiis individualibus; ergo fit universa per intellectum cum fundamento in re: quod fundamentũ idem est cum illo, quod reperitur ad distinguẽdam naturã à singularibus, nempe similitudo illorum in natura, & unitate formali.

Dices primo. Natura humana secundum se, est una, (cum sit ens, & unitas sit proprietas entis) sed non est una unitate singulari, ergo unitate universali, ergo secundum se, & à parte rei est universalis, cum inter unitatem singularem, & universalem non detur medium. Respondetur. Naturam nunquam existere à parte rei secundum illum statum solitudinis; si tamen consideretur secundũ se, esse unam non unitate singulari, neq. universali, sed unitate formali, & transcendentali, quæ consequitur omne ens: unde inter unitatem singularem, & universalem datur medium, scilicet unitas formalis, vel essentiæ, aut prædicatorum essentialium.

Dices secundo. Natura secundum se est una unitate formali, atqui ut sic est communicabilis multis; ergo secundum se habet omnia requisita, ut sit universa formaliter. Minor probatur: nã natura humana secundum se nõ est incommunicabilis multis, sic enim nunquam multiplicaretur numero; ergo secundum se est communicabilis. Vltima cõsequentia probatur: nam communicabile, & incommunicabile sunt contradictoria; sed inter contradictoria non datur medium; ergo alterum illorum necessario debet convenire naturę, sed secundum se non est incommunicabilis; ergo est communicabilis, & per consequens universa formaliter.

Respondetur. Naturæ humanæ secundum se neque convenire esse multiplicabilem, neque inmultiplicabilẽ: nam hæc sunt accidentia rationis, & solũ conveniunt naturæ per intellectũ, sicut homo secundum se, neque est albus, neque non albus, sed solum animal rationale. Ad probationem consequentiæ dico. Licet inter contradictoria non detur medium à parte rei in ordine ad existentiam, & ideo homo à parte rei vel est albus, vel non albus, tamen in ordine ad rem secundum se, quatenus concipitur ab intellectu secundum sua attributa essentialia, datur medium, & ita homo potest concipi ut animal rationale, non considerando an sit albus, vel non albus: similiter in præsenti concipitur præcisive solum natura humana secundũ se, absque eo, quod concipiatur ut cõmunicabilis, vel incommunicabilis.

Dices tertio. Natura humana, v. g. à parte rei est actu in multis, ergo à parte rei habet potentiam.

tiam ut sit in multis: nam omnis actus supponit potentiam; ergo à parte rei est universa, nam universum est unum aptum ad essendum in multis. Resp. Naturam à parte rei non habere potentiam ut sit in multis, quia à parte rei non est una natura indivisa in multis, sed divisa realiter, & multiplicata in quolibet singulari, & idemptificata cum illo, atque ita cum singulare nõ habeat potentiam ut sit in multis, neque ipsa natura: unde natura à parte rei solũ habet quandam non repugnantiam, ut sit in multis singularibus, ex eo quod cuilibet singulari non repugnat habere aliud simile: hoc tamen non sufficit ut sit universa formaliter à parte rei, quia natura à parte rei non est apta ut sit in multis proxime, & formaliter per aliquam potentiam sibi intrinsecam, quare solum est apta remote, & fundamentaliter, ut eam intellectus universam efficiat.

Neque aliquid efficacitatis habet, quod ab aliquibus adfertur de materia prima, quę potest esse successive in multis formis, ut dicere cogamur eandem naturam humanam posse esse in multis singularibus: est enim ratio diversissima, nam materia realiter distinguitur à forma, & ita recte potest, quæ nunc habet formam hominis, postea habere formã cadaveris: at vero natura non distinguitur realiter à differentia individuali, & ita quæ nunc est sub hac differentia individuali, non potest illam amittere, & aliam induere.

DVBIVM IX.

Per quem intellectum, & per quam ipsius cognitionem fiat universum.

NOtandum primo est, nos hic non agere de universo Metaphysico, de quo inferius, sed de Logico formali, quod dicit quidem naturam abstractam, at non ut sic, sed ut dicentem relationem rationis ad inferiora.

Notandum secundo, ex Aristotele, intellectum esse duplicem; unum agentem, & alium patiẽtem. Intellectus agens est, qui producit species rerum, per quas ipsæ intelliguntur: nam sicut ad hoc ut videatur paries, requiritur species sensibilis repræsentans colorem potentiæ visivæ; similiter ad hoc, ut res aliqua intelligatur, necessaria est species, quæ repræsentet intellectui talem rem; intellectus ergo agens est, qui producit hanc speciem medio phantasmate, quod est similitudo exsistens in phantasia, seu imaginatione repręsentans rem eo modo, quo à sensibus externis illam accipit. Unde intellectus agens non intelligit, sed solum producit species necessarias ad intelligendũ, sive acceptas à phantasia defœcat, & exuit materialitate. Intellectus patiens, seu patibilis est, qui cognoscit res media specie producta ab intellectu agente. Dicitur autem patiẽs, seu patibilis, quia recipit in se speciem obiecti: recipere autem est proprie pati: sed de his omnibus latius in libris de Anima. 3. de anima.

Notãdum tertio. In intellectu

patibili esse duplicem cognitionem, unam quasi absolutam, & aliam quasi relativam. Absoluta cognitio illa est, per quam cognoscit intellectus rem sine ordine ad aliam; relativa vero, per quam rem eâdem attingit, cum ordine ad aliam. Prima cognitio appellatur abstractio, quia per illam intellectus abstrahit, & considerat unâ rem, non considerando aliam, cum qua est connexa: ut quâdo intellectus considerat naturam humanam, non considerando individua, in quibus est. Secunda cognitio vocatur comparatio, quia per illam cognoscitur una res per ordinē, & comparationē ad aliam. Hinc nascitur difficultas, An universum Logicū fiat per intellectum patibilem, & per quam ipsius cognitionem. Ad cuius enodationem sit

Ita omnes DD. qui dicunt, universum Metaphysicū fieri per intellectum patibilem.

Prima conclusio. Vniversum formale fieri non potest per intellectum agentem. Probatur: nam intellectus agens ut sic, nihil cognoscit, sed solum producit species necessarias ad cognoscendum; atqui universum formale est relatio rationis superioris ad inferiora, quæ solum habet esse, & fit ab illo, à quo cognoscitur; ergo universum formale non fit per intellectū agentem. Hæc cōclusio manebit a fortiori probata, cum inferius ostēdero; nec universum Metaphysicum fieri per intellectū agentē.

Secunda cōclusio. Vniversum formale fit ab intellectu patibili, non per cognitionem abstractivam, sed per comparativam. Ita D. T. multis in locis, eumq. sequūtur gravissimi quique Doctores, qui ipsum explicant de universo Metaphysico, quando dicit, universum fieri per abstractionē. Et probatur primo à priori: quia universum est unum in multis, ergo debet fieri formaliter per illam cognitionem, qua cognoscitur natura una in multis; atqui per cognitionē abstractivam non cognoscitur natura ut una in multis, imo cognoscitur sine multis, ergo, &c.

Secundo. Vniversum formaliter est relatio rationis ad multa, ut patet ex diffinitione universi, adducta dubio 1. atqui relatio rationis non potest fieri per cognitionem abstractivam, sed per comparativam; ergo universum formale fit per cognitionē comparativā. Minor probatur: nam relatio rationis est respectus unius ad aliud, sed per cognitionem abstractivā non cognoscitur natura cū respectu ad aliud; nam tunc non considerantur singularia, sed sola natura; ergo relatio rationis non fit per cognitionem abstractivam, & per cōsequens nec natura fiet universa formaliter per eiusmodi cognitionem, sed per solam comparativam.

Dices primo. Natura diverso modo fit singularis, ac universa; sed fit singularis per contractionem ad differentias individuales; ergo fit universa formaliter per abstractionem ab illis. Resp. Singulare duobus modis posse sumi, vel prout dicit naturā vltimo contractam, vel prout dicit relationem singularitatis, & inferioritatis. Primo modo fit singularis per differentias individuales. Secundo modo non fit singularis per differentiam individualem, sed per intellectum comparantem per relationem rationis rem singularem, & inferio-

riorem ad universam, & superiorem; & ita argumentum solum probat, naturam per abstractionem fieri universam fundamentaliter, sicut per contractionem solum fit singularis fundamentaliter.

Dices secundo. Vniversum est unum aptum ad essendū in multis, sed natura per abstractionē est una apta ad essendum in multis; ergo per abstractionem fit formaliter universa. Minor probatur: nam primo habet unitatē formalem indivisam in se, cum sit abstracta à differentiis individualibus, in quibus multiplicabatur; deinde habet aptitudinem ut sit in multis; ergo solum per contractionē ad differentias individuales erat inepta ad essendum in multis; ergo per abstractionem erit apta, cum sit ablatum impedimentum.

Respōdetur. Naturam abstractam ut sic habere aptitudinem, ut sit in multis remote, & fundamentaliter, non autem proxime, & formaliter, quia illa aptitudo non est relatio rationis universalitatis, sed fundamentum illius. Quādo autē definitur universum, unum aptum ad essendū in multis, nomine apti, intelligitur potentia proxima, & formalis. Vnde à fortiori probatur naturam à parte rei non esse universam formaliter, quod supra contendebamus, quia licet aliquo modo sit apta ad essendum in multis, tamen illa aptitudo est potentia nimis remota.

Dices tertio. Natura abstracta non est singularis formaliter; ergo universa formaliter: nam inter singulare, & universum non datur medium. Nego cōsequentiam: nam inter singulare, & universale formale datur medium, scilicet universum fundamentaliter, vel Metaphysicè, cuius rationem subit natura ut abstracta.

Contra hāc vero solutionem insurges fortasse in hunc modum. Natura abstracta est universa, saltem Metaphysicè; ergo ab aliqua universalitate; vel ergo hæc universalitas est aliquid reale, vel rationis: non reale, quia naturæ per abstractionem nihil reale advenit; ergo aliquid rationis, ergo natura abstracta est affecta ente rationis, & per consequens erit universa Logicæ. Huic argumento fiet satis inferius, cum agamus de essentia universalis Metaphysici.

Dices ultimo. Si universum formale fieret per cognitionem comparativam, sequeretur dari unum relatum sine alio, quod est contra Aristotelem, ergo, &c. Sequela patet: nam per notitiam comparativam solum cognoscitur natura communis, ut relata ad sua inferiora, non autem concipiuntur inferiora, ut relata ad ipsam naturam communem; ergo datur relatio superioris sine relatione inferioris, atque adeo unum relatum sine alio.

Respondent aliqui, nunquam dari unum relatū sine alio, quia per illam comparationem resultant duæ relationes; una superioris ad inferiora, & alia inferiorum ad superius; sed hoc sine fundaméto dicitur, quia ille duę relationes sunt duo entia rationis; ergo ut resultent, debent actu cognosci ab intellectu, sed per cognitionem comparativam, efformativam universi,

solum cognoscitur relatio superioris ad inferiora, & non relatio inferiorum ad superius; ergo tunc non consurgit talis relatio.

Resp. Ergo in relationibus rationis posse dari unam sine alia, & unum relatum sine alio. Quando autem Aristoteles docet relata esse simul, loquitur de relatis realibus, non vero de relatis rationis, quæ solum habent esse dum cognoscuntur: nam ista quamvis fere sint simul quando per diversos actus comparantur, non tamen semper sunt simul, quia non est necesse, ut simul cognoscantur.

DVBIVM X.

Ad quam operationem intellectus pertineat cognitio effformativa universi formalis.

SIt conclusio. Vniversum formale fieri potest per omnes operationes intellectus. Probatur primo de prima, quia per simplicem apprehensionem absque ulla affirmatione, aut negatione, possum concipere naturam communem ut relatam ad multa, id est, convenientiam naturæ, ut potentis exsistere in multis; ergo per illam fiet natura formaliter universa. Antecedens ostensum est disp. de ente rationis, ubi tradidi per quãcunque operationem mentis fieri posse ens rationis, atqui hæc relatio est ens rationis; ergo, &c.

Confirmatur: nam per simplicem apprehensionem possum cognoscere colorẽ convenire subiecto; tum etiam relationem paternitatis, per quam pater refertur ad filium; ergo etiam cognoscere potero relationem rationis, per quam natura refertur ad inferiora.

De secũda operatione probatur: nã potest intellectus per verum iudicium tribuere naturæ hanc relationẽ universalitatis, per quam fit apta ad essendũ in multis, & constituitur essentialiter universa: ut si dicat intellectus, Petrus, & Paulus potest esse homo relatione naturæ potentis exsistere, tunc iudicat, convenié tiam talis naturæ ut potentis exsistere, cum suis inferioribus.

De tertia operatione probatur: nam etiam potest intellectus per discursum cognoscere in natura hanc relationem universalitatis: ut efficiat hunc discursum: Omnis homo potest esse animal, sed Petrus, & Paulus potest esse homo, ergo potest esse animal. In quo discursu comparat intellectus naturam animalis per relationem potentis exsistere cum Petro, & Paulo; ergo efficit Logicum universum. In his vero exemplis, verbum (potest) tantum indicant naturam aptam ut sit in multis per relationem potentis exsistere.

Obiicies. Secũda operatio intellectus est attributio, & prædicatio unius de alio; sed per prædicationem non potest fieri universum formale secundum essentiam, cum prædicari non sit de essentia universi; ergo per secundam operationem non fit universum formale secundum essentiam.

Respondeo negando minorẽ. Aliud enim est concipere per iudicium relationem naturæ, ut potentis, & hoc non implicat, ut pa-

ut patet; aliud vero cõcipere relationem convenientiæ, quam habet natura, dum actu prædicatur. In primo casu licet enuntiet intellectus illam convenientiã naturę ut potentis exsistere, non efficit universale actualis prædicationis, cum non concipiat relationẽ, quæ in ipsa actuali prædicatione fundatur, quod accidit in secundo casu; imo & ipsa relatio convenientiæ actualis prædicationis potest cognosci per iudiciũ, &c. Vnde fit quamlibet relationem, sive potentis exsistere, sive actu exsistentis, sive potentis prædicari, sive actu prædicatæ, posse per triplicem operationem agnosci. Quare maxime advertẽda est æquivocatio argumenti.

DVBIVM XI.

Per quid constituatur essentialiter universum Metaphysicum.

SVppono primo ut certum, ex dictis dubio 4. in omni universo, tam metaphysico, quã formali reperiri quandam unitatem distinctam à materiali, & formali, quæ dicitur universalis, & est unitas rationis, quæ consistit in indivisione unius naturæ in plures naturas inferiores eiusdem nominis, & rationis, cum aptitudine tamen ut in illis dividatur.

Suppono secundo. In natura abstracta hęc omnia reperiri, scilicet denominationem extrinsecam, à qua denominatur cognita, carentiam differentiarũ individuantium, carentiam universalitatis Logicæ, & illam unitatem universalẽm. De his omnibus controverti potest, quodnam eorum essentialiter constituat universum Metaphysicum.

Prima conclusio. Neque denominatio extrinseca per se solã, ut voluit Murcia de la Llana, neque ut importat carentiã universalitatis Logicæ, & differentiarũ individuantiũ, ut autumauit Blanc, cũ aliquib. recẽtiorib. potest esse cõstitutivũ essentiale universi Metaphysici. Probatur, quia illud est universale Metaphysicum, quod proxime potest recipere universalitatem Logicam; atqui potest reperiri in natura denominatio extrinseca cũ illis carentiis, quin sit proxime apta, ut recipiat universalitatẽ Logicam; ergo denominatio extrinseca per se solam, vel ut importat carentiam universalitatis Logicæ, & differentiarum individuantium, non potest esse essentiale constitutivũ universi Metaphysici. Probatur minor: nam intellectus potest abstrahere naturam humanam, quæ est in Petro, & naturam humanã, quæ est in Paulo, & istas naturas inter se conferre, ut similes in attributis essentialibus, atqui tunc in illis naturis reperitur illa denominatio extrinseca, cum carentiis universalitatis Logicæ, & differentiarum individuãtium, & tamen illæ naturæ non sunt aptæ proxime ad universalitatem Logicam, ergo illæ naturæ ut sic consideratæ non satis erunt ad constituendum universum Metaphysicum. Minor ultima probatur: nam universalitas Logica nequit immediate fundari in natura, nisi sit una positive, sed illæ naturæ sic abstractæ non sunt una positivæ; sed

Hic q. 3. §. dicendum.

Disp. 1. uni. sect. 9.

multæ; ergo non sunt proxime aptæ universalitati Logicæ, & per consequens neque sunt universale Metaphysicum.

Sed resp. Illas naturas, eo ipso quod abstrahuntur à differentiis individualibus esse unam, & non multas, quia naturæ cõmunes non sunt multæ, nisi per differentias individuales. Contra: Tunc efformatur unitas rationis, quando concipitur ut unum, quod in re non unum, sed multiplex est: sicut tunc efformatur distinctio rationis, quando concipiũtur ut distincta quæ distincta non sunt, sed quando intellectus abstrahit illas naturas à differentiis individualibus per illam cognitionem abstractivam non concipiuntur illæ naturę ut una natura; ergo eo ipso quod abstrahuntur, à differentiis individualibus, non erũt una, sed multæ: unde illæ naturæ tunc habebunt unitatẽ, quando post abstractionẽ concipiuntur ut una. Per abstractionem autem non erunt una natura formaliter, sed tantum quasi fundamentaliter.

Contra secundo. Vel intellectus cum abstrahit illas naturas à differentiis individualibus tribuit illis aliquam unitatem, vel non: si non tribuit, ergo illæ naturæ post abstractionem non erunt magis una, quam ante abstractionem, cum non habeant aliam unitatem: atqui ante abstractionem solum habebant unitatem formalem, quæ ut multiplex est in multis, ita non constituit naturas multorum individuorum unam positivè, sed multas; ergo, &c.

Si dicant. Intellectum per abstractionem tribuere illis aliquam novam unitatem, dicam ego, naturam non fieri universam Metaphysiysice per solam denominationem extrinsecam, adhuc ut importat carentiam universalitatis Logicæ, & differentiarum individuantium, sed per illam unitatem ab intellectu additam quatenus secum advehit dictam denominationem, & carentias. Quapropter sit

Secunda conclusio. Vniversum Metaphysicum formaliter, & essentialiter constituitur per illam unitatem universalem ab intellectu confictam, quatenus connotat in natura carentiam universalitatis Logicæ, & differẽtiarum individuantium. Probatur, quia nihil aliud superesse videtur, per quod possit essentialiter constitui, & per hanc unitatem sufficienter intelligitur universale Metaphysicum, & distinctum à Logico; ergo constituitur per illam unitatem, &c. Prima pars antecedentis probata est superiori conclusione; secunda vero ostenditur, quia universum Metaphysicum est illud, quod proxime potest fundare relationem universalitatis Logicæ, sed natura abstracta quatenus est una per intellectũ, & connotat carentiam differentiarum individualium, & universalitatis Logicæ, potest proxime fundare relationem universalitatis Logicæ, cum sit una positive, & dicat carentiam talis universalitatis; ergo per illam unitatem universalem sic explicatam, constituitur essentialiter universum Metaphysicum. Ad argumenta, quæ fieri poterant, facile patebit solutio ex duplici conclusione proposita.

Ex

Ex dictis item in integra huius capitis serie, satisfieri facile potest illi obiectiunculæ propositæ dubio 9. quam huc solvendam reiecimus. Patet enim iam quomodo natura abstracta possit esse una per rationem, & adhuc non constituere Logicum universum, imo involvere entitatem illius.

DVBIVM XII.

Per quem intellectum, & per quam cognitionem abstractivam fiat universum Metaphysicum.

Circa primum refricãda memoria est eorum, quæ diximus dubio 9. in quo eandem difficultatem tractavimus de universo Logico.

Ita Scot. in 2. d. 3. q. 1. ad 1. Burgius in 1. d. 3. q. 6. Suarez di sp. 6. sect. 6. n. 6. Hurtad. disp. 5. Met. lect. 7. §. 12. Noster Blanc disp. 2. sect. 8. univer. & fere omnes recentiores cõtra Fonsecã q. Met. c. 18. q. 8. 3. univer. Caietan. de ente, & essentia. c. 4.

Sit conclusio. Vniversum Metaphysicum non fit per intellectum agentem, sed per patibilem. Probatur: nam ille solus intellectus potest efficere universum Metaphysicum, qui potest abstrahere naturam à singularibus, & in ea fingere unitatem rationis, sed solus intellectus patibilis potest id præstare; ergo, &c. Probatur minor: quia tunc natura abstrahitur à singularibus, & in ea fingitur unitas rationis, quando cognoscitur sine singularibus, & ut una; atqui intellectus agens nullo modo cognoscit, sed produ- cit species necessarias ad cognoscendum; ergo universum Metaphysicum fit per intellectum patibilem.

Secundo: quia species intelligibilis ab intellectu agente producta, non repræsentat naturam in communi, nudam à differentiis individualibus; imo potius illis quasi vestitam, cum primo, & per se repræsentet rem singularem, & individuam, & in ea gradus universales non abstractos, sed potius singularitate affectos; ergo intellectus agens nequit efformare universum Metaphysicum. *q. 7. Flandr. sem. 3. Met. q. 3. artic. 2. & 7. Met. q. 16. art. 1.*

Tertio: quia quamvis species intelligibilis ab intellectu agente producta repræsentaret immediate naturam in communi nudatam à differentiis individualibus, adhuc non fieret universa Metaphysice, ex vi talis repræsentationis: cuius ratio est, quia species intelligibilis non est formalis, & expressa repræsentatio rei, sed tantum virtualis, & effectiva, quatenus est virtus effective concurrens ad cognitionem, quæ est formalis, & expressa repræsentatio obiecti; atqui universum Metaphysicum debet fieri per formalem, & expressam repræsentationem, qua cognoscatur natura ut abstracta ab inferioribus, & ut una unitate universa; ergo adhuc admissa ex parte sententia Thomistarum, universum Metaphysicum non fieret per intellectum agentem, sed per patibilem.

Circa secundum, ex eo quod sæpe diximus, universum fieri per abstractionem intellectus patibilis, consurgit difficultas, an fiat per omnem abstractionem, vel per aliquam tantum. Pro cuius explicatione observandum est, naturã humanam, verbi gratia, quæ est in Petro, posse considerari ut distinctam

à natura humana, quæ est in Paulo, quamvis utraque consideretur sine differentia individuali, quod ita probatur: quia natura quæ est in Paulo, nullo modo est in Petro realiter, neq. è contra; ergo quamvis natura, quæ est in Paulo consideretur sine differentia individuali præcisive non erit realiter in Petro; ergo etiam ut abstracta à differentia individuali Pauli potest cõsiderari ut diversa à natura Petri.

Sit conclusio. Si natura humana quæ est in Petro, & quæ est in Paulo abstrahantur a differentiis individualibus, & considerentur ut distinctæ inter se, vel ut similes in attributis essentialibus, tunc per talem abstractionem non sunt universales Metaphysice proxime. Probatur: nam istæ naturæ sic consideratę, quãvis sint sine differentiis individualibus, atque adeò non sint multæ numero quasi in concreto, non tamen sunt una positive iuxta attributa essentialia, ut dictum supra; ergo ut sic non sunt universum Metaphysicum, cum potius sint multæ quasi in abstracto.

Cõfirmatur: nam cum aliquid concipitur ut distinctũ ab alio, non concipitur ut unum cum illo; ergo quando natura humana Petri, abstracta à differentia individuali, consideratur ut distincta à natura Pauli etiam abstracta a sua differentia individuali, non concipitur ut una cum illa; ergo illæ duæ naturæ non erunt una positive, & per consequens neque universum Metaphysicum proximum. Quod autem illæ naturæ etiam si concipiantur ut similes, non sint universum Metaphysicum, est manifestũ: nam istam similitudinem possunt habere sine ulla unitate à formali diversa, atqui istæ unitates formales, in quibus sunt similes, & [illegible] quarum fundãt similitudines relationes, sunt diversæ; ergo etiam si illæ naturæ concipiantur ut similes, adhuc concipi poterunt ut distinctæ realiter.

Secunda conclusio. Si naturæ Petri, & Pauli abstrahãtur à differentiis individualibus, & considerentur ut una omnino unitate positiva ficta per intellectum, tunc illæ naturæ per illam abstractionem fiunt universum Metaphysicum proxime. Probatur primo ex dictis. Secundo: quia natura sic concepta, potest recipere immediate relationem universalitatis Logicæ, quia nõ habet differentias individuales, & est una positive; ergo erit universalis Metaphysice, quæ omnia ex dictis sunt manifestissima.

Sed dices. Natura fit multiplex positive per differẽtias individuales, ergo sine illis non erit multiplex positive. Respondetur: Naturam per differentias individuales solum fieri multiplicem numero, & individualiter, non vero secundum attributa essentialia, & formaliter, nã sic fit multiplex per multiplicationem unitatum formaliũ. Vnde illa natura dicitur multiplex positive in ratione specifica, quæ habet plures unitates formales; quare licet natura abstrahatur à differentiis individualibus, non sequitur esse unam positive in ratione specifica, si habeat multas unitates formales realiter distinctas, sed solum sequitur

quitur non esse multiplicem numero, cum non habeat differentias individuales, à quibus numero multiplicabatur.

Quæres: Per quam notitiam fiat universum Metaphysicum? Respondeo: Per triplicem. Per primam, si apprehendas naturâ humanam abstractam, cum unitate rationis, & carentiis positis. Per secundam, si iudices per verum iudicium illam naturam ut sic, non esse cum inferioribus. Per tertiam, si id ipsum discursu facto demonstres. Nota tamen, quando fit per secundam operationem, fieri per notitiam disparantem naturam ab inferioribus, non per comparâtem, quia iam fieret Logicum universum.

DVBIVM XIII.

Vtrum præter universum Logicum relativum, & Metaphysicum, sit admittenda alia species universi Logici.

DVplex universum huc usq; statuimus, Logicum relativum, & Metaphysicum. Nunc igitur in controversiam voco, An præter hæc duo universalia possit assignari tertiũ ab utroque diversum; uel ut clarius rationem dubitandi propo nam, Vtrum natura Metaphysicè universalis, possit Logicè ad inferiora absolute comparari sine aliqua relatione rationis, & per talem comparationem sufficienter possit esse una in multis.

Affirmantẽ partem aliqui tribuunt Conimbricensibus, sed falso tribuũt, cum ipsi solum ad astruendum universum Metaphysicum, asserant, naturá absq. differentiis contrahentibus in conceptu mentis repræsentatam esse perfecte universalem in gradu absoluto, id est, esse absolute universam; hic autem non agit de cõparatione ad inferiora sine relatione rationis, quod necessariũ erat ad propositã sententiã tuendam, sed quidquid sit de mẽte istorum auctorum, prędictam opinionem tenuit nouissime P. Hurtadus: atque ita tenuit, ut nullum aliud Logicum universum admittat, quod per ens rationis formaliter constituatur contra communem Dialecticorum. Eandem defendunt aliqui recentiores, non tamen negant universale relativum, quod præstat Hurtadus. *Hic. qu. 4. art. unico.* *In Logica, disput. 6 sect. 1. & in Met disp. 5. sect. 7.*

Mihi semper verior visa est sententia communior inter Philosophos, præsertim recentiores, negans posse dari universum Logicum sine relatione rationis. Probo id primo à priori. Si daretur tale universale Logicum absolutum, illud fieret, ut adversarii volunt, per notitiam intellectus comparantis naturam communem ad sua inferiora; atqui non potest intellectus talem naturam ad inferiora cõparare sine relatione rationis inter naturam, & eius inferiora; ergo nullum supereſt fundamentum ad eiusmodi universum stabiliendum. Minorem, cui uni aduersarię partis propugnatores innituntur, ita conuello: quia comparare naturam ad inferiora, nihil aliud est, quã eam ad inferiora referre, atqui natura re-

ra referri nõ potest sine relatione, ut ex ipsis terminis est perspicuũ; ergo vel debet referri relatione reali, vel rationis nõ reali; tum quia illa natura non est abstracta à parte rei, tum etiam quia esset universum relativum reale, quod ipsi adversarii reiicient; ergo relatione rationis, ergo per illam universale relativum consurget.

Secundo. Si eiusmodi universum absolutum daretur, deberet cõstitui, ut adversarii autumãt, per extrinsecã denominationem ab intellectus actu naturã ad inferiora comparante, sed per talẽ denominationẽ nequit cõstitui; ergo nihil aliud reliquũ erit, in quo talis universi consistat essentia. Minorẽ probo hoc dilemmate: vel intellectus per illũ actũ, quo comparat ad inferiora naturã, cognoscit formalitatẽ aliquam distinctã ab utroque universo, metaphysico videlicet, & Logico relativo, vel non? Si primũ asseratur, ita cõcludo; ergo universum absolutũ in illa formalitate (quã tamen adversarii explicare nũquam poterunt) potius quam in extrinseca denominatione consistet. Si dicatur secundũ; ergo intellectus dumtaxat concipit Metaphysicũ universum; atq. adeõ non efformat Logicum absolutũ; si enim ex eo quod concipiamus Metaphysicum universum consurgit statim Logicum absolutum, eodem innixi fundamento dicere poterimus, si concipiamus Logicum relativum eo ipso præcise novam universi speciem promanaturam, quod nemo, si tamen sapiat, admittit: quod si dixerint adversarii non tunc universum Logicũ absolutũ formari, quando intellectus naturã Metaphysice tantum universum considerat, sed cum eandem per illum actum comparat ad inferiora, tunc redibit argumentũ supra factum, quo efficaciter, meo iudicio, probavi nõ posse naturam ad inferiora comparari, quin ad ipsa referatur; nec posse referri, quin aliqua relatio confingatur, ac proinde quin resultet universum Logicũ relativum, ut erit consideranti perspicuum. Atque ex his fundamẽtis quę iacta à nobis sunt, facile erit respondere ad ea, quæ adversarię partis propugnatores obiiciunt, quæ ita se habent.

Relatio rationis, per quã consurgit vniversale relativum, fundatur in aptitũdine, quam habet natura præcisa, & una per rationem; ergo naturam sic aptam poterit intellectus per suũ actum comparare, seu referre ad inferiora, antequam resultet illa relatio.

Verum hic adversarii verbis lũdunt, quomodo enim fieri potest ut natura referatur sine relatione? Quare nego consequentiam: quia tam impossibile est naturam sine relatione referri, vel comparari, (quod idem est, ut supra vidimus) quam sit impossibile aërem sine lumine, vel illuminatione illuminari, neque alio modo fieri potest universum relativum, nisi comparando, & referendo naturam aptam fundamentaliter, & una per rationem ad sua inferiora. Ruit ergo potissimum firmamentũ contrariæ partis. Quod si aliquid aliud contra sententiam nostram obiiciatur ex fundamentis, quibus eam firmavimus, facilem habebit solutionem.

Nota denique in calce huius dispu-

disputationis, adeo hãc sylvam universalium excreviſſe, vnoquoque ex recentioribus pro libito novas idemptidem quæstiones movente, ut si omnes referẽdæ, ac refutandæ essent, & tẽpus, & charta deficeret. Ego vero quãta maxima potui diligẽtia eas tantum selegi, proposuique, quę magis necessariæ visæ sunt ad integram quinque vocum intelligentiam; omissis aliis, quæ mentem occupãt, & scholasticorum ingenia, ita vel sola multitudine obruunt, cõfunduntque, ut dum multa complecti volunt, pauciſſima consequantur.

Quod si quis censeat deesse in hac disputatione quæstionem illam, Vtrũ videlicet universum genus sit ad quinque prædicabilia, non me oblivionis incuſet; ideo enim illam omitto, quia nõ est propria huius loci, aptiorem sortietur, cum primum de quinque vocibus egerimus.

Explanatio capitis primi, de Genere.

Summa capitis.

Videtur itaque, &c. Caput hoc in tres quasi partes dividit Porphyrius. In prima tres generis significationes exponit. Prima est, multitudo hominum ab eadem stirpe descendentium: sic ab Hercule, Heraclidarum genus suam trahit originem. Secunda est, qua genus dicitur cumulus hominum ab eodem patre, aut patria orientium: sic Orestem dicimus genus trahere à Tantalo. Tertia vero, quæ magis Philosophica est, & magis propria huius loci, ea est, qua genus illud significat, sub quo species ponuntur, vel ut clarius eloquar, quod de multis specie differentibus in quid prædicatur.

His igitur tribus modis, &c. In hac secunda parte cõcludit, hanc ultimam generis usurpationem in controversiam Philosophicam vocandam esse, & de ea præcipue hic agendum. Deinde apponit exempla; Generis, Animal; Speciei, Homo; Differentiæ, Rationale; Proprii, Risibile; Accidentis, Album. Quinque postmodũ voces singillatim enumerat, ab eisque distinguit genus.

Rogantibus enim, &c. In hac demum ultima capitis parte explicat, quid sit prædicari genus in quid; id nimirum, quod apte redditur, cum quid res sit petitur. Deinde quid etiam sit differentiam, proprium, & accidẽs prædicari in quale: id scilicet, quod apte respõdemus, cum quis qualis sit res, à nobis scisciatur. Vltimo ait, in eo speciem à genere distingui, quod de solis numero differentibus prædicetur.

DISPVTATIO PRIMA,

De Genere,

PLacet in exponendis quinque vocibus, sequi methodũ Porphyrianam, quia optimã, & Aristotelicis præceptis mire cõformem. Teste enim Aristotele, Vniversaliora notitia sunt, à notioribus vero incipit rectus ordo doctri-

doctrinæ, & sic paulatim ad ignotiora progreditur. Certum autem est genus, & naturæ, & doctrinæ ordine prius esse, quam alias voces, ut Boetius annotavit, ideo ab illo ducemus exordium.

DVB. I.

An genus exactè definiatur à Porphyrio.

EDuabus generis definitionibus, quas hic Porphyrius videtur tradidisse, prima illa est: Genus est id, sub quo species collocátur, quâ Conim. optimâ censuerunt, eamq. in duplici sensu accipi posse autumarũt. Primo, ita ut sub genere species collocari, idem sit, ac genus esse universale relatum ad species. Secundo ita, ut genus sit universale terminans respectum specierum: utroque autem modo propositam definitionem, soli genera iudicant convenire. His tamẽ non obstantibus,

Hic. q. 1. ar. 1.

Dicendum est primo. Illã non esse definitionẽ. Probatur, quia cõvenit aliis à re definita. Nam differentia saltem interiecta, etiam est id, sub quo collocantur species, cum de illis prædicetur: & idem est de proprio, & accidenti. Illis itaque verbis solum voluit Porphyrius declarare similitudinem, quę intercedit inter genus hoc tertio modo sumptum, & inter genera in duabus primis acceptionibus. Sicut enim genus primo modo significat multitudinem hominum ab uno principio venientium, ita genus tertio modo continet sub se multitudinem specierũ participantium eandẽ naturam genericam. Deinde sicut genus significat originem, quam ducit aliquis ab aliquo, ita tertio modo aliqua ratione importat originem, quam multæ species ducunt ab ipso genere, cum ex divisione ipsius per oppositas differentias constituræ derivẽtur.

Secunda. Generis definitio illa est, quã statim proponit Porphyrius, quæ sic se habet. Quod prędicatur de multis specie differentibus in quid.

Ad intelligentiam huius definitionis præmoneo primo, prędicari in quid dupliciter sumi. Primo pro prædicari essentialiter. Qua ratione dixit Aristoteles, Differentiam, inquit prædicari. Secundo, pro prædicari per modum per se stantis, ut sumitur hic à Porphyrio.

7. Topic. c. 2.

Præmoneo secundo. Cum Conimbric. citatis, in hac definitione formaliter prius esse ponendam illam particulam, in quid, quam illam de pluribus specie differentibus; quia per primam distinguitur genus à differentia, proprio, & accidenti, à quibus magis differt, quam ab specie, à quo distinguitur per secundam; in definitionibus enim prius collocandæ sunt differentiæ, quæ separant definitum à rebus, à quibus magis distat.

Dicendum est secundo. Prædictam definitionem esse legitimam. Probatur primo auctoritate Porphyrii hoc capite, expressis verbis, dicentis esse optimã. Secundo, Aristotelis eodẽ modo definientis genus. Tertio, ratione, quia per illam distinguitur genus à cæteris speciebus universi, & ab individuo: nam per primam particulam, prædicatur

Ita communiter DD.

2. Top. c. 4.

de

de multis, distinguitur ab individuo; per illam vero, in quid, à differentia, proprio, & accidentij per ultimam scilicet, differētibus specie, discriminatur à specie; ergo est accurata.

Oppones primo. Differētia interiecta, v. g. sentiens, prædicatur de specie differentibus, scilicet de homine, & bruto, & prædicatur in quid, ut docet Arist. ergo tota definitio generis adducta à Porphyrio, convenit differentiæ, & consequēter non est optima. Resp. Differentiam non prædicari in quid, eo modo quo genus; id est per modum per se stantis, seu ut partem materialem, sed solum prædicari in quid, id est, essentialiter, in quale tamen, seu per modum alteri adiacentis.

Oppones secundo. Aliquando genus prædicatur de multis non solum specie, sed etiam genere differentibus, v. g. substātia de corporea, & incorporea, quæ sunt diversa genere; ergo definitio dicta diminuta est, cum hoc non exprimat. Respondeo. Genus solum postulare, ut ea de quibus effertur specie minimū discriminentur, sive specie infima, sive interiecta, id enim tantum efficit genus magis, minusve supremum.

DVBIVM II.

An generis definitio sit descriptiva.

NOta ut certum, voces prædicabiles posse definiri definitione essentiali, quia continentur sub vero genere, scilicet sub universo, & habent peculiares differentias essentiales, per quas constituuntur, & distinguuntur inter se. Quare genus essentialiter definitur, Universum intra essentiam, ut pars materialis ipsius. Species universum intra essentiam, ut tota essentia. Differētia universum intra essentiam, ut pars formalis essentiæ. Proprium, Universum extra essentiam necessario, & tridens, Universum extra essentiā contingenter.

Sit conclusio. Generis definitio à Porphyrio tradita, est descriptiva. Fatetur id ipse Porphyrius, qui eam descriptivam vocat. Addo rationem, nam sit ut se habet actu prædicari, vel posse prædicari de multis respectu universi in communi, ita se habet actu prædicari, & posse prædicari de multis specie differentibus respectu generis, sed actu prædicari, vel posse prædicari de multis non est de essentia universi, ut vidimus; ergo neque actu prædicari, vel posse prædicari de multis specie differētibus, erit de essentia generis; sed definitio generis adducta à Porphyrio traditur per posse prædicari, vel actu prædicari; ergo non est essentialis, sed accidentalis.

Obiicies. Dicta definitio est accidentalis, ergo Porphyrius non bene definit genus: debuisset enim tradere essentialē definitionem, per quam clarius nobis essentia generis innotesceret, quam per solā descriptivam. Aliqui Porphyrium varie excusant: ego verò illud affirmo, melius ipsum fuisse facturum, si essentialem definitionē tradidisset; nisi fortasse dicamus, ideò descriptivam tantummodo proposuisse, quia hæc clarior est, ut

sic

sic promisis staret: superius enim dixerat, se hic ea tantum persequuturum, quæ facili negotio capi possent, cum ad tyronem eius tractatus esset mittendus.

DVBIVM III.

Quodnam sit definitum in definitione generis, adducta à Porphyrio.

IN præsenti controversia discindenda extremè laborant recentiores, unoquoque in suâ viam eunte, ita ut quot auctorum capita, tot sint sententiæ. Alii asserunt definitū huius definitionis solam esse naturam: alii solam generis notionem in abstracto: alii hanc eandem in concreto sumptam: tandem alii aggregatum, ex natura, & notione: quælibet ex iis opinionibus verum dicit, sed male negat oppositam; eas omnes conciliabimus, si asseruerimus prædictam generis definitionem omnibus his aptari posse. Quod ut facilius, feliciusque conficiam

Præmitto. Genus includere naturam, quæ prædicatur de multis, & relationem, sive notionem, qua refertur ad multa. Est ergo difficultas, quid definiatur proposita definitione, natura, an relatio in abstracto, vel in concreto, an aggregatum ex natura, & notione.

Sit assertio. Si particula illa (quod) posita in definitione generis, diversimode sumatur, ut potest, definitum illius potest esse notio generis, tam in abstracto, quam in concreto, tam etiam natura denominata, & aggregatum ex natura, & notione. Probatur à priori. Illud est definitum in aliqua definitione, cui convenit definitio, sed prædicta definitio generis potest quatuor rebus enumeratis convenire, iuxta quatuor sensus, quos habere potest, ratione diversarum rerum implicite significatarum per illam particulam (quod) quæ ponitur loco generis in hac definitione; ergo quatuor illa enumerata possunt esse definitum huius definitionis.

Prima pars minoris, nempe generis definitionem posse convenire notioni in concreto, probatur, & explicatur. Nam definitio generis (Quod prædicatur de multis, &c.) potest reddere hunc sensum: Notio generis inhærens naturæ est id, quod prædicatur ut quo, seu quod refert naturam ad plura specie distincta; ergo, &c.

Suadetur secundo. Definitionem convenire posse notioni in abstracto, quæ est secunda pars minoris: nam sensus definitionis potest esse: Genus est, quod prędicatur, &c. id est, notio generis est, quod ex se, cum inhæret naturæ, refert illā ad plura, &c. Notio enim in abstracto est ratio prędicandi, licet ut sic non exerceat prædicationem, sed solum inconcreto, & quatenus afficit naturam; sicut albedo in abstracto est ratio disgregandi visum, licet hoc munus non obeat nisi in concreto, & quatenus unita subiecto; ergo definitio generis notioni in abstracto poterit convenire.

Tertia pars minoris ostenditur: nempè definitionem convenire naturæ denominatæ à notione

tione generis; quia illi potest accõmodari optimus sensus huius definitionis in hunc modum: Quod prædicatur, &c. Natura denominata est id, quod prædicatur ut quod de multis, &c. ergo, &c.

Tandem probatur, prædictam definitionem convenire aggregato ex natura, & notione, quæ est ultima pars minoris: nam sensus definitionis generis potest esse: Genus est, quod prædicatur, &c. id est, aggregatum est, quod prædicatur ut quod, & ut quo, de multis specie differentibus; ergo definitio potest etiam accommodari aggregato.

Confirmatur assertio quoad omnes partes: quia illa quatuor enumerata sunt definibilia, cum habeant peculiares essentias; ergo possunt definiri per definitionem generis, si diverso modo intelligatur illa particula, quod.

Dices primo contra primam, & secundam assertionis partem. Illud est definitum in definitione generis, Quod prædicatur de multis, &c. Sed notio tam in abstracto, quam in cõcreto non prædicatur, sed est ratio prædicandi, ergo notio nullo modo est definitum. Respondeo: Definitum in hac definitione, non solum esse, Quod prædicatur ut quod, sed etiam, Quod prædicatur ut quo, seu Quod est ratio prædicandi. Hoc autem in notionẽ utroque modo sumptam apprime quadrat.

Dices secundo contra easdem partes assertionis. Postquam Porphyrius definivit genus, adhibuit in exemplum animal, sed animal est natura denominata; ergo hæc sola est definitum huius definitionis, saltem ex mente Porphyrii. Respondeo: Porphyrium adhibuisse in exemplum animal, non quia eius natura sola sit definitum, sed quia prædicatio de multis, in ordine ad quam definit genus, Quod prædicatur, &c. in ipsa natura fundatur, exerceturque.

Dices tertio, contra tertiam partem nostræ conclusionis. Natura generica à nobis posita, cui dicitur convenire prædicta definitio, aliquando est ens reale, aliquando rationis, nunc substantia, nunc accidens, ergo implicat talem naturam unica definitione explicari. Respondeo negando consequentiam. Hic enim non sumitur natura illa materialiter, & secundum entitatem realem, vel rationis, substantiæ, vel accidentis. Hac enim ratione bene probat argumentum, unica definitione non posse definiri, cum unica definitio complecti nequeat entia realia, & rationis, substantiam, & accidens ut talia; sumitur autem natura formaliter, videlicet, ut denominabilis generis notione: ab omnibus enim naturis prædictis, potest abstrahi formaliter una ratio naturæ, contra distincta à ratione naturæ specificæ, differentiali, &c. & constitutæ, ut sic formaliter per capacitatem proximam ad hoc, ut denominetur prædicta generis notione, quæ ratio unica definitione potest exponi: qua ratione à nobis sumitur superiori assertione.

Dices quarto contra quartam assertionis partem. Aggregatum ex natura, & notione est ens per accidens compositũ ex ente reali, & rationis; sed ens per acci-

dens

dens nequit definiri unica definitione; ergo aggregatum ex natura, & notione nequit esse definitum in definitione generis. Respondeo. Licet ens per accidens non possit definiri unica definitione, per quam explicetur natura illarum rerum, ex quibus componitur in particulari; posse tamen minimum unica definitione definiri in ordine ad aliquem effectum, ad quem illud compositum, ut sic ordinatur. Quemadmodum licet artefactum concludi non possit unica definitione exponente in particulari essentias proprias earum rerum, quibus tale artefactum coalescit; potest tamen unica definitione definiri in ordine ad aliquem effectum, ad quem tale aggregatum per se ordinatur: sic imago depicta, licet definiri nequeat unica definitione, quoad diversos colores, quibus constat, potest tamen ut est aliquod artefactū repræsentantivum alicuius hominis ad eum fere modum in nostro casu philosophandum.

DVBIVM IIII.

Quid habeat locum generis in adducta generis definitione.

PRimo, reiicienda est sententia quorundam asserentium universum esse genus in hac definitione, & significari per illam particulam, quod, ita ut sensus definitionis sit, Genus est universum, quod prædicatur de multis, &c. Hæc ergo sententia reiicitur. Primo, quia in hac definitione continetur integra definitio universi; nempe (quod prædicatur de multis) ergo universum non est genus in illa. Probatur consequentia: nam ideo in hac definitione hominis substantia corporea, animata, sentiens, rationalis, animal non est genus, quia illius loco ponitur integra eius definitio; atqui in definitione generis ponitur integra definitio universi; ergo universum non est genus in illa, aliàs enim bis poneretur universum in definitione, semel ratione particulæ, quod, & iterum ratione propriæ definitionis. Vnde consequenter ad ea, quæ superiori dubio diximus,

Sit primum pronuntiatum. Si definitum in hac definitione sit notio generis in concreto, genus illius erit relatum rationis in communi, & ita sensus definitionis erit; genus est relatum rationis prædicabile de multis, &c. Probatur, quia relatum rationis in communi, est quid cōmune ad relatum rationis prædicabile, & subiicibile, deinde ad relatum rationis prædicabile de uno, quale est individuum, & prædicabile de multis, quale est universum. Præterea ad prædicabile de multis specie differentibus, ut ad genus, & prædicabile de multis numero differētibus, ut ad speciem, &c. ergo relatum rationis in cōmuni poterit esse genus in hac definitione, & implicite significari per particulam, quod.

Secundū pronuntiatum. Si sit notio generis in abstracto, genus illius erit relatio rationis in communi. Probatur: nam sicut se habet concretum superius ad concretum inferius, ita se habet abstractum superius ad inferius, v. g. sicut se habet colora-

tum

tum respectu albi, ita color respectu albedinis, sed relatum rationis, quod est concretum superius, est genus respectu notionis generis in cõcreto; ergo relatio rationis, quæ est abstractũ superius, erit genus respectu notionis generis in abstracto, & significabitur per particulã, quod.

Tertium pronuntiatũ. Si sit natura denominata, illius genus erit natura denominabilis in cõmuni à relatione universalitatis in communi. Hoc pronuntiatum est manifestum ex dictis superiori dubio, in solutione 3. argumenti.

Vltimum pronuntiatũ. Si tandem sit aggregatum ex natura, & notione generis, genus illius erit aggregatum in communi ex natura denominabili in communi, & relatione rationis in communi, & ita sensus definitionis erit, Quod prædicatur, &c. id est, aggregatum prædicabile de multis, &c. Probatur: nam sicut se habet cõcretum ad concretum, abstractum ad abstractum, & natura ad naturam, ita aggregatum ad aggregatum; sed concretum generis definitur per concretum in communi, & abstractum generis per abstractum in communi, & natura denominabilis à notione generis per naturam denominabilem in communi; ergo aggregatum ex natura generica, & relatione generis, definietur per aggregatum in communi ex natura, & relatione rationis.

Confirmatur exemplis. Quando definitur domus, quæ est aggregatum inferius, ponitur loco generis aggregatum superius, scilicet artefactum; & quando definitur demonstratio, quæ est aggregatum inferius, etiam ponitur loco generis aggregatum superius, scilicet syllogismus, ergo quãdo definitur aggregatum loco generis, debet poni aggregatum in communi.

Collige in calce huius dubii. Porphyrianam generis definitionem, quatenus cõnotat quatuor genera enumerata, & implicite contenta sub particula, quod, & quadrat quatuor definitis, habere etiam quatuor differentias: nam quodcunque definitum huius definitionis gaudet sua propria differentia, per quã ab aliis discriminatur. Quare prædicari de pluribus specie differentibus in quid, quod ponitur loco differentiæ, respectu notionis in abstracto, debet intelligi, ut quo in actu primo respectu notionis in concreto, ut quo in actu secundo, respectu naturæ denominatæ, ut quod respectu aggregati, ut quo, & ut quod simul; dantur ergo quatuor genera, quatuor differentiæ, quatuor definita, & consequenter quatuor definitiones secundum ea, quæ in præsenti, & proxime præterito dubio dicebamus.

In umbilico huius capitis advertas vellim, hunc modum philosophandi, quem agentes de genere servavimus, cum satis doctis recẽtioribus, eundem ipsissimum esse tenendum in definitionibus, speciei, differentiæ, proprii, & accidentis à Porphyrio assignatis explicandis, eadem enim proportione servata, in omnibus ratio militat.

(:)

DVBIVM V.

An genus ita respiciat plures species, ut in una non possit conservari.

DVbium non est de genere, ut est totum actuale Metaphysicum, constitutum ex suis partibus essentialibus, An exigat plures species existétes, aut possibiles ut existat: certum enim est eas non requirere, & posse conservari in una specie, & in uno individuo: nam si nùc Deus destrueret omnes species animalis, præter homines, imo & omnes homines, præter Petrum, adhuc tunc Petrus esset vivens, sentiens, in quo consistit essentia animalis in ratione totius actualis Metaphysici; sed dubium est de genere Logico, An scilicet ut aliqua natura possit denominari à notione generis, ita postulet plures species, ut in una conservari non possit.

Ita communiter DD. contra Boetium, cap. de specie. Alex. 1. qq. naturalium c. 11. Alberti tract. 4. c. 6. & tract. 3. cap. 2.

Dico primo: ut natura afficiatur relatione generis, non est opus actu existant plures species, vel una, quia quotiescunque natura communis concipitur una in ordine ad plura specie distincta, est genus, sed potest ab intellectu concipi animal possibile, ut unum relatum ad hominem, & leonem ut possibiles, imo de illis prædicabitur, Hæc enim est vera propositio, Homo, & leo sunt animal, sumendo terminos ut possibiles: nam illa copula sunt, non significat actualem existentiam terminorum, sed necessariam connexionem prædicati cum subiecto, & relationem identitatis; ergo tunc natura animalis erit genus.

Nec valet si dicas, Genus est relativum actuale, ergo requirit correlativum actuale. Respondeo, in relatis realibus bonam esse consequentiam, non in relatis rationis; vel dic, eo modo quo genus existit, eriá existere species, nempe obiectivè in intellectu non à parte rei: non vero inde colligas eas species esse; ex ratione, sed ideo dicimus existere sicut genus, nõ quod aliud esse non habeant, sed quod illius quasi existétes concipiamus, ut ad eas genus per intellectum referri possit.

Dico 2. Vt natura aliqua sit genus, necessarium omnino est, ut habeat plures species possibiles. Probatur, quia genus est universale ut pars materialis essentiæ Metaphysicæ, sed pars materialis essentiæ Metaphysicæ essentialiter respicit plures differẽtias essentialiter distinctas; ergo & plures species constituras per tales differẽtias. Minor probatur, quia pars materialis essentialiter respicit aliquã differentiam essentialem ut partem, cum qua componat aliquam speciem, sed differentia essentialis facit rem, quam componit essentialiter differre ab aliis, quę sub illo genere continentur; ergo habet oppositam aliam differentiã essentialem, sed hæc differentia componit aliam speciem; ergo genus non potest esse pars materialis essentiæ, nisi respiciat plures species. Secundo probatur quælibet species essentialiter respicit plura individua, ergo & genus plures species. Antecedẽs est certum, alioquin species non distingueretur ab individuo. Cõsequentia probatur, quia sicut se habet species ad individua, ita genus

D. Thom. 1. de demõstratione, lec. 12. Porphyri. 1. de specie. Arist. 4. Topi. c. 1. & 5. Metaphys. c. 18. Soto, & Tolet. q. 1. in caput de specie. P. Ioseph Blãc disput. 3. sect. 5. universa. & fere omnes recentiores cõtra Albertum tract. 3. cap. 3. Iavellũ tract. 4. sua Logica, cap. 2. & Scotũ. q. 18. in Porphyriũ, quam deinde in fine q. in oppositam sentẽt videtur inclinare.

genus ad ſpecies, ergo, &c. Confirmatur: quia ideo ſpecies reſpicit plura individua ut poſſibilia, quia ex ſe non dicit aliquam differentiam individualem, & conſequenter eſt contrahibilis, non ſolũ per unam, ſed per multas, quia non eſt maior ratio de una, quam de multis, ſed etiam genus ex ſe non dicit aliquam differentiam ſpecificam, ergo eſt cõtrahibile non ſolum per unã, ſed per multas: quia non eſt maior ratio cur contrahatur per unam, quam per multas; ergo reſpicit ex ſe multas ſpecies poſſibiles. Tertio, ſi non eſſent plures ſpecies, genus non eſſet ſuperius unica ſpecie; ergo non eſſet univerſale. Antecedens prob. quia ideo animal eſt ſuperius homine, quia latius patet quã homo; ſed ſi ſola hominis ſpecies eſſet poſſibilis, non latius pateret animal, quam homo, ut per ſe patet, ergo non eſſet ſuperius.

Obiicies 1. Materia phyſica nõ reſpicit eſſentialiter plures formas Phyſicas, ut patet in materia Solis, quæ ſolum eſt capax unius formæ ſolaris; ergo nec materia Metaphyſica reſpicit eſſentialiter plures differẽtias Metaphyſicas, & per conſequẽs genus nõ reſpicit eſſentialiter plures ſpecies. Reſp. diverſam eſſe rationem de materia Phyſica, ac de Metaphyſica: nam phyſica nõ reſpicit formam in quantum eſt univerſalior illa, ſed in quãtum cum illa componit totum phyſicum, quod poteſt præſtare quamvis ſit incapax alterius formæ; at vero materia Metaphyſica ut eſt genus, reſpicit formam Metaphyſicam, ſcilicet differentiã, ut cum illa cõponat totum Metaphyſicum, quia eſt univerſalior illa, & ita eſſentialiter poſtulat recipere aliam differentiam.

Obiicies 2. Animal comparatum ad Petrum, & Paulum, habet rationem generis, ergo non eſt de eſſentia generis reſpicere plures ſpecies. Reſpondeo, animal multis modis poſſe comparari ad Petrum, & Paulum. Primo, cum repugnantia ad eſſendum in multis ſpeciebus; & hoc modo eſſe ſpeciem proprie, & in rigore: quia ſi repugnaret animali convenire aliis ſpeciebus, eſſentialiter includeret differentiam rationalitatis, & non diſtingueretur adhuc ratione ab homine. Vade ſicut homo nunc eſt ſpecies reſpectu Petri, & Pauli, ita in eo eventu animal eſſet ſpecies, quod ita probatur, ex eo de facto animal ratione diſtinguitur ab homine, quia latius patet quam homo; ergo ſi conciperetur cum repugnantia ad alias ſpecies, non poſſet diſtingui ab homine cum fundamento in re, quia ſolum ab eo poteſt diſtingui in ratione magis univerſalis. Declaratur, quia ſi per impoſſibile, non poſſet alter homo eſſe niſi Petrus, homo eſſentialiter eſſet Petrus, & ſingularis, & non ſpecies; ergo ſimiliter ſi non eſſent poſſibiles aliæ ſpecies animalis præter hominem, animal eſſentialiter eſſet homo, & ſpecies, & non genus.

Inſtabis. In eo eventu eſſent diſtinctæ operationes ſentiendi, & intelligendi in homine, ergo haberet intellectus ſufficiẽs fundamentũ ad diſtinguendos duos gradus animalis, & rationalis, à quibus tales operationes dimanarent. Reſpondeo negando

consequentiam : ex diversitate enim operationum, solum colligitur diversitas potétiarum, non vero graduũ, sive principiorum radicalium, cum ab eodem principio radicali possint diversæ potentiæ procedere, ut patet ex operationibus intelligendi, & amandi, quæ procedunt à diversis principiis proximis, scilicet à diversis potentiis, & ab eodem principio radicali, scilicet ab eodem gradu hominis, ita in nostro casu operationes intelligendi, & sentiendi dimanarent à diversis potétiis, ab eodem tamen gradu animalis hominis, cum tunc essent omnino idem.

Secundo. Animal potest comparari ad Petrum, & Paulum, & simul ad alias species, & ita esset genus, quia compararetur ut pars materialis cõtrahibilis per differentias specificas.

Tertio. Potest comparari animal ad Petrum, & Paulum, non considerando ordinem ad alias species, neque repugnãtiam existendi in illis, qua ratione reducitur ab aliquibus ad specié, & non sine fundamento : nam quamvis non sit vera species, quia non dicit totam essentiam inferiorum, assimilatur tamen illi in hoc, quod est prædicari de multis solo numero differentibus, quod proprium est speciei. Confirmatur: quia licet animal in re non sit adæquata essentia Petri, & Pauli, tamen refertur ad illos, ac si esset tota essentia, seu habet modum referendi, quem habet tota essentia: nam animal tunc non respicit Petrum, & Paulum ut pars materialis contrahibilis per differentias specificas, & ut gradus contrahibilis per plura solo numero distincta; ergo animal comparatum ad Petrum, & Paulum, non considerando ordinem ad alias species, erit species.

Secundo responderi potest, tunc gradum animalis pertinere ad genus, quia quotiescunque animal comparatur ad Petrum, & Paulum, saltem implicite, & in confuso, respicit alias species. Et ratio est, quia animal non potest comparari ad Petrum, & Paulum, nisi medio homine, ratione cuius illis convenit; sed non comparatur animal ad hominem ut quid æquale cum illo, sed ut quid superius, atque ita ut se extendens ad alias species; ergo quãdo animal comparatur ad Petrum, & Paulum, saltem implicite, & in confuso, respicit alias species, quod sufficit ut sit genus. Quare licet prima responsio possit subsistere, sitque probabilis, hæc tamen secunda, me iudice, aptior est, magisque inconcussa.

DVBIVM VI.

An natura generica prædicetur de speciebus ut pars, vel ut totum.

ANtequam hanc disputationem aggrediamur, illud animadvertimus, nos in ea observaturos eos dicendi modos, terminosque, qui sola priorum Dialecticorum voluntate in scholas inducti, recẽtiorum subscriptione probati sunt, licet nõ nemini minus proprii esse videantur. Itaque

Obser-

Obſervãdum primo. Naturam genericam tribus modis poſſe conſiderari. Primo, ut totum actuale Metaphyſicum, conſtitutum ex ratione ſuperiori,& differentia inferiori eſſentiali: qua ratione, animal dicit vivens, ſentiens. Secundo, ut partem Metaphyſicam actu, vel potentia componentem ſpeciem: & hac ratione animal nihil addit ſupra totum ſuum actuale, niſi connotationem differentiæ, cum qua componit, vel poteſt componere ſpeciem. Tertio, ut totum univerſale confuſum,& potentiale, ut animal, prout dicit non ſolum ſuam eſſentiam, ſed etiam omnia ſua inferiora confuſè.

Obſervandum ſecundo. Duobus modis poſſe dici aliquid totum potentiale reſpectu alicuius. Primo, eo quod continet aliquid in potentia ſolum: qua ratione materia prima dici poteſt totum potentiale reſpectu omnium formarum, quia illas continet in potentia. Secundo, ex eo quod contineat aliquid actu, licet confuſè, quo pacto genus dicitur totum potentiale, quia continet actu ſuas ſpecies, licet confuſè.

Sed ſtatim cooritur dubitatio, quid ſit genus eſſe totum potentiale confuſum. Quidam dicunt nihil aliud eſſe, quam poſſe prædicari totum de ſpeciebus. Non arridet expoſitio. Primo, quia genus, ideo eſt prædicabile de ſpeciebus, quia reſpectu earum eſt totum potentiale. Secundo, quia cum reſpondetur in communi ſententia, genus prædicari de ſpeciebus ut totũ potentiale, ſenſus eſſet genus prædicari de ſpeciebus, ut eſt prædicabile de ſpeciebus, quod frivolum eſſet. Alii vero autumant, nihil aliud eſſe, quam eſſe idem realiter cum illis. Sed neque hanc approbo reſpõſionem: quia genus eſt idẽ realiter cum differẽtiis, tam ſpecificis, quam individualibus, & tamen non eſt totum potentiale reſpectu illarum: quod patet, quia ſi genus eſſet totum potentiale reſpectu differentiarum, qui dicunt genus prædicari de ſpeciebus ut totum potentiale, conſequenter dicerent etiam prędicari de differentiis, quod nemo, ſi ſapiat, dixerit: ut dubitationi ſatisfaciam præmitto ex dicendis in fine huius tractatus, genus, & differentiam ſumi à tota entitate rei, de genere, (relicta modo differentia) ſuadetur etenim homo, v. g. non eſt animal, ex eo præciſe, quod habeat materiam, (alias enim lapis eſſet animal) ſed quia complectitur materiam, & animam inter ſe unitas: ergo ratio animalis non ſolum ſumitur à materia, ſed etiam à forma unita ipſi materiæ: atque adeò à tota rei entitate: cum igitur genus à tota ſpeciei entitate ſumatur, genus eſt tota entitas ſpeciei: ex alio vero capite cum genus abſtrahatur a cunctis ſpeciebus, neceſſe eſt ut totam omnium ſpecierum entitatem dicat. Quia tamen genus ſic abſtractum, & deſumptum à tota entitate ſuo cõceptu generico non exprimit, & expreſſe dicit totam entitatem ſpecierum, ſed confuſe, ideo genus non eſt tota ſpecierum entitas clare, & diſtinctè, ſed obſcure, & confuſe: atque hac ratione genus dici totum confuſum, verius iudico. His poſitis,

Sit prima propoſitio. Genus ut totum actuale, vel ut pars Metaphy-

taphysica actualis, vel potentialis non dicitur in recto de suis inferioribus. Probatur, quia nulla pars dicitur in recto de toto, hæc enim propositio totum est pars, vel pars est totum, omnino est falsa: sed genus vel ut totum actuale, vel ut pars actualis, aut potētialis est pars specierum, & inferiorū, ut patet; ergo, &c. Confirmatur primo, quia ideo hęc est falsa, Homo est materia prima, quia materia prima est pars ipsius hominis, sed genus, v. g. animal, tam ut totum Metaphysicum, quam ut pars actualis, & potentialis est pars Metaphysica hominis, ergo, &c. Confirmatur secundo, quia pars minus dicit quam totum; ergo nequit in recto de illo prędicari, ergo neque genus ut pars, poterit in recto prædicari de specie.

Ita Scotus, Soto, Boetius, Caietanus, Masius, Suarez, Murcia, Rubius citati apud nostrū Blāc disp. 3. sect. 10. univers. contra Venetum, & Canterum, citati apud eundē Blanc.

Secūda propositio. Genus prędicatur de speciebus ut totū potentiale, seu confusum: ita Porphyrius cap. de specie, ubi docet genus prædicari de speciebus, quia est quoddā totum. Et D. T. Opusc. de ente, & essentia, cap. 3. ait: Si animal non esset totum, quod est homo, non prędicaretur de illo. Prob. 1. Genus nequit prædicari, nisi vel ut pars, vel ut totum, sed ut ostendimus, non prędicatur ut pars, ergo ut totū. Secundo: quia omne prędicatum debet aliquo modo continere subiectū, de quo prædicatur, sed genus non continet species clare, & distincte, sed in potētia, & confuse; ergo de illis prædicatur, ut eas continet in confuso. Tertio, quia genus secundū eam rationem prædicatur de speciebus, secundum quam est illis superius, sed non est illis superius, nisi ut abstrahitur, & præscinditur ab illis omnibus, ergo ut totum confusum respectu illarum. Patet cōsequentia: quia esse totum confusum, (ut iam vidimus) non est aliud, quam desumi à tota entitate specierum, non clare, sed confuse cognita.

Tertia propositio. Vt genus prædicetur in recto de aliqua specie, verbi gratia, animal de homine, non requiritur ut adhuc implicite, & in confuso dicat alias species. Probatur primo: nam ut aliquod attributum prædicetur de aliquo subiecto, satis est implicite, & in confuso dicat omne id, quod dicit subiectum; ergo ut animal prædicetur de homine, sufficit quod implicite, & inconfuso dicat, id quod dicit homo, licet adhuc implicite non dicat alias species. Secundo. Vt animal prædicetur de suis speciebus, solum requiritur ut implicite dicat, omne quod dicunt species, & nihil amplius requiritur; ergo ut idē animal prædicetur de una specie, sat erit ut implicite dicat quidquid dicit illa species. Roboratur: nam sicut hæc est vera propositio in recto, Homo est animal, ita hæc alia, Hic homo est hoc animal, sed hoc animal non est aliquid universale commune illis, sed solum implicite dicit hunc hominem; ergo ad prædicationem unius de alio in recto non est necessum, ut prædicatum implicite dicat alia; & per consequens ut animal prædicetur de homine, non opus est ut implicite, & in confuso dicat alias species.

(:)

DVBIVM VI.

Itur obviam argumentis quibusdam contra superiorem doctrinam.

INsurges primo contra ea, quæ dubio superiori tradidimus. 1. Post. c. 4. Aristot. ait: Definitionem, & eius partes prædicari de definito, sed genus est pars definitionis speciei, & ut pars in illa ponitur; ergo etiam ut pars de specie definita prædicabitur. Respõdeo. Partem quamlibet definitionis metaphysice prædicari de specie, non ut partem, sed ut totum confuse continens sua inferiora.

Insurges secundo. Vna res eo modo prædicatur de alia, quo est in illa, & continet illam, sed genus est in specie, ut pars contrahibilis ad illam, & sic ipsam continet; ergo de specie prædicatur ut pars. Respõdeo. Si prædicatio sit superioris de inferiori, rem non prædicari de alia, eo modo, quo est cõtracta ad illam, vel esse concipitur, quia sic concipitur ut pars; sed prædicari, ut dicit potentiam ad ipsam, & ad alias; quo pacto est totum respectu eius, & aliarum.

Insurges tertio. Genus ut totum actuale, abstrahitur à speciebus; ergo ut totum actuale est superius illis, atque adeo prædicabile de ipsis. Respondetur, id quod prædicatur de inferioribus, non prædicari, nec esse superius illis, quatenus præcise abstrahitur à differentiis, sed quatenus in confuso cõtinet inferiora, quod non habet ut totum actuale, sic enim solum dicit sua attributa essentialia.

Insurges quarto. Genus prædicatur ut totum, & non ut pars; ergo prædicatur complete de inferioribus, & ita non distinguitur à specie. Respondetur, genus licet prædicetur, ut totum dici incomplete secundum significatum explicitum, speciem vero complete.

Insurges quinto. Animal ut totum potentiale, dicit omnes species in confuso, ergo si prædicatur de homine animal ut totum potentiale, prædicantur de homine omnes species animalis, quod est absurdum; ergo non prædicatur genus ut totum potentiale, sed ut totum actuale. Respondetur, negando consequentiam; quia cum animal prædicatur de homine, non prædicatur totum id, quod animal continet confuse, sed quod explicite; requiritur tamen ut in hoc explicito confuse contineatur aliud, alioquin prædicatio esset falsa. Quare cum dicitur, Homo est animal, sensus non est, Homo est omne animal, quod significat animal confuse; sed sensus est, Homo eadem entitate qua est homo, est animal.

Sed antequam hoc dubiũ absoluamus, solvere opus est difficultatem satis impeditam, quę nascitur ex dictis dubio superiori. Cum enim diximus, genus esse totum potestativum, & ut totum confuse sua inferiora coercere, merito aliquis scisciabitur, an quatenus totum potestativum confusum est, potẽtia, vel actu suas species contineat. Vbi non est quæstio de potentia physica, quæ hic non habet locum, cum animal realiter idem-

ptificetur cum suis speciebus. Solum ergo difficultas est, an ea contineat actu, an potentia Logica. In hac re

De ente, & essentia.

Censeo cum D. Thom. aliisq. recentioribus. Genus ut totum universale cõfusum actu, & non potentia suas species cohibere. Ducor, quia genus in primis est totum actu; atqui omne totum actu, actu similiter suas partes cõtinet; ergo & genus actu suas, quæ species sunt.

Toled. cap. de differentia. Rubius. q. 4. de genere.

Scio Toletum, & Rubium cõtrarium docuisse, sed eorum argumentis non moueor, quia tãtum fundãtur in præpostera acceptione generis secundum significatum explicitum, vel implicitum, quæ distinctio si præmanibus habeatur, facile plura eorum argumenta solventur.

Adverte in fine, hoc dubium esse commune omnibus universalibus, quia omne universale est totum potentiale, & ut sic prædicatur de suis inferioribus.

DVBIVM VII.

Qua ratione genus prædicetur de individuis.

IN hoc dubio quærimus duo. Primum est, An genus prædicetur de individuis mediate, vel immediate. Secundum, An eadem relatione specie, & numero respiciat species, & individua illarum.

Circa primum suppono ut certum. Genus ut genus respicere individua, saltem contenta sub diversis speciebus, ut animal Petrum, & hunc Leonẽ. Ratio est, quia genus ut genus refertur ad ea, quæ differũt specie, atqui non solum species, sed etiam individua, differunt specie; ergo non solum genus refertur ut genus ad species, sed etiã adindividua. Secundo, quia genus relatum ad individua, est universale, cum respiciat multa, sed non est species, differentia, &c. ergo est genus, nisi forte velis novam vocem prædicabilem constituere.

Dico primo. Genus non ita refertur ad individua mediante specie, ut eius relatio prius concipiatur terminari ad speciem, & postea ad individua, quia relatio generis est simplex, & indivisibilis; ergo quando cõcipitur terminari ad solam speciem, vel concipitur tota relatio, vel non: si non concipiatur tota, ergo nihil eius concipitur, atque adeo illa non est relatio generis; si vero concipiatur terminari ad solam speciem, concipitur tota relatio; ergo non potest concipi terminari postea ad individua, quia hoc fieri nõ potest sine additione novi respectus, & conceptus obiectivi in ipsa relatione. Confirmatur, quia actus intellectus, quo per imaginem cognoscimus prototypum, non prius concipitur terminari ad imaginem, quam ad prototypum; ergo relatio generis nõ prius ad speciem, quam ad individua concipitur terminari. Patet consequẽtia, quia sicut ratio cognoscendi prototypum est imago, ita ratio formalis cur ad individua referatur genus, sunt species, ut patebit conclusione tertia.

Dico secundo. Genus non ita refertur ad individua mediante specie, ut eius relatio non terminetur vere, & proprie ad individua in seipsis. Hoc dico, quia posset aliquis cogitare, sic se habere

bere relationem generis respectu individuorum, sicut se habet visio respectu substantiæ, quam in se non videt, sed in albedine: sed non ita esse probatur: quia in hac propositione Homo, & equus, Petrus, & Bucephalus participant rationem animalis, intellectus expresse cogitat non solum de homine, & equo, sed de Petro, & Bucephalo eorum individuis, in quibus animal esse dicitur; ergo animal non tantum refertur proprie ad hominem, & equum, sed etiam ad illa individua. Probo consequentiam: quia relatio generis ad eos terminos proprie fertur, quos exprimit cõparatio intellectus, sed hæc exprimit individua, ergo relatio proprie terminatur ad ea. Confirmatur exemplo actus intellectus cognoscentis unum per aliud, sicut enim utrumque proprie exprimit, sic ad utrumque terminatur proprie.

Dico tertio. Ratio formalis, propter quam genus refertur ad individua, non sunt individua, sed species: & in hoc sensu admitti potest, genus non referri ad individua immediate, sed media specie. Probatur: quia genus non respicit individua, nisi ut est pars materialis essentiæ eorum: sed non est pars materialis ipsorũ essentiæ, nisi quatenus in eis continetur species; ergo ratio formalis, cur genus referatur ad individua, est species. Secundo. Si realiter, vel per intellectum individua non continerent rationem specificam, genus non ea respiceret: è contra vero si species non haberet adiunctum individuum, nihilominus genus respiceret speciem; ergo hæc est ratio formalis, cur genus respiciat individua. Confirmatur: quia illa est ratio formalis respectus generici, quæ dat essentiam generi: sed solæ species dant essentiam generi, ergo solæ ipsæ sunt ratio formalis respectus generici.

Circa secundum, quod quærimus in præsenti dubio, suppono: Genus eadem numero relatione referri ad omnes species. Ratio est, quia idem est fundamentum proximum, scilicet eadem natura abstracta ab inferioribus, modo supra explicato; & idem est terminus adæquatus, scilicet plures species, ergo eadem erit numero relatio; tum etiam, quia tunc una, & eadem relatio numero respicit plures terminos inadæquatos, quando illos petit ratione suæ essentiæ, sed relatio generis, quando refertur solum ad species ratione suæ essentiæ, petit plures terminos; ergo eadem relatio generis poterit respicere plures species.

Dico quarto. Genus eadẽ numero relatione secundum speciem refertur ad species, & individua. Probatur: quia ille relationes sunt eiusdẽ speciei, quarũ rationes formales terminandi sunt eiusdem speciei, sed sic se habet relatio generis ad species, & individua, ergo est eiusdem speciei. Probatur minor: nam species terminant relationẽ generis, quatenus distinguũtur specie, & quatenus respectu illa ũ genus se habet ut pars materialis, sed etiam individua terminant relationem generis, quatenus distinguntur specie, & quatenus participant genus ut partem materialem essentiæ; ergo species, & individua terminant relationem generis sub eadem

Ita noster Blanc disp. 3. sectio. 8. universs. & multi recentiores.

ratione formali, atq. adeò eiusdem speciei erit relatio generis ad species, & ad individua.

Cõfirmatur. Relatio, qua substantia immediate refertur ad corpoream, & incorpoream eiusdẽ speciei est cum illa, qua mediate refertur ad hominẽ, & brutum; ergo relatio, qua genus immediate respicit species, eiusdẽ speciei erit, cum illa, qua mediate respicit individua.

Dico ultimo. Genus eadẽ numero relatione potest referri ad omnes species, & individua illarum. Probatur: nam potest intellectus unico actu concipere animal, ut relatum ad hominem, & leonem, ad Petrum, & hunc leonem, sed tunc concipitur in animali unica numero relatio generis, quæ habet pro termino non solum species, sed etiam individua; ergo genus eadem numero relatione refertur ad species, & individua. Secundo: quia genus respicit individua ratione specierum, ita ut idem numero gradus generis conveniens immediate speciei, ratione illius conveniat individuis; ergo genus eadem numero relatione refertur ad species, & individua. Cõfirmatur primo, exemplo substãtiæ adducto, quæ eadem numero relatione respicit immediate corpus, & spiritum, & mediate hominem, & brutum. Confirmatur secundo: quia nulla est repugnantia, cur non possit genus una numero relatione respicere species, & individua; ergo ita dicendum est.

Obiicies primo contra primũ dictum. Relatio generis eo ordine cõcipitur terminari ad individua, quo natura generica in illis esse cõcipitur, sed hæc prius concipitur esse in specie, & postea in individuo; ergo relatio generis prius concipitur terminari ad speciẽ, & postea ad individua. Nego maioremdisparitas est, quia natura generica nõ est essentialiter in individuis, ut patet: quia si essentialiter in illis esset, non posset nisi in illis concipi, quia tamen essentialiter in individuis non est, potest concipi exsistẽs prius in specie, quam in illis; at relatio, qua natura refertur ad individua propter speciẽ, essentialiter fertur ad utrũque, & cum ex alia parte sit indivisibilis, non potest cõcipi prius ad speciẽ, quam ad individuum terminari.

Obiicies 2. contra 3. dictũ. Genus non refertur immediate ad species, ergo multo minus refertur ad species, & individua immediate. Antecedens patet, quia plures species subiiciuntur generi, ergo conveniunt in ratione subiicibilis, sed ratio subiicibilis mediat inter genus, & species, ergo genus immediate refertur ad hanc rationẽ subiicibilis, & eius intervẽtu ad species. Resp. negãdo antecedẽs. Ad probationem eius nego consequentiam. Primo, quia terminus generis essentialiter sunt plures species, ratio vero subiicibilis est una. Secundo, quia prius est genus referri ad plures species, quã illam rationem ab speciebus abstrahi. Similiter obiici poterat, species, & individua conveniunt in ratione subiicibilis respectu generis; ergo genus immediate terminatur ad rationẽ subiicibilem abstractam ab individuis, & speciebus. Sed hæc obiectio eodem modo solvitur.

Obiicies 3. contra 4. dictũ. Genus

nus refertur ad ſpecies immediate, & ad individua mediate, ergo refertur relationibus ſpecie diverſis. Nego conſequentiam: nam relatio generis habet idem fundamentum, & eundem terminum formalem, ut diximus.

Obiicies ultimo contra ultimum dictũ. Vnum individuum non poteſt unica numero relatione ſubiici ſpeciei, & generi, ergo neque genus poteſt referri unica numero relatione ad ſpecies, & individua. Nego conſequentiam: & ratio diſparitatis eſt, quia individuũ diverſo modo reſpicit genus, & ſpeciem: genus reſpicit ut partem materialem eſſentiæ, & ſpeciẽ, ut totam eſſentiam; at vero genus eodem modo reſpicit ſpecies, & individua, ſcilicet tanquam ſpecie diverſa.

DVB. VIII.

An dentur individua generis et immediatè ſubiecta.

CErtum eſt nullum individuum eſſe à parte rei, quod ſub aliqua ſpecie non exiſtat, ut hic leo ſub leone, & Petrus ſub homine. Solum ergo eſt difficultas, An gradus genericus, v. g. animal, poſsit concipi cum fundamẽto in re immediate contractum per differentiam individualem, ita ut in hoc individuo hoc animal non concipiatur differentia ſpecifica, ſed ſolum animal, & differentia individualis, quæ ipſum faciat individuum.

Ita Caietanus, ut refert Tolet. in expoſitione huius cap. Ru-bius cap. de ſpecie. q. 5. contra Fonſeca m. 1. Met. c. 28. q. 14. & Suarium diſp. 6. Met. ſect. 9.

Sit aſſertio prima. Admittenda ſunt individua generis ipſi immediate ſubiecta. Probatur à priori: nam licet differentia individualis Petri in ſe ſit indiviſibilis, poteſt tamen à noſtro intellectu dividi per plures conceptus inadæquatos in plures differẽtias individuales ratione diſtinctas individuantes, & ſingularizantes gradus ſuperiores; ergo differentia individualis Petri prout determinat naturã animalis, conſtituit individuum diſtinctũ ratione ab eo, quod conſtituit, quatenus determinat naturã hominis; ergo dãtur individua generi immediate ſubiecta.

Tota difficultas cõſiſtit in antecedẽti, quod ita probatur. Gradus univerſales cuiuſcunque individui, licet ſint una, & eadem entitas realis, diſtinguuntur tamen ratione inter ſe; ergo habent exiſtentias ratione diſtinctas, atque adeo differentias individuales ratione diverſas: nã eo modo, quo aliqua duo habẽt exiſtentias diſtinctas, ſunt diſtincta individua, ergo differentia individualis Petri partiri poteſt in varios conceptus inadæquatos ratione diſtinctos reſpondentes gradibus univerſalibus, & conſtituentes illos exiſtentes, & ſingulares.

Confirmatur: quia principia realia re diſtincta dicunt individuationes realiter diſtinctas, nec enim cenſentur principia, niſi per ordinẽ ad individuationem, nec diſtincta re principia ſine indiduatione re diſtincta; ergo principia ratione diſtincta requirunt individuationes ratione diſtinctas; nec cenſebuntur principia ratione diſtincta, niſi per individuationes ratione diverſas.

Secundo: quia ut vidimus, ex operationibus ſenſitivis, & diſcurſivis colligũtur diſtincta principia; ergo ex eadẽ operatione ſenſitiva individua, & ex diſcurſiva indi-

individua, colliguntur etiã principia individua formaliter distincta. Probatur consequentia: quia non minorẽ connexionem habent operationes sensitivæ, & discursivæ individuæ, cum principiis discurrendi, & sentiendi individuis, ac operationes sensitivæ, & discursivæ, ut sic cum animali, & rationali ut sic.

Vltimo. Ex eo quod animal sit in alia specie à rationali colligunt adversarii, ut vidimus dubio 3. disputatio. 2. universal. animal differre formaliter à rationali; ergo ex eo, quod animal sit in alio individuo distincto ab individuo rationalis, colligendum differre ratione individuum animalis ab individuo rationalis.

Collige. Animal ad individua sibi immediate subiecta cõparatũ, scilicet ad hoc, & illud animal nõ esse genus, sed speciem, quia cum hæc individua solum componantur ex natura animalis, & differentia individuali, solum distinguuntur numero, & animal est tota illorum essentia; ergo prædicatur de illis non ut genus, sed ut species, sicut homo de suis individuis. Hic obiter nota, quando diximus, genus prædicari mediate de individuis, non loqui de individuis genericis, sed de specificis.

DVBIVM IX.

In quo adversariorum argumenta proponuntur, & enodantur.

OPpones primo. Exsistentiæ distinctæ postulant distinctas individuationes, sed animal, ut distinctum à propria differentia individuali, habet exsistentiam, ergo & aliam differentiam individualem. Cæterum falsa est consequentia: nam licet in rebus realibus exsistentiæ re diseitæ, poscant diversas præsentias, non inde fit exsistentiam substantiæ diversam à præsentia postulare aliã distinctam præsentiam; ergo etiam animal, ut distinctum à propria differentia individuali, nõ indiget alia.

Oppones secũdo. Animal non includit essentialiter aliquã differentiam individualem, aliter non posset concipi abstractum ab illa; ergo neque erit individuum immediate, & ratione sui. Respondeo negando consequentiam. Sufficit enim quod habeat differentiam individualem realiter idemptificatam, licet illam in suo conceptu essentiali non claudat: sicut species infima, v. g. homo in omnium sententia immediate contrahitur per differentiam individualem, & tamen non includit illam essentialiter, sed per realẽ idemptitatem.

Oppones tertio. Animal est indifferens, & in potentia, ut per differentiam specificam determinetur, ergo donec intelligatur hoc modo determinatum, nõ erit proxime capax individuationis. Respõdemus distinguẽdo consequẽs, nõ est proximè capax individuationis specificę, concedo; individuationis genericę, nego: nam cum individuũ specificum includat speciem, rãtio generica non potest contrahi ad ipsum, nisi media specie; potest tamen immediate contrahi ad individuum genericum, quia non includit speciem.

Oppones quarto. Differentia individualis, quæ contrahit speciem

ciem, sufficienter contrahit etiam omnes gradus superiores inclusos in ipsa specie; ergo frustra finguntur à nobis tot differentiæ individuales. Respondemus distinguendo antecedens, vel mediate, vel immediate: primum est verum, secundum falsum; plures igitur conceptus eiusdem totalis differentiæ individualis distinguuntur à nobis, ut immediate cõtrahant gradus superiores.

Oppones 5. Non minus est essentialis ordo, & cõnexio inter differentiam genericam, & individualem, quam inter differentias superiores magis, & minus universales; sed substantia, v.g. nequit contrahi per differentiã rationalitatis, nisi media differẽtia animalis; ergo neque animal poterit contrahi per differentiã Petri, nisi media differentia hominis. Respõd. disparem esse rationem, quia rationale precisè est constitutivum hominis, qui essentialiter est animal, & ita rationale solum potest coniungi cum animali, cum quo solum potest constituere hominẽ; & consequenter non possunt concipi plures cõceptus distincti rationalitatis, correspondentes gradibus superioribus; at vero effectus formalis differentiæ individualis, ut sic est constituere rem singularem, & individuam, cuius effectus quilibet gradus superior est capax, quia est effectus transcendẽtalis consequens omnem entitatẽ: nam sicut omnis res ex se habet essentiam, ita existentiam, & singularitatem; atque adeo distingui possunt plures cõceptus differẽtiæ individualis, quorum quilibet correspondeat suo gradui inferiori.

DVB. VLTIMVM.

Quæ naturæ possint affici relatione generis.

NOtandum est id, quod de genere dicturi sumus, intelligendum esse de aliis vocibus.

Positio prima. Omne ens positivum, sive completum, sive incompletum, quod habet sub se plura specie distincta, in quorũ differentiis non includitur, induere potest notionem generis. Probatur, quia notio generis est respectus naturæ communis ad plures species, quibus convenit in quid; ergo eo ipso, quod intellectus adverterit unam naturam convenire pluribus speciebus in quid, poterit eam ad ipsas generis relatione comparare. *Conimbric. quæst. 2.*

Addidi in conclusione, Sive completum, siue incompletum, ut explodam sententiam Caietani in cap. de specie arbitrantis, entia incompleta non posse generis relationem induere. Probatur tamen speciatim de his, quia ab hac, & illa forma potest abstrahi ratio communis actus, & similiter à materia cœlesti, & sublunari, si specie differant; sed illa ratio potest prædicari de pluribus specie differẽtibus; ergo, &c.

Nec dicas, relationem rationis completam non posse fundari in ente incompleto, etenim si brachium hominis, quod ens est integraliter incõpletum, recipere potest quantitatem, quæ in esse talis completa sit; cur nõ poterit natura incompleta admittere relationem completam in esse talis?

Addo

Addo id necessario admittendum: nam duæ materiæ, licet sint entia incompleta, sunt similes inter se, ergo fundant veras relationes similitudinis, quæ in esse talium cõplectissimæ sunt, cum nulla earum ordinetur ad aliam componendam. Relatio enim materię nõ componit unam aliam cum relatione, quam forma dicit ad aliam formam, ut per se liquet.

Positio 2. Entia negativa ut talia affici possunt notione generis. Probatur, quia sicut homo, & leo conveniunt in ratione animalis, & distinguuntur in esse talis, ita negatio hominis, & negatio leonis conveniunt in esse negationis, & differunt in esse talis; ergo sicut intellectus ab homine, & leone abstrahit animal, quod afficitur notione generis, ita pariter ab illis negationibus abstrahere poterit negationem, quæ afficiatur notione generis.

Dices primo contra 2. positionem. Aristoteles dicit, non entis, & privationis nullas dari species, & differentias, ergo entia negativa nequeunt esse genera. Respondeo, Aristotelem intelligẽdum esse de speciebus, & differentiis positivis, id est, non entia, & privationes non habere species, & differentias positivas pro naturis. *4. Topicorũ, cap. 3 tex. 67. & alibi.*

Dices 2. contra eandem positionem. Genus contrahitur ad speciem, quam componit per differentiam, sed ad hoc ut sic determinetur, debet esse aliquid positivum, ergo entia negativa, vel privativa, nequeunt affici notione generis. Respondeo negando minorem: quia ens negativum, vel privativum determinari potest ad speciẽ per differentiam negativam, vel privativam sibi proportionatam.

Dices ultimo cõtra propriam positionem. Vt aliquid denominetur notione generis, debet in eo concipi positiva relatio ad inferiora: sed si res non concipitur ut positiva, non potest in ea concipi relatio, ergo negatio, & privatio, si non concipiantur ut entia positiva, non poterunt notione generis affici. Minor probatur, quia relatio concipitur sustentari ab eo, in quo concipitur, & illud informare: sed quod non concipitur ut ens positivum, non potest concipi ut sustentans rem positivam, ergo negatio, & privatio concepię ut non entia, non sunt capaces relationis genericæ. Respondeo negando minorem. Ad probationem eius iterum nego minorem. Relatio enim rationis bene potest in negatione fundari. Si enim negatio capax est accidentis realis extrinseci, nimirum extrinsecæ denominationis à cognitione divina talem negationem cognoscente, cur non erit capax formæ positivæ rationis, quæ quasi inhæreat in tali privatione, aut negatione, ab ea quæ sustentetur?

Positio 3. Entia rationis vestiri etiam possunt simili generis notione. Prob. ratione: nam ratio abstracta ab entibus realibus specie diversis, est genus, ergo & abstracta ab entibus rationis similiter distinctis, atqui sunt multa entia rationis specie distincta, ut superius satis probatum est, ergo ab eis præscindi poterit ratio communis, quæ generica relatione vestiatur.

Maior

Maior difficultas est, An entia per accidens simili relatione generis indui queant. Nam Conimbricens. omniũ primi in negantem partem abiere, quos sequuti sunt communiter recẽtiores, moventur quia universale debet esse unum per se, sed totum illud aggregatum est unum per accidens, ergo, &c. Nobis tamẽ pars affirmans probatur, colligiturq. ex his, quæ ad explicationẽ Porphyrianę generis definitionis dicebamus; quia ab hac domo, & illa potest abstrahi una ratio cõmunis, sicut ab hoc, & illo animali, quæ vere de utraque prædicetur, cur ergo negandum est talem rationẽ posse esse genus, si relatio rationis accedat? Ad oppositum nego maiorem: ens enim per accidens habet unitatem essentiæ, cum habeat unam essentiam oppositam essentiæ entis per se, ut late probavi in fumulis, cuius oppositum Conimbric. autumarunt; tum etiam habet unitatem universalem, cum intellectus concipiat unam rationem entis per accidens, cum revera à parte rei multiplex sit, quod dumtaxat prærequiritur ad universale, ut fiet perspicuum consideranti.

Hic quæst. 2. artic. 2.

Hinc collige contra citatos Conimbricenses, partes Heterogeneas, vel Homogeneas affici posse relatione generis: nam ideo, ipsi solum negant, quia sunt entia per accidens.

(:)

CAPVT II.

De Specie.

SVMMA CAPITIS.

IN tres item partes caput hoc, sicut præteritum de genere finditur à Porphyrio, quas ex contextus ipsius penitiori contemplatione, breuissime pro more nostro in medium proferemus. Ait ergo:

Species autem dicitur, &c. In hac prima capitis parte, & quasi limite, tres apponit speciei significationes. Prima est, qua corporis elegans forma exponitur, à qua homines speciosi vocantur. Vnde illud, *Speciosus forma præ filiis hominum.* Duę aliæ significationes Philosophiæ sunt. Altera est, Species est id, quod sub genere collocatur, dicturque communiter species subiicibilis. Altera est id, quod de pluribus numero differentibus in quæstione quid est, prædicatur, atque hæc omnium propriissima.

Psalm. 44.

Atque id quod dicimus, &c. Explicat prædicamẽtorum seriem, ad quam suprema genera, species infimas, & interiectas admittit, & licet de individuis nullam fecerit mẽtionem, non ideo ea excludenda censuit à Categoriarum sedibus; sed eorum ideo sic non meminit, quia de universalibus tantummodo sermonem instituit, ut recte Conimbricenses in contextu notarunt.

Individuum autẽ de uno solo, &c. Individui definitionem adiũgit

in

in calce capitis, idque ait esse, quod de uno solo particulari prædicatur; quod ideo præstitit ut speciei naturam, quam præcipue investigat, facilius inveniret, quod fieri facile non posset, si individui ignoraretur essentia, cum species id definiatur, quod de pluribus numero differentibus dicitur.

DISPVTATIO QVARTA.

Investigatur speciei, atque individui natura.

Licet in universalium essentiis proponendis, Porphyrius naturæ ordini insistens differentiam speciei prætulerit; nos tamen in hac doctrina ex professo tradenda, speciem differentiæ cum ipso Porphyrio anteponemus, ne verum, ac rectum doctrinæ ordinem deseruisse videamur. Et cum hac de specie disputatione, disputationē de individuo cōiungemus, eiusdem sequuti vestigia, qui utrûque eodem capite cōplexus est; ad nullam quippe ex quinque vocibus commodius, quam ad speciem individua poterant revocari.

DVBIVM I.

An natura specifica componatur ex genere, & differentia.

Præmitto primo. Metaphysicam speciei compositionem ex genere, & differentia Physicam suo modo imitari. Nam sicut homo, v.g. realiter, & physice componitur ex materia, & forma realiter coniunctis, sic idem homo metaphysice constituitur ex animali, & rationali per intellectus operationē unitis.

Præmitto 2. Compositionem esse unionem rerum distinctarū, quæ duplex est; altera realis, & altera rationis. Realis est illa, quæ reperitur inter partes realiter distinctas; rationis verò, quæ inter partes sola ratione distas.

Placitum 1. Natura specifica frequenter ex genere, & differētia coalescit. Probatur; quia homo ut totum quoddam metaphysicū, constat partibus, ergo componitur ex illis, sed illæ sunt animal, & rationale, ergo species componitur ex genere, & differentia. Confirmatur, quia homo ut species non est pars, ut patet, sed totum; ergo vel simplex, vel compositum; non simplex, ut est certum, ergo compositum; & ita ex partibus, scilicet ex genere, & differentia, cum aliæ Metaphysice partes assignari non possint. Dixi frequenter, quia probabile est aliquas esse species, quæ ex genere, & differentia non constant, ut substantia respectu huius, & illius substantiæ, quātitas, & quando, de quibus in prædicamentis. Quamvis & istæ, licet proprio genere, & differentia non constent, aliquo tamen constare debent, quod utriusque fungatur officio, aliter in definitionem venire non possent.

Ita Arist. 7. Met. cap. 12. D. Th. ibid. lectio. 12. & omnes fere, dempto Dinaco à Iesu disp. 6. q. 5.

Placitum 2. Hæc compositio non est realis, sed rationis. Probatur, quia compositio est distinctorum unio, ergo talis est com-

posi-

positio; qualis est distinctio, & unio inter extrema; sed inter genus, & differentiam solum intercedit distinctio, & unio rationis, ergo & cõpositio rationis

Placitum 3. Natura specifica, ut composita ex genere, & differentia, est unum ens Metaphysicum. Prob. quia ex materia, & forma resultat unum ens physicum, quia sunt partes physicę ad unum physicum cõpositum efficiẽdum ordinatę per se, quarum una se habet utpote physica, & altera ut actus, sed genus, & differẽtia sunt partes metaphysicę, quarum una, scilicet genus, se habet ut potentia metaphysica, & altera, scilicet differentia, se habet ut actus; ergo etiam ex genere, & differentia resultabit unũ ens metaphysicum, quod totum metaphysicum appelletur.

Oppones 1. Homo à parte rei est animal rationale, ergo compositio ex animali, & rationali realis est. Nego consequentiam: nam homo à parte rei non dicit animal, & rationale tanquã partes formaliter componentes, sed tantum fundamentaliter, cum animal, & rationale à parte rei nec inter se, neque ab homine distinguantur.

Oppones 2. Cõpositum ex genere, & differẽtia, v. g. homo, est compositum reale, ergo compositio debet esse realis: nam quando concretum est reale, etiam illius abstractum reale esse debet. Resp. Compositum ex genere, & differentia, formaliter sumptum ut compositum non esse ens reale, sed rationis, quia ut sic dicit unionem rationis.

Hoc argumentum postulat ut explicemus, An in huiusmodi compositione speciei ex genere, & differentia, intercedat aliqua unio rationis, distincta à partibus, vel nõ. Resp. affirmative, quia hæc cõpositio metaphysica ex genere, & differentia, fit ab intellectu ad modũ compositionis physicæ ex materia, & forma, ergo sicut inter materiam, & formam mediat realis unio, ab ipsis partibus distincta, ita inter genus, & differentiam mediare debet unio rationis ab ipsis partibus distincta.

Nec obstat si dicas cũ Suario, differentiã uniri generi per suãmet essentiã, sicut accidentia modalia seipsis uniuntur subiectos nã sicut forma est realiter separabilis à materia, ita differentia secũdum rationẽ separabilis est à genere: potest enim cõcipi differentia secundũ se, & nõ ut actu adhærens generi; ergo sicut forma requirit aliquid reale distinctũ, ut uniatur materiæ, ita differentia requirit aliquit rationis distinctũ, ut uniatur generi, quod nihil aliud est, quam unio rationis. *Disput. 105. Metaph. sectione 11.*

Vnde collige, differentiã non se habere respectu generis ut modũ respectu rei, cuius est modus, sed ut formã respectu materię: unde de essentia differentię non est actu adhærere generi, & actu determinare illud ad speciẽ, sed posse sicut nõ est de essentia formę actu informare, sed posse informare materiam.

DVBIVM II.

Quid sit species subiicibilis.

PRænotandum 1. Speciẽ subiicibilem posse bifariam sumi. Primo, materialiter pro natura

in calce capitis, idque ait esse, quod de uno solo particulari prædicatur; quod ideo præstitit ut speciei naturam, quam præcipue investigat, facilius inveniret, quod fieri facile non posset, si individui ignoraretur essentia, cum species id definiatur, quod de pluribus numero differentibus dicitur.

DISPVTATIO QVARTA.

Investigatur speciei, atque individui natura.

LIcet in universalium essentiis proponendis, Porphyrius naturæ ordini insistens differentiam speciei prætulerit; nos tamen in hac doctrina ex professo tradenda, speciem differentiæ cum ipso Porphyrio anteponemus, ne verum, ac rectum doctrinæ ordinem deseruisse videamur. Et cum hac de specie disputatione, disputationē de individuo cōiungemus, eiusdem sequuti vestigia, qui utrūque eodem capite cōplexus est; ad nullam quippe ex quinque vocibus commodius, quam ad speciem individua poterant revocari.

DVBIVM I.

An natura specifica componatur ex genere, & differentia.

PRæmitto primo. Metaphysicam speciei compositionem ex genere, & differentia Physicam suo modo imitari. Nam sicut homo, v.g. realiter, & physice componitur ex materia, & forma realiter coniunctis, sic idem homo metaphysice constituitur ex animali, & rationali per intellectus operationē unitis.

Præmitto 2. Compositionem esse unionem rerum distinctarū, quæ duplex est; altera realis, & altera rationis. Realis est illa, quæ reperitur inter partes realiter distinctas; rationis verò, quæ inter partes sola ratione disiunctas.

Placitum 1. Natura specifica frequenter ex genere, & differentia coalescit. Probatur: quia homo ut totum quoddam metaphysicū, constat partibus, ergo componitur ex illis, sed illæ sunt animal, & rationale, ergo species componitur ex genere, & differentia. Confirmatur, quia homo ut species non est pars, ut patet, sed totum; ergo vel simplex, vel compositum; non simplex, ut est certum, ergo compositum; & ita ex partibus, scilicet ex genere, & differentia, cum aliæ Metaphysice partes assignari non possint. Dixi frequenter, quia probabile est aliquas esse species, quæ ex genere, & differentia non constant, ut substantia respectu huius, & illius substantiæ, quātitas, & quando, de quibus in prædicamentis. Quamvis & istæ, licet proprio genere, & differentia non constent, aliquo tamen constare debent, quod utriusque fungatur officio, aliter in definitionem venire non possent.

Ita Arist. 7. Met. cap. 12. D. Th. ibid. lectio. 12. & omnes fere, dempto Dinaco à Iesu disp. 6. q. 5.

Placitum 2. Hæc compositio non est realis, sed rationis. Probatur, quia compositio est distinctorum unio, ergo talis est com-

posi-

positio, qualis est distinctio, & unio inter extrema; sed inter genus, & differentiam solum intercedit distinctio, & unio rationis, ergo & cõpositio rationis

Placitum 3. Natura specifica, ut composita ex genere, & differentia, est unum ens Metaphysicum. Prob. quia ex materia, & forma resultat unum ens physicum, quia sunt partes physicę ad unum physicum cõpositum efficiẽdum ordinatę per se, quarum una se habet utpote physica, & altera ut actus, sed genus, & differẽtia sunt partes metaphysicę, quarum una, scilicet genus, se habet ut potentia metaphysica, & altera, scilicet differentia, se habet ut actus; ergo etiam ex genere, & differentia resultabit unũ ens metaphysicum, quod totum metaphysicum appelletur.

Oppones 1. Homo à parte rei est animal rationale, ergo compositio ex animali, & rationali realis est. Nego consequentiam: nam homo à parte rei non dicit animal, & rationale tanquã partes formaliter componentes, sed tantum fundamentaliter, cum animal, & rationale à parte rei nec inter se, neque ab homine distinguantur.

Oppones 2. Cõpositum ex genere, & differẽtia, v. g. homo, est compositum reale, ergo compositio debet esse realis: nam quando concretum est reale, etiam illius abstractum reale esse debet. Resp. Compositum ex genere, & differentia, formaliter sumptum ut compositum non esse ens reale, sed rationis, quia ut sic dicit unionem rationis.

Hoc argumentum postulat ut explicemus, An in huiusmodi compositione speciei ex genere, & differentia, intercedat aliqua unio rationis, distincta à partibus, vel nõ. Resp. affirmative, quia hæc cõpositio metaphysica ex genere, & differentia, fit ab intellectu ad modũ compositionis physicæ ex materia, & forma, ergo sicut inter materiam, & formam mediat realis unio, ab ipsis partibus distincta, ita inter genus, & differentiam mediare debet unio rationis ab ipsis partibus distincta.

Nec obstat si dicas cũ Suario, differentiã uniri generi per suãmet essentiã, sicut accidentia modalia seipsis uniuntur subiectonã sicut forma est realiter separabilis à materia, ita differentia secũdum rationẽ separabilis est à genere: potest enim cõcipi differentia secundũ se, & nõ ut actu adhærens generi; ergo sicut forma requirit aliquid reale distinctũ, ut uniatur materiæ, ita differentia requirit aliquit rationis distinctũ, ut uniatur generi, quod nihil aliud est, quam unio rationis. *Disput. 105. Metaph. sectione 11.*

Vnde collige, differentiã non se habere respectu generis ut modũ respectu rei, cuius est modus, sed ut formã respectu materiç: unde de essentia differentię non est actu adhærere generi, & actu determinare illud ad speciẽ, sed posse sicut nõ est de essentia formę actu informare, sed posse informare materiam.

DVBIVM II.

Quid sit species subiicibilis.

PRænotandum 1. Speciẽ subiicibilem posse bifariam sumi. Primo, materialiter pro natura

tura ipſa, quę alteri ſubiicitur. Secundo, formaliter pro rationis relatione, qua natura alteri ſubiicitur, ut in hac prædicatione, Homo eſt animal, homo eſt ſubiicibile materialiter; relatio vero, qua homo ſubiicitur animali, eſt ſubiicibile formaliter. Vel ut aliis terminis ſolet proponi, ſubiicibile ut quod, & ut quo; illud eſt natura, hoc vero notio, ſeu relatio rationis.

Prænotandum 2. Speciem duplicem eſſe, unam interiectam, & alteram infimam: hæc eſt, quæ ſub ſe non cõtinet alias ſpecies, ut homo; illa vero, quæ eas continet, ut animal.

Prænotandum 3. Veramque ex his ſpeciebus poſſe habere duplicem reſpectum; primum ad ſuperiora, ſecundum ad inferiora: in ordine ad ſuperiora, ſpecies ſubiicibilis dicitur; in ordine ad inferiora, prædicabilis.

Prænotandum 4. Subiicibile univerſi in communi dividi in quinque ſubiicibilia, ſicut ipſum univerſum in communi dividitur in quinque univerſalia: nam cuicunque prædicabili proportionate reſpondet ſuum ſubiicibile. Primum eſt ſubiicibile generis, ut homo reſpectu animalis. Secundum ſpeciei, ut Petrus reſpectu hominis. Tertium differentiæ, ut Petrus reſpectu rationalis. Quartum proprii, ut Petrus reſpectu riſibilis. Quintum demum accidentis, ut Petrus reſpectu albi. Vnde ſicut univerſum in communi denominatur genus in ordine ad quinque univerſalia, quia hæc diverſo modo reſpiciunt ſua inferiora, ita relatio ſubiicibilitatis in communi denominatur genus ad quinque ſubiicibilia, quia diverſo modo reſpiciunt ſuperiora.

Prænotandum ultimo. Sicut genus quadruplici relatione refertur ad ſpeciem, vel tanquam ad eam, in qua eſſe poteſt, vel eſt actu, vel de qua prædicari poteſt, vel actu prædicatur, ita ſpeciem ſubiicibilem totidem relationibus referri poſſe ad genus, vel tanquam ad illud, quod in ea eſſe poteſt, vel actu eſt, vel quod de ipſa prædicari poteſt, vel actu prædicatur. Ex his quatuor relationibus ſubiicibilitatis, prima dumtaxat conſtituit eſſentialiter ſubiicilem ſpeciem, ſicut ex quadruplici illa generis relatione ad ſpeciem, prima ſolum conſtituit eſſentialiter genus, ut ſupra fuſe probatum eſt.

Sit prima concluſio. Species ſubiicibilis ita eſſentialiter definitur, Subiicibile alteri immediate, ut parti materiali eſſentiæ. In hac definitione, Subiicibile, eſt genus, quia eſt quid commune omnibus ſubiicibilibus, & debet intelligi de ſubiicibili primo modo explicato: particula, immediate, eſt differentia, per quam diſtinguitur ſpecies ab individuis, quæ ſubiiciuntur generi mediate. Illa autem individua, quæ ſupra diximus, immediate ſubiici generi, non ſubiiciuntur illi ut genus eſt, & pars materialis, ſed ut ſpecies, & tota eſſentia illorum: per particulam, ut parti materiali eſſentiæ, diſtinguitur ſpecies ſubiicibilis ab aliis ſubiicibilibus, quæ diverſo modo ſubiiciuntur ſuis ſuperioribus, nempe eo, quo ſuperiora, & univerſalia de illis prædicantur. Vnde hæc definitio eſſentialis

eſt,

est, quia traditur per genus, & differentias essentiales.

Secunda conclusio. Subiicibilitatis relationes speciei infimæ, & interiectæ sunt eiusdem speciei. Probatur, quia omnes species eodé modo respiciunt genus, scilicet ut partem materialem essentiæ, ergo quod sint interiectæ, vel infimæ, non variat essentialem rationé speciei subiicibilis, sicut quod genus sit supremum, vel interiectum non variat essentialem generis rationem.

Colligo primo. Genus, & speciem subiicibilem esse relata: nam relata sunt, quorum totum esse consistit in habitudine, & respectu ad aliud, sed ita se habent species subiicibilis ut sic, & genus: nam species alicuius generis est species, & genus alicuius speciei est genus, ergo sunt relata.

Collige secundo. Definitiones speciei subiicibilis, à Porphyrio traditas, scilicet quæ sub assignato genere collocantur, & aliam scilicet quæ subiicitur generi, & de qua genus prædicatur, esse inter se distinctas, non solum verbis, sed etiam sensu: nam prima traditur per relationem subiicibilitatis, qua species respicit genus ut universum; & secunda traditur per relationem subiicibilitatis, qua species respicit genus ut prædicabile, ut constat ex ipsis definitionibus; sed istæ relationes sunt inter se diuersæ, ergo etiam definitiones.

DVBIVM III.

An species subiicibilis ut sic, sit universalis.

Dico primo. Relatio speciei subiicibilis bene potest esse universalis passivè, & vt quod. Prob. quia continet sub se hác, & illam relationem subiicibilitatis, ergo potest referri ad illas per intellectum, & esse universalis. Nota tamen, illam relationem licet sit subiicibilitatis, affici tamen formaliter alia relatione prædicabilitatis.

Dico secundo. Relatio speciei subiicibilis ut sic, non est universalis ut quo, & active. Probatur, quia non refert naturam ad multa inferiora, sed ad unum superius; sed hoc requiritur ad universale; ergo relatio speciei subiicibilis ut sic, non est universalis.

Dico tertio. Natura ut est species subiicibilis, non est universalis. Ex dictis sequitur hoc dictum, nihilominus amplius probatur. Primo, quia universale est unum pertinens ad multa inferiora, sed species ut subiicibilis non pertinet ad plura inferiora, sed ad unum superius; ergo species ut subiicibilis non est universalis. Secundo. Vniversale continet confuse sua inferiora, sed species ut subiicibilis non continet inferiora, sed continetur confuse in superiori, nempe genere, ergo ut subiicibilis non est universalis. Tertio. Inferius ut sic non est superius; particulare ut sic non est commune, sed species ut subiicibilis generi est inferior, & particularis respectu

eius, ergo ut subiicibilis non est superior, & communis.

Insurgis 1. Species subiicibilis ut sic non est singularis, ergo est universalis. Resp. Speciem subiicibilem ut subiicibilem non esse universalem, neque singulare formaliter, esse tamē universam fundamentaliter.

Insurgis 2. Relata sunt sub eodē genere, sed genus & species subiicibilis sunt relata; ergo continentur sub eodē genere, atqui genus est sub universali, ergo & species subiicibilis. Resp. Relata debere esse sub eodē genere proximo, vel remoto: unde genus, & species iam continentur sub eodem genere remoto, scilicet sub relato rationis.

Insurgis 3. Quælibet species participat suum genus in quantum illi subiicitur, & est illi inferior, sed quælibet vox prædicabilis est species universi, ergo participat rationē universi, quod est genus in quantum illi subiicitur, & est illius species subiicibilis, & per consequens species subiicibilis ut sic erit universalis. Resp. negando maiorē: nam species non participat suum genus in quantum illi subiicitur, id est, in quantum dicit relationē subiicibilitatis ad illud, imo potius hæc relatio subiicibilitatis supponit speciem participare suum genus: v.g. homo non est animal, quia habet relationem subiicibilitatis, & inferioritatis ad animal, sed potius quia in sua essentia includit animal, potest concipi ut illi subiectus, & inferior: similiter species secunda vox prædicabilis non est universa, quia subiicitur universo in communi, sed potius è contra, quia in sua essentia includit universum ut partem materialem, potest recipere relationem subiicibilitatis in ordine ad illud, & idem est de aliis vocibus prædicabilibus.

Insurgis ultimo. Species ut respicit genus, est abstracta ab individuis, ergo est universale Metaphysicum. Nego antecedens: quia species ut respicit genus, solum dicit relationem subiicibilitatis; hæc autem non ponit abstractionē, sed ad summum eam supponit.

DVBIVM IIII.

Quid sit species prædicabilis, & an sit cum subiicibili connexa.

CIrca primam dubii partem, dico primo. Species prædicabilis bene, licet accidentaliter, definitur à Porphyrio, Id quod prædicatur in quid de multis numero differētibus. Probatur: nam per illam species prædicabilis declaratur, & distinguitur ab omnibus aliis; ergo est recta definitio. Antecedēs constat: nam per illam particulam (de multis) distinguitur ab individuo; per illam (de multis numero differentibus) à genere; per illam (in quid) à differentia, proprio, & accidēti. Quod sit accidentalis patet, quia traditur per proprietatem, ut constat ex dictis de generis definitione: ex quibus etiam colligendum est, quodnam sit definitū in hac definitione, & quid in ea locum generis habeat: idem enim de specie, ac de genere, cum proportione dicendum est.

Dico

Dico 1. Species prædicabilis est essentialiter ita definitur: Vniversum intra essentiam, ut tota essentia. Prob. nam cōstat vero genere, & vera differentia: universale enim est genus, in quo convenit species cum aliis vocibus prædicabilibus; reliquę particulę sunt differentia: nam per illam (intra essentiam) differt à proprio, & accidenti; per illam (vt tota essentia) à genere, & differētia. Scio brevius definiri posse, Vniversum ut tota essentia, & redundare particulā (intra essentiam:) eo enim ipso, quod dicitur ut tota essentia, dicitur intra essentiam: istam tamen adhibui, quia maioris claritatis gratia adhiberi solet à Doctoribus notæ melioris.

Oppones 1. Rationale respectu huius, & illius rationalis, risibi le respectu huius, & illius risibi lis, albedo respectu huius, & illius albedinis, prædicantur de multis numero differētibus tantum, sed non sunt species, ergo prædicta Porphyrii definitio nō est bona. Resp. Illa omnia species esse illo modo considerata, licet respectu subiectorum sint differentia, proprium, & accidens.

Oppones 2. Species non constituitur per prædicari de numero differentibus, sed per prædicari ut tota essentia, ergo non recte definitur à Porphyrio. Respōd. Eo ipso, quod aliquid prædicatur in quid de numero tantum differentibus, sequitur prędicari ut tota essentia: & ita sufficienter id explicatur per definitionem Porphyrii.

Oppones 3. Si una anima rationalis informaret materiam sublunarem, & altera divinitus cœlestem, tunc homines, qui ex illis partibus resultarent specie differrent, ergo iam species, nēpe homo, prædicatur de rebus non solo numero, sed etiam specie diversis. Resp. Si divinitus fieri posit, (dummodo materia cœlestis à sublunari specie distinguatur) ut anima rationalis informet illam, nego tunc hominem fore speciem, sed genus, ut per se est manifestum. Illud autem compositum semimonstrum esset, cum forma rationalis petat materiam corruptibilem. Quare abstinendum modo censeo à quęstione de illius possibilitate, cum id non requirat argumenti solutio.

Oppones ultimo, Individua addunt supra speciem differentias individuales, quæ sunt essentiales individuis, ergo species non est tota essentia individuorum. Resp. Speciem dicere totam essentiam cōmunem individuorum, per quod sufficienter à genere discriminatur, cum totam essentiam cōmunem non dicat.

Circa 1. dico. Species prædicabilis, & subiicibilis non sunt ita inter se connexæ, ut una sit proprietas alterius. Prob. 1. quia istæ duæ relationes sunt inter se independentes, & sine ullo ordine prioris, & posterioris: nam abstracta natura ab inferioribus, potest intellectus pro libito referre illam primo ad inferiora, & constituere speciem prædicabilem, vel ad superiora, & constituere speciem subiicibilem, præsertim quia sunt diversi ordinis. Vna enim est ordinis universalis, & superioris; altera vero ordinis subiicibilis, & inferioris, ergo sunt disparatę, & quasi oppositę. Secūdo, quia istæ

notiones mutuo inter se separã-tur: nam genera interiecta in or dine ad superiora, habent rationem speciei subiicibilis, & in or dine ad inferiora non habent ra tionem speciei prædicabilis, sed generis. Deinde genus supremũ in ordine ad individua sibi immediate subiecta adscitur relatione speciei prædicabilis, ut ostendimus, & tamen non potest esse species subiicibilis, cum supra se nõ habeat aliud genus, cui possit subiici, ergo istæ relationes non sunt inter se cõnexæ.

Collige, speciem prædicabilem, & subiicibilem solum convenire æquivoce, & in nomine, hocque voluisse Porphyriũ, cum dixit, speciem eadem relatione referri ad iudividua, & ad genus.

DVBIVM V.

An natura inmultiplicabilis, in plura individua possit esse species prædicabilis.

QVæstionem istam late tractare solét Theologi in materia de Angelis: propria tamẽ est huius loci, ut per se cõstat. Vt autẽ statim innotescat, in quo sita sit difficultas, & controversię cum Thomistis status, animadvertere oportet non hic agi de natura, quæ de facto unicum tantum habet individuum, plura tamen habere potest, saltẽ de potentia absoluta; exẽpli gratia natura Solis, quæ licet in uno sit individuo, possunt tamen alia, atq. alia à Deo produci; hãc vero naturam certum est, affici posse speciei notione. Tota igitur controversia est de Angelica natura, v. g. Angeli Gabrielis, quam Thomistæ immultiplicabilem esse putant etiam divinitus, & tamen eam speciem esse volunt, & ad individuum Michaelis, & ad alia, quæ cum impossibilia sint, ipsi fingunt, ut essentia specifici cõstitere possit. Nos hic non differemus, Vtrum Angelica natura Gabrielis in alia individua multiplicari possit: id enim Theologi negotium est, sed posita ea immultiplicabilitate, Vtrum talis natura rationem speciei obtinere possit. Affirmãtem partẽ mordicus tenent Thomistæ cum Caietano, quam ut explicent præmittũt, universum esse duplex. Aliud secundũ rem, & rationem simul, scilicet quod in reipsa in multis est, & in multis cõcipitur, ut homo. Alterum secundum rationem tantum, scilicet quod à parte rei nequit esse in multis, concipitur tamen ab intellectu ut commune multis, qua ratione arbitrantur Angelicam naturã esse universam. 1. part. q. 13. artic. 9. & Opusc. de ente, & essentia, cap. 5. & in hoc capite de specie, dub. 3.

Sit assertio 1. Posita Thomistarum opinione, negante Angelicam naturam posse divinitus numero multiplicari, implicat eam posse esse speciẽ prædicabilem. Ostenditur 1. ex D. Thoma, distinguente duplex universale, Vnum quod actu est in multis, & aliud potestate, & dicente divinam naturam ideo neutro modo esse universalem, quia nec actu, nec potestate est in multis naturis: sed posita Thomistarum opinione, Angelica natura nec est in multis actu, nec potestate, quia nec habet actu individua, nec illa potest habere; ergo non poterit esse species prędicabilis. 1 part. q. 13. artic. 9.

Secundo Natura, quæ non abstrahitur à differẽtia individuali, non potest esse species prædicabilis,

cabilis: sed in sententia opposita, natura Angelica, v.g. Gabrielis, ita se habet, ergo non potest esse species prædicabilis. Minor prob. quia eo ipso quod Gabrielis natura cõcipiatur ut immultiplicabilis, concipitur ut individua; ergo si in suo conceptu essentiali includit esse immultiplicabilem, includet etiam esse individuam; ergo si concipiatur secundum essentiam, nunquam poterit ab individuatione præscindi.

Tertio ex S. Thoma: Si natura secundum se esset singularis, non posset adhuc mẽte esse universalis, sed natura Angelica in hac sententia secundũ se est singularis, ergo neque per intellectum fieri potest universalis.

Quarto. Petrus ideo nequit esse species adhuc secundum rationem, quia essentialiter est singularis; ergo si natura Gabrielis essentialiter est singularis, neq. per rationem fieri potest universalis, & species.

Respondebis, disparem esse rationem, quia Petrus concipitur per propriam speciem, natura vero Gabrielis per alienã. Sed contra. Primo, quia licet natura Angelica cõcipiatur ad modum rei materialis, concipitur tamen ad modum rei materialis individuæ, & incommunicabilis, v.g. Petri, cui repugnat omnino universalis, ergo etiam repugnabit naturæ Angelicæ, quæ ad modũ illius cõcipitur. Secundo. Petrus concipitur per aliẽnã speciem, scilicet per speciem accidentis, (nõ enim habemus species proprias substantiarum) ergo etiam poterit fieri universus. Tertio. Omnia individua concipiuntur à nobis in Thomistarũ opinione per species rerum universalium, ergo poterũt fieri species. Quarto. Anima individua Petri dum est in corpore, cognoscit se per speciem rerum materialium, ut omnes concedunt; ergo poterit seipsã efficere universam. Quinto, quia sequeretur etiam naturã divinam esse universalẽ, & concipi ut cõmunem multis. Diis nam etiam concipitur per speciẽ rei materialis; quod quam absurdum sit, ex se patet.

Nec refert si dicas, Deum non concipi compositum ex genere, & differentia, neque ex essentia, & subsistentia, ex quibus Angelus componitur, quia ad rationẽ universalitatis impertinens est talis compositio: nam substantia in communi respectu huius, & illius substantia est species, & tamen non cõponitur ex genere, & differentia, item accidentia sunt species, & tamen non componũtur ex essentia, & subsistentia.

Sexto. Licet naturæ Angelicæ cõcipiantur per alienas species, nunquam tamen debet concipi aliquid repugnans illis essentialiter; sed si concipiantur ut multiplicabiles naturæ Angelicæ, concipitur aliquid repugnans illis essentialiter, cum essentialiter sint immultiplicabiles, ergo quamvis concipiãtur per species rerum materialium, non poterũt esse universales. Respõdebis, nõ repugnare naturis Angelicis multiplicari, quatenus participant naturam specificã, licet illis repugnet, quatenus participãt differentias individuales. Sed contra est primo, quia vel illæ duæ rationes distinguuntur per intellectum, vel non: si nõ, ergo quocunque modo sumatur Gabriel, repugnabit illi talis multiplicatio,

catio, cum repugnet illi, quatenus participat differentiam individualem, si autem distinguantur per intellectum, sequitur illam naturam esse immultiplicabilem, nō solum per intellectū, sed etiam à parte rei, quia ideo natura humana potest multiplicari à parte rei, quia ratione distinguitur à differentia individuali, ergo etiam natura Gabrielis.

Vltimo probatur nostra conclusio argumento efficacissimo. Quælibet species prædicabilis, in omnium sententia, debet synonyme cōvenire multis individuis, atqui suppositā immultiplicabilitate Physica naturæ Angelicæ, nequit pluribus univoce convenire, ergo neq. esse species prædicabilis. Minor probatur, quia sub natura Angelica unum tantum individuum est possibile; ergo omnia alia, quæ sub ea concipiuntur, sunt conficta per intellectū, cum sint impossibilia realiter, atqui natura Angelica realis nequit univoce convenire uno individuo reali, & alii fictis, sicut neque natura humana potest univocè convenire homini ficto, & vero; ergo natura Angelica, suppositā immultiplicabilitate numerica, nequit pluribus univoce convenire; & consequēter neque esse species prædicabilis. Nec refert si dicas, illa individua non esse ficta, sed apprehēsa, nā præter unū individuum alia sunt impossibilia, ergo sunt ficta, & rationis, cum solum habeant esse per apprehensionem intellectus.

Assertio 2. Natura Angelica posita eius immultiplicabilitate, nequit esse species subiicibilis. Probatur: quia species subiicibilis dicit naturam præcisam à differentiis individualibus, & comparatam ad superiora, sed natura Angelica nequit præscindi à differentia individuali, cum includat illam in sua essentia, ut ex dictis constat, ergo non poterit esse species subiicibilis. Collige iuxta hanc sententiam consequenter dicendum esse, Michaelem, & Gabrielem distingui essentialiter, nō ut duas species, sed ut duo individua duarū specierum, atque adeò spiritum in communi esse genus, & ut sic immediate prædicari de individuis: quæ omnia sequuntur ex opinione Thomistarum: nos verò absolutè existimamus naturā Angelicā posse divinitus in plura individua multiplicari, atq. adeò denominari posse speciem prædicabilem, & subiicibilem.

Dices 1. Quidquid concipi potest ut unum commune multis individuis, potest esse species prædicabilis, sed natura Michaelis ita potest cōcipi, ergo potest esse species prædicabilis. Minor probatur: quia natura Michaelis potest abstrahi per intellectū à sua differentia individuali, ergo & concipi ut communis. Nego minorem. Ad probationem nego antecedens: nam illa differētia specifica Michaelis in illo casu non distingueretur à differentia individuali.

Dices 2. Licet multiplicatio numerica repugnet Michaeli ut est talis, non tamen illi repugnat ut est species, ergo quatenus est species, poterit esse universalis. Resp. Michaeli, quovis modo sumpto, repugnare multiplicabilitatem in Thomistarum doctrina, & consequenter universalitatem, quia individualem diffe-

differentiam in se essentialiter claudit. Vnde constat non esse admittendam illam universi divisionem in secundum rem, & rationem, & secúdum rationem tantum, eo modo, quo à Thomistis explicatur.

Dices 3. Si quis conciperet Michaelem, ut communem multis individuis, revera conciperet illum ut speciem, sed nequit multiplicari in illis à parte rei, ergo quamvis natura sit immultiplicabilis, poterit denominari à notione speciei prædicabilis. Resp. Illum, qui ita cõciperet Michaelem, iuxta hanc sententiam, revera non concipere Michaelem, sed aliam naturam fictam: sicut si conciperet Petrum multis convenientem, non conciperet Petrum, sed alium fictum, quia mutaret illius essentiam.

DVBIVM VI.

Quid sit individuum.

RAtioni consentaneum est, ut de individuo, quod est correlativum speciei, agamus, ut speciei natura clarius eluceseat: quod in præfariuncula ad præsentem disputationẽ proposuimus.

Adverte 1. Individuũ esse duplex; primo intẽtionaliter, & secũdo intẽtionaliter. Primomodo significat naturam aliquam, quæ non potest dividi realiter in varia individua, ut Petrus. Secundo vero modo est relatio quædam rationis, qua individuum primo intentionaliter refertur ad unum, quod duplex est, subiicibile, & prædicabile. Subiicibile est relatio rationis media, qua individuum primo intentionaliter alicui subiicitur: ut in hac prædicatione, Petrus est homo, relatio illa, qua Petrus subiicitur homini. Individuum prædicabile secundo intentionaliter, est relatio rationis, qua individuum primo intentionaliter de alio prædicatur, ut in hac prædicatione, Petrus est hoc animal, relatio illa, quę recipitur in hoc animali.

Adverte 2. Individuum à Porphyrio ita definiri: Illud, cuius omnes simul proprietates alteri convenire non possunt. Nomine proprietatum istæ septẽ communiter intelliguntur ex Boetio, & Alberto, Nomen, Patria, Locus, ac Tempus nativitatis, Parentes, Complexio, & Externa forma; quas hoc distichũ comprehendit:

Forma, Figura, Locus, Nomen, Stirps, Patria, Tempus,
Vnum, perpetuo reddere lege solent.

Dico 1. Prædicta definitio bona est, licet accidentalis. Prob. quia explicat rationem individui, & illud distinguit ab aliis, saltim à posteriori; nã nequeunt omnia accidentia, & proprietates, quæ alicui individuo conveniunt, alteri convenire simul, & sub eisdem circunstantiis. Quod sit accidentalis patet, quia traditur per multorum accidentium colectionem.

Dico 2 Porphyriana definitio præcipue convenit individuis substãtiæ, licet aliquo modo convenire possit individuis accidẽtium. Prima pars ab omnibus admittitur, & patet, quia omnia illa accidentia proprie dumtaxat, in individuis substantiæ reperiuntur, ergo prçcipue convenit illis. Secunda pars probatur, quia licet individua accidẽtium

non habeant omnes circunstantias prædictas; habent tamen aliquas suo modo, v.g. esse in tali subiecto, tali tempore, à tali agente, &c. ergo si absolute intelligatur Porphyrii definitio, etiã conveniet individuis accidentium.

Dices. Omnes dictæ proprietates possunt convenire multis, ergo mala est definitio Porphyrii. Resp. negando antecedens: nam cũ differentiæ individuales differant, debent ab illis manare peculiares proprietates, quæ aliis non conveniant, quæ licet à nobis quidditative non cognoscantur, significantur tamen eo modo, quo possunt prædictis nominibus.

Dico 3. Individuum materialiter sumptum, ita potest essentialiter definiri: Natura ultimo terminata declaratur, nã Petrus ideo est individuum, quia est ultimo terminatus, & constitutus per suam differentiam individualem, ita ut non sit capax alterius perfectionis pertinentis ad hominis constitutionem, in quo differt à natura specifica, v.g. humana, quæ est capax differentiæ individualis, cum qua particularem constituit hominem.

Dico 4. Individuum formaliter sumptum, sive secundo intentionaliter, ita definitur essentialiter: Relatum rationis ad unum tantum; accidentaliter vero, quod de uno tantum prædicatur, ut in hac prædicatione, Petrus est hoc rationale: in his definitionibus, ut patet, solum definitur Individuum prædicabile, non vero subiicibile. Hæ definitiones proportionate respondent definitionibus universi: quod definitur essentialiter, Relatum rationis ad multa, & accidentaliter, quod prædicatur de multis. Circa definitum, & genus definitionis accidentalis individui, idem dicendum est, quod supra dixi, cum proportione de definitionibus accidẽtalibus quinque vocuum, ex his constat individuum subiicibile dicere naturam individuam, ut relatam ad speciem, vel ad aliud individuum, quod prædicatur de ipsa natura individua, ut in his prædicationibus, Petrus est homo, Petrus est hoc animal.

DVBIVM VII.

Quotuplex sit individuum prædicabile.

Dico 1. Quinque sunt individua prædicabilia specie distincta. Primum respondet generi, secundũ speciei, tertium differentiæ, quartum proprio, & quintum accidenti. Probatur, quia quinque modis singulare ad subiectum de quo prædicatur potest comparari, atqui relationes illæ sunt specie distitę, ergo quinque erunt individua prædicabilia specie distincta. Maior patet. Minor probatur: quia illa prædicata diverso modo afficiũt sua subiecta; ergo relationes, quæ in illis prædicatis fundantur, erunt specie distinctæ.

Firmatur, quia tanta est diversitas inter istas propositiones, Franciscus est hoc animal, Franciscus est hic homo, &c. quanta inter has, Fraciscus est animal, Franciscus est homo, &c. sed istę fundant relationes specie distinctas, ergo & illæ.

Obiicies. Non datur individuum, respondens proprio, ergo

non

non sunt quinque individua prę dicabilia. Prob. antecedens. Prædicatio proprii debet esse necessaria, sed hæc, v.g. Franciscus est hoc risibile, non est necessaria, ergo non est prædicatio proprii. Minor patet, quia hoc risibile nō est necessarium Petro; nam Petrus non magis postulat hanc risibilitatem quam aliam; hanc vero solum habet ex libera Dei vóluntate, qui determinavit, & voluit, ut potius hæc numero risibilitas, quam alia in Petro resultaret.

Hæc obiectio supponit hoc risibile formale non esse necessarium Petro, quod adhuc sub iudice lis est, cum utraque sententia habeat sùos sectatores ex recentioribus. Quare resp. Prædictam obiectionem solum militare contra eos, qui non agnoscunt proprietates, nisi reipsa distinctas à subiecto; non vero contra nos, qui contrariam amplectimur sententiam: (nam risibilitas radicalis, & volitivum radicale sunt proprietates respectu hominis) atque adeò huiusmodi prædicatio erit individui proprii, Franciscus est hoc risibile radicale, nam hoc risibile radicale est omnino necessarium Francisco.

Dico 2. Individuum subiicibile etiam est quintuplex. Probatur, quia subiicibile, & prædicabile sunt correlativa, ergo eo pacto, quo illa prædicabilia individua dicunt quinque relationes specie distinctas ad Franciscum, ita Franciscus dicet quinque relationes subiicibilitatis specie distinctas ad eadem prædicabilia, v.g. ad hoc animal, ut parti materiali, ad hunc hominem ut toti essentiæ, ad hoc rationale, ut parti formali, ad hoc risibile, ut accidenti necessario, ad hoc album ut contingenti.

Dico 3. Individuum prædicabile in cōmuni formaliter sumptum, genus est ad quinque individua prædicabilia. Prob. Nam sicut quinque universalia conveniunt in hoc, quod est prædicari de multis, & differunt inter se specie, quia habēt diversum modum prædicandi de multis, scilicet ut pars materialis ut tota essentia, &c. ita quinque individua prædicabilia conveniunt in hoc, quod est prædicari de uno tantum, & discriminantur inter se specie, quia habent diversum modum prædicandi de uno, videlicet ut pars materialis, ut tota essentia, &c. ergo sicut universum ad quinque universalia est genus, ita pariter individuum prædicabile ad quinque individua prædicabilia erit genus. Idē dictum volo de individuo subiicibili, proportione servata, etenim cuicunque individuo prædicabili suum individuum subiicibile cum proportione respondet.

Collige. Quotiescunque aliquod attributum refertur ad unum tantum, & de uno tantum effertur, esse individuum prædicabile, sive tale attributum sit natura singularis, sive universalis. Ratio est, quia ratio formalis individui Logici in eo tota consistit, ut vnum ad unum tantum referatur, vel de uno tantū prædicetur: & ita quando intellectus comparat hominem in communi, ad Petrum tantum, ut cum considerat Petrum esse hominē, nihil considerando de aliis individuis, vel animal ad hominem tantum, nullam aliarum specierum

rum concipiendo, (& idem est de rationali,& aliis)tunc temporis hęcattributa prędicatur prędicatione individui,quia per illam relationem refertur attributum ad unum tantum, & de uno dumtaxat enuntiatur.

Obiicies. Omne genus debet prædicari de multis,sed individuũ in cõmuni non potest prædicari nisi de uno, ut est ex ipsius definitione perspicuũ, cum sit res singularis, & individua; ergo individuum in communi longissime abest à generis conditione, individuum quippe & genus opponuntur inter se. Resp. negando minorem:nam quando dicitur individuum solum prædicari de uno,intelligitur de individuo particulari, & materialiter sumpto, vel de individuo ut quod, non tamẽ de individuo in communi,& ut quo, quia hoc eo ipso, quod abstrahitur ab omnibus individuis, potest prædicari de omnibus illis: nam licet individuum in cõmuni sit individuum ut quo, tamen ut quod non est individuum, sed potius universum, & genus in ordine ad omnia individua: sicut notio generis, v. g. licet sit universa ut quo, tamen ut quod, est individua, & singularis.

DVBIVM VIII.

An directe,& formaliter individuum prædicetur.

NOto individuum esse duplex. Vnum completum, quod dicit integram naturam singularem, cum differentia individuali totali:ut Petrus, qui integram dicit humanitatẽ, cum sua differentia individuali. Aliud est individuum incompletum,& partiale, quod dicit aliquam rationem partialem, cum differentia individuali; & hoc individuum vel est individuum generis, quod dicit naturam generis singularizatam,ut hoc animal; vel differentia, ut hoc rationale;vel proprii,ut hoc risibile;vel accidentis, ut hoc album; & hoc discrimen reperitur inter Petrum, & alia individua assignata:nam Petrus formaliter,& expresse dicit totam suam entitatem singularem,cum differentia individuali; at vero hoc animal v. g. explicite dicit solam naturam animalis, cum differentia individuali illi respondente, implicite tamen dicit totum Petrum.

Sit cõclusio prima. Individuũ completum, ut Petrus,non prædicatur prædicatione directa, & formali. Hoc dictum per se patet: nam Petrus non se habet ut forma,& actus respectu alicuius,cũ non sit attributum existens in alio, sed potius alia existant in ipso; ergo Petrus nõ potest prædicari de alio prædicatione directa, & formali; potest tamen prædicari idemptice de seipso; ut si dicas,Petrus est Petrus:supra enim diximus, Petrum in ratione prędicati sufficienter à seipso per rationẽ distingui,quatenus habet rationem subiecti, & indirecte de aliquo individuo incompleto, ut si dicas,hoc animal est Petrus.

Secunda conclusio. Individua generis, differentiæ, proprii, & accidentis prędicantur formaliter, & directe de individuo completo,v g.de Petro. Probatur primo:nam prędicatio formalis est illa,

illa, in qua attributum se habet ut forma, & actus respectu subiecti, & implicite dicit totũ quod dicit subiectum, sed sic se habẽt istæ prædicationes; ergo sunt directæ, & formales. Minor prob. nam in hac prędicatione, Petrus est hoc rationale, (idem esto de aliis) attributum concipitur per modum actus, & formæ existentis in ipso Petro; & sicut rationale significat habens rationalitatem, ita hoc rationale significat habens hanc rationalitatem, ergo implicite dicit totum Petrum, qui est habens hanc rationalitatẽ, & per consequens prædicatio erit directa, & formalis.

Secundo. Sicut se habet animal ad hominem, ita hoc animal ad hunc hominem, nempe Petrum; sed hæc est directa, Homo est animal, ergo etiam hæc alia, Petrus est hoc animal; & idem erit de iis aliis, Petrus est hoc rationale, hoc risibile, hoc album. Confirmatur: nam sicut animal explicite solum dicit gradũ animalis existentẽ in homine implicite, tamen dicit totam essentiam hominis: similiter hoc animal explicite, solum dicit gradũ animalis, contractum per differentiam individualem; implicite autem dicit totam essentiam Petri, ergo sicut illa est prędicatio formalis, & directa, ita & ista.

Istæ autẽ prædicationes, Hoc rationale est hoc rationale, hoc risibile est hoc risibile, sunt idẽptiçę, quia idem omnino significatur in subiecto, ac in attributo; in aliis verò prædicationibus formalibus aliud significatur in attributo formaliter, & aliud in subiecto, v.g. in hac prædicatione, Petrus est hoc animal, vel hoc rationale, in subiecto scilicet in Petro expresse concipitur tota, & integra entitas Petri, cum eius differentia individuali; at in attributo, scilicet Hoc animal, vel hoc rationale, expresse solum concipitur essentia animalis, vel differentia essentialis cum differentia individuali, prout expresse individuãti rationem animalis, vel differentiæ essentialis, ergo sunt prędicationes directæ, & formales.

Præcipua difficultas in hac quæstione est de individuo speciei, an scilicet directe prædicetur de uno, ut in hac prædicatione, Petrus est hic homo. Aliquibus videtur hæc prædicatio idemptica, & non formalis, quia hic homo idem omnino significat, quod Petrus. Nobis tamen asserẽdum videtur cum quibusdam recentioribus esse prædicationem formalẽ. Ratio est, quia licet idem omnino significetur in subiecto, & in attributo, diverso tamen modo significatur in uno, quam in alio; in attributo enim significatur clare, & expresse, quod in subiecto confuse solum; vel saltim non ita clare significabatur, ergo erit prædicatio formalis, sicut hæc alia est formalis, Homo est animal rationale, quia licet totum quod dicit subiectum, dicat etiam attributum, diverso tamen modo dicit, scilicet attributum clare, & expresse, & subiectum solum implicite.

Dices primo. Ergo hęc prædicatio, Petrus est Petrus, non erit idemptica, sed formalis, cum supra dixerimus, Petrum ut prædicatum distingui à seipso in ratione subiecti. Nego tamen consequẽtiam: quia licet in ratione prædi-

prædicati possit per rationem distingui à ratione subiecti, eque tamen clare utroque modo concipitur; quod non accidit in exemplo posito in cõclusione: nam in hac prædicatione, Petrus est hic homo; terminus ille, hic homo, non solum differt à Petro in ratione prædicati, sed etiam in eo quod diverso modo, & clariori significet id quod prædicatum confusius continebat.

Dices 1. Arist. capite de substantia docuit, Primas substantias, id est, individuas, nec esse in subiecto, nec dici de subiecto. Et in Antepræd icamentis, cap. 2. dixit, accidentia singularia esse in subiecto, sed non dici de subiecto; ergo nec individuũ substantiæ, nec accidentis prædicantur formaliter. Respond. Aristotelem solum voluisse primas substantias, & accidentia singularia de inferioribus non prædicari tanquam vera universalia, quod verissimum est.

DVBIVM IX.

De individuo vago.

INdividuum vagum significat naturam universalem, particulari nota affectam, ut quidam homo. Difficultas est, An sit sola vox communis multis individuis, vel potius ratio aliqua abstracta, & universalis. Caietanus, & Ruuius dicunt, individuum vagum esse sextum universale; Hurtadus vero universale esse, non tamen distinctum à quinque vulgatis: vult enim revocari ad illud universale, ad quod pertinet terminus, quem affigit vox, Aliquis, vel quidam, v. g. quoddam animal ad genus, quidam homo ad speciem, &c.

Caietanus 1. par. q. 30. & hoc loco Ruuius q. 7. nume. 138. Hurtad. disput. 5. Logica, sect. 9.

Pro explicatione veræ sententiæ, nota. Individuum vagum nõ solas dicere voces; nam cum dicimus, Petrus est quidam homo, non est sensus, Petrum esse duas istas voces, quidam homo, esset enim omnino falsa prædicatio.

Sit placitum primum. Individuum vagum non dicit rationem communem, & universalem, si sumatur ut communiter sumi solet. Probatur primo, quia quidam homo includit differentiam singularem incertam hãc, vel illam, ergo per eam contrahitur homo, & fit singularis, ergo constitutum ex ea, & homine non est universale. Secundo. Hæc prædicatio, Petrus est quidam homo, significat, Petrum esse hominem singularem, incertum hunc, vel illum, sed hæc incertitudo non facit ut illa ratio sit communis multis, ergo, &c. Tertio. Istæ enuntiationes, Omnis homo est animal, Quidam homo est animal, sunt subalternæ; ergo altera illarum est universalis, & altera particularis, atqui prima est universalis, ut patet; ergo secunda erit particularis, atque ita, quidam homo, non aliquid universale significat.

Consulto dixi, si individuum vagum sumatur, prout communiter sumi solet: nam potest significare idem, quod individuum specificum, v. g. quidam homo, potest significare idem, quod individuum hominis, quopacto est aliquid commune, & universale: nam in hoc sensu idem est dicere, quidam homo,

ac

ac individuum humanum, sed individuum humanum est quid commune Petro, & Paulo, cum ambo participent naturam humanam contractam, & singularizatam; ergo individuum vagum, ut quidam homo, potest dicere aliquid commune, & universale.

Dices. Quidam homo potest significare aliquid cõmune individuis humanis, ergo possumus dicere, omnis quidam homo, sicut dicimus, omne individuum humanum. Respondeo. In totò rigore ita posse dici, nihilominus non ita dicitur, quia communiter, quidam homo, supponit pro individuis sub disiunctione; deinde, quia istæ duæ notæ, omnis, & quidam, apprehenduntur ut repugnantes inter se.

Confirmatur, quia differentia individualis Petri, & differentia individualis Pauli, licet distinguãtur inter se, conveniunt tamen in ratione differentiæ individualis naturæ humanæ; ergo possumus cõcipere rationem communem differentiæ individualis naturæ humanæ, non conceptis particularibus rationibus, & illam tribuere ipsi naturæ humanæ, cum qua constituet individuum hominis in communi, quod ut sic nec erit Petrus, nec Paulus, sed quid commune illis; atque adeò denominabitur universale, & species prædicabilis, cum prædicetur de illis ut tota essentia, non minus, ac homo in communi; imo magis cum dicat, differentiam individualem illorum secundum rationem communem.

Insurgis primo cum Caietano *1. de Interpret. cap. 1. no*, & Ruuio. Aristotel. vocat universales istas propositiones, Aliquis homo est albus, Aliquis homo non est albus, ergo aliquis homo est universalis. Respondeo. Aristotel. solum velle illas propositiones esse de subiecto universali, non accepto universaliter, sed particulariter, quia homo afficitur nota particulari. Vnde concludit eas non esse contrarias, quia contrariæ debent esse ambæ universales, quod nobis mirifice fauet.

Insurgis secundo cum Hurtado. Hæc propositio, Petrus est aliquis homo, est prædicatio universalis de singulari, sed non est accidentalis, ut patet, quia Petro non est accidentalis singularitas. Vnde nec pertinet ad proprium, nec ad accidens; nec pertinet ad genus, quia non prædicatur incomplete; nec ad differentiam, quia quidam homo non prædicatur in quale de Petro, ergo pertinet ad speciem. Tota huius argumenti machina ruet, si negetur illius maior secũdum communem significatum individui vagi, & concedatur totum argumentum secundum particulare significatum; quod ita faciendum esse, ex dictis constat.

Insurgis 3. Hæ prædicationes, Petrus est homo, Petrus est aliquis homo, solo nomine differunt, sed prima pertinet ad speciem, ergo & secunda. Minor probatur, quia sensus istius propositionis, Petrus est homo, non est esse hominem in communi, esset enim falsa; neque esse hunc hominem in particulari, quia licet quantum ad rem prædicatum id dicat, non tamen id exprimit modus prædicandi; sen-

sensus ergo est, Petrum esse aliquem hominem, hunc scilicet, vel illum, atqui idem contingit in prædicatione de individuo vago, ergo ille propositiones non distinguuntur inter se, cum nota aliquis non variet modũ concipiendi speciem, sed illum explicet. Resp. negando maiorem: ad probationem dico, terminũ (Homo) per notam quidam variari, quia per singularitatem illi naturæ adiunctam, homo fit singulare individuum hoc, vel illud, quod expresse docuit Aristotel. dicens, Quidam homo, esse primam substantiam; prima autem substantia est singularis, & individua. Cum autem dicitur, Petrus est homo, prædicata essentialia hominis dicuntur de Petro, sine aliqua nota singularizante.

Cap. de relatione, tex. 6.

CAPVT III.

De Differentia.

SVMMA textus.

IN tres item partes, quod de Genere, & specie præstitimus, hoc caput de Differentia partiri possumus.

Differentia vero, &c. Quinque differentię divisiones proponit, seu potius unam, & eandẽ quintuplici verborum forma explicat. Illa vero est, qua differentia in communem, propriam, & maximepropriam dividitur: de omnibus longiorem sermonem in disputationib⁹ nostris texemus, earumque discrimina, quæ hic apponit Porphyrius, fusius indicabimus.

Has itaque definitiones, &c. Tot differentiæ diffinitiones tradit, quot divisiones tradiderat. De his item postea agemus.

Differentia est id, &c. Hic demũ differentiis propria, communiq. exclusis, maxime propriam anteponendam censet, quam & suscipit definiendam, & explicandam.

DISPVTATIO QVINTA.

De natura, & distinctione differentiæ.

AGemus in præsenti disputatione de Differentiæ natura, ut essentia speciei integre cognoscatur: illa enim est veluti compositum constans materia, & forma Metaphysica. Materiæ munus genus exsequitur, differentia vero partes agit formæ, ex quibus Metaphysicè copulatis totum quoddam resultat, quod plane cognosci non poterit, nisi quam diligenter supra materiam exposuimus, tam accurate modo formæ naturam investigemus.

DVBIVM I.

An divisio differentiæ in cõmunem, propriã, & maximepropriam sit perfecta, & adæquata.

PRæmoneo 1. Differentiam cõmunẽ esse formam separabilẽ à sub-

à subiecto, per quam aliquid differt ab alio, vel etiam à seipso in diversis temporibus, ut canescere, & currere; differentiam vero propriam esse formam inseparabilem, qua unũ ab alio differt, ut risibile, deniq. maximè propriam esse formam, per quam unum essentialiter differt ab alio ut rationale: quæ est manifesta doctrina Porphyrii in initio capitis.

Præmoneo 2. Differentiã posse sumi tribus modis. Primo, pro forma faciente differre unum ab alio, qualis est rationale, vel risibile in homine. Secundo, pro relatione diversitatis, quæ in tali forma fundatur. Tertio, pro notione, vel relatione rationis, per quam differentia, v. g. rationale fit universalis respectu Petri, & Pauli, sive tertium prædicabile.

Præmoneo 3. Prædictam divisionem participare veram rationem divisionis rei, & nõ solum nominis, vel enumerationis: nã differẽtia communis, propria, & maxime propria, quæ sunt membra huius divisionis, non solum conveniunt in nomine differentiæ, sed in ratione significata per nomen, & in ratione faciẽdi differre.

Pronuntiatum 1. Divisum huius divisionis, iuxta mentẽ Porphyrii, non est relatio diversitatis, sed forma faciẽs differre unũ ab alio, quæ est relationis fundamentũ. Ratio est, quia ad Porphyrii institutũ, impertinẽs est relatio divisionis, quia neque est universalitas, neque universalitatis fundamentũ, quæ duo Porphyrius explicare nititur: ex alia vero parte forma faciens primo differre, est fundamentum universalitatis, & universalis ut quod, ergo forma est, quam Porphyrius dividit. Cõfirmatur: quia constituere, & distinguere speciem, afficere, contrahere, & excedere genus, & alia, quæ Porphyrius differentiæ tribuit, solum conveniunt naturæ differenziali, ergo, &c.

Pronuntiatum 2. Divisio hæc est adæquata. Prob. quia omne quod facit differre unũ ab alio, vel facit illud differre essentialiter, & sic est differentia maximè propria, vel accidẽtaliter, necessario, & inseparabiliter, & sic est differentia propria; vel contingenter, aut separabiliter; & sic est communis: neque est assignabilis alius modus faciendi differre, ergo hæc divisio est adæquata.

Oppones 1. contra 1. pronuntiatum. Vna, & eadem forma faciens differre potest esse differẽtia communis, propria, & maximè propria respectu diversorũ, v. g. disgregativum visus respectu hominis, lactis, & albedinis, ergo vel est vitiosa divisio, vel divisum non est differentia proforma faciente differre. Respõd. Ad bonam divisionem non requiri ut membra realiter distinguantur, sed sufficere ut differãt per varios respectus, vel rationes, ut patet quando bonum dividitur in honestũ, utile, & delectabile, cum tamen idem bonũ habeat istas rationes.

Oppones 2. contra 2. pronuntiatum. Modi generũ supremorum, ut esse per se, & esse in alio, sunt differentiæ, ut patet quia distinguunt genera inter se, sed non sunt cõmunes, aut propriæ, quia non sunt accidentia, neque maximè propria; quia hæc, ex

Porphyrio, debet dividere genus, & speciem cõstituere, quod illis non convenit; quia eo ipso quod sunt differentiæ generum supremorum, nequeunt aliquod genus dividere; nec possunt constituere speciem, quia genera suprema, quæ cõstituunt, non possunt esse species, ergo divisio nõ est adæquata. Resp. illos modos non esse in toto rigore differentias, ut recte probat argumentũ, & ita genera suprema solũ constant ex his, quæ habent vicem generis, & differentiæ, reduci tamen ad differentiã maximè propriam, quia constituunt, & distinguunt essentialiter.

Collige 3. in calcé huius dubii. Primum, divisionẽ Porphyrianã non esse immediatam, nam primo differentia dividi potest in essentialem, & accidentalem; deinde accidẽtalis in propriam, & communem. Secundum, formas physicas essentialiter esse differentias maximepropias, cũ constituant, & faciant differre essentialiter, licet physicé. Quãdo autem Porphyrius dixit, differentiam maximepropriam dividere genus, & constituere speciem, loquebatur de differentia maximepropria specifica, quę est pars in compositione metaphysica. Tertium. Differentias individuales etiã esse differentias maximepropias, cum sint de individuorum essentia, & hæc per illas essentialiter numerice distinguantur. Porphyrius autem huius differẽtię non meminit, quia solum agebat de differentiis universalibus, ut tertiæ vocis prædicabilis enodaret naturam.

(1)

DVBIVM II.

Sit ne univoca, vel analoga prædicta divisio.

PRæmitto. Differentiam tam pro natura faciente differre, quam pro relatione diversitatis, aliquando esse realem, aliquando rationis, ut patet hoc posito.

Dicendum 1. est. Si divisum huius divisionis sit differentia materialiter, & communissime sumpta in tria dicta membra, dicta divisio non est univoca, sed analoga. Prob. quia enti reali, & rationis positivo, & negativo, & forte substantiæ, & accidenti non datur aliquid cõmune univocum, sed analogum; atqui differentia communissime sumpta, comprehendit sub se differentias entis negativi, & positivi realis, & rationis substantiæ, & accidentis; ergo differentia communissime, & materialiter sumpta analogicè dumtaxat, in ea membra dividitur.

Dicendũ 2. Si divisum sit differentia formaliter sumpta pro relatione diversitatis in tota sua latitudine in ordine ad omnes relationes diversitatis, differentiæ communis, propriç, & maximepropriæ, divisio etiam est analoga propter eandem rationem, quia enti reali, & rationis nihil datur cõmune synonymum; sed relatio diversitatis in entibus realibus est realis, & in entibus rationis est rationis; ergo divisio sic intellecta non est univoca, sed analoga.

Dicendũ 3. Si divisum sit differentia formaliter sumpta realis, ut est communis ad differẽtiam commu-

communem, propriam, & maximepropriam, realem tantũ, divisio est univoca. Prob. quia licet demus substantiam, & accidens non convenire univoce, relationes tamen fundatæ in substãtia, & accidenti univoce conveniũt nõ minus ac actio terminata ad substantiam, & actio terminata ad accidens; ergo relationes reales diversitatis, fundatæ in differentia communi, propria, & maximepropria materialiter sumptis univoce conveniunt in ratione relationis realis diversitatis, quamvis entitates differentiarũ univoce non conveniant.

Confirmatur: quia relatio rationis universalitatis univoca est ad omnes relationes universalitatis, licet naturæ denominatæ univoce non conveniant, ergo relatio realis diversitatis univoca erit ad omnes relationes reales diversitatis fundatas in entitatibus differẽtiæ cõmunis, propriæ, & maximepropriæ, licet entitates, in quibus fundantur, non conveniant univoce.

Dicendum 4. Prædicta divisio synonyma, est divisio generis in species, & non speciei in individua, ut volunt nõnulli Recentiores. Hoc dictum, meo iudicio, certissimum est, & videtur de mente Porphyrii, qui repetẽs membra divisionis propositæ, ea vocat species; agit vero de differentiis pro relationibus diversitatis, quæ fundantur in illis, ut egregie notarunt Conimbricen. Prob. itẽ manifesta ratione. Istæ relationes specie differunt, ergo ratio communis, quę ab illis abstrahitur, generis rationem obtinebit. Consequentia perspicua est, antecedẽs vero suadetur. Ad specificam relationum diversitatem sufficit diversus modus respiciendi terminum, licet unicus terminus ab omnibus respiciatur, atqui tres prædictæ relationes diverso specie modo feruntur in terminum, ergo specie discrepabunt. Maior huius syllogismi certissima videtur, ut cernere est in actionibus creativa, & eductiva, quæ licet terminum eundem habeant, propter solam diversam rationem in illum tendendi specie dissident, idẽ quippe terminus quãtitatis Eucharisticæ, qui antea per eductionem productus, & cõservatus fuerat, conservatur in Eucharistia per actionem creativam specie diversam à prima eius termini actione, quæ specificatio cum terminus idem sit, & ab eo desumi non possit, à diverso modo in illum tendendi necessario petenda est; ergo etiam in relationibus, diversus modus respiciendi terminum, satis erit ad earum specificam diversitatẽ, licet omnium terminus unus, & idem sit, prout de facto est.

Hic quæst. 1. art. 2. concl. 2.

Quod autem tres prędictæ relationes differentiarum, communis, propriæ, & maximepropriæ diverso specie modo ferantur in terminum, quæ erat syllogismi supra facti, minor ostenditur unamquamque sigillatim expendendo. Relatio enim diversitatis differentiæ maximepropriæ suũ terminum differre facit formaliter intra essentiam, relatio vero differentiæ propriæ extra essentiam necessario, demum communis differentiæ relatio extra essentiam contingẽter. Tam certum autem est istos modos esse diversos, quam sit certũ modos tendendi creationis, & eductionis in eundem terminum specie

discrepare, ut facile erit perspicere ipsam prædicatorum respectuum diversitatem consideranti. Hinc autem legitima est illa consequentia, in qua cõsistit nostra conclusio, videlicet relationem diversitatis ad tres prædictas generis affinis notione.

Cõfirm. quia ex eo relationes universalitatis, differentiæ, proprii, & accidẽtis discrepant specie, quia ex vi relationis differẽtiæ respicit natura suũ terminũ, quatenus cõvenit illi intra essentiam, ex vi relationis proprii, ut cõvenit illi extra essentiam necessario, & ex vi relationis accidentis, ut convenit illi extra essentiã cõtingenter: sed similiter ex vi relationis differẽtię maximepropriç respicit natura suum terminũ, quatenus differt ab illo intra essentiam ex vi relationis differẽtiæ propriæ, ut differt extra essentiam necessario, & ex vi relationis differentiæ cõmunis, quatenus differt extra essentiam contingenter; ergo sicut illæ relationes discriminantur specie, ita & istæ.

Dicendum ultimo. Si divisum sit natura differentiæ, & extrema dividentia relationes, divisio erit subiecti in accidentia; si vero è contra, erit accidentis in subiecta. Hæc conclusio patet ex dictis de divisione in summulis.

Aliqua argumenta, quæ contra dicta fieri solent, libens prætereo; tum quia facile solvi possunt notando discrimen, quod reperitur inter differentiam proentitate faciente differre, & pro relatione diversitatis; tum etiam quia solũ probant differentiã primo modo sumptã non esse synonymã, quia participatur secundũ magis, & minus, & quia differentię sunt primo diversæ, quod nõ reperitur in relatione diversitatis.

DVBIVM III.

In quo reliquæ differentiæ divisiones à Porphyrio traditæ, ad expositam revocantur.

SEcunda divisione dividitur differentia in illã, quæ facit alterum, & in illam quæ facit aliud, cuius sensus esse potest: Differentiam unam esse essentialem facientem aliud, id est, aliquid essentialiter distinctum, & aliam accidentalem facientem alterum, id est, aliquid accidentaliter distinctum. Vnde patet hanc secũdam divisionem esse perfectiorem prima, quia est immediata, illa vero non, & reduci ad eã, quia differentia maximepropria facit aliud, cõmunis vero, & propria faciunt alterum.

Tertia divisione finditur differentia in inseparabilem, & separabilem, quæ coincidit cum ambabus præcedentibus: nam inseparabilis vel est maximepropria, ut rationale; vel propria, ut risibile: separabilis vero est communis, ut currens. Hæc item prima perfectior, quia immediatior.

Quarta divisione secatur differentia in per se, & per accidens, quæ recurrit cum tribus præcedentibus: quia differentia per se vel est maximepropria, vel propria: nam differentia essentialis, & proprietas per se conveniunt speciei; differentia vero per accidens est communis, quia per accidens convenit; vel si mavis, dicito differentiam per se esse differentiam maximepropriã; differentiam vero per accidens dividi in propriam, & communem.

Quinta

Quinta divisione dispergitur differẽtia in divisivá generis, & constitvtivam speciei. Hæc divisio non est differentiæ in communi, nam differentiæ in communi non convenit dividere genus, & constituere speciem, sed solum differẽtiæ essentiali. Quare maxime est observandum si dividere, & constituere referatur ad idem genus convenire distinctis differẽtiis: nam una differentia dividit genus, & alia illud constituit v. g. rationale dividit animal, & sentiens illud constituit, & ita esse subdivisionem essentialis differentiæ; si vero ad idem genus minime referatur, erit tantum divisio munerum eiusdem differentiæ: nam eadem differentia, quæ dividit genus, constituit speciem: v. g. idem rationale, quod dividit animal, hominem constituit. Vtroque autem modo hanc divisionẽ Porphyrius usurpavit, ut ex contextu infertur.

DVBIVM IIII.

Natura, & varia munera differentiæ essentialis exponuntur.

OBserva 1. Differentiã maxime propriam, ut est forma faciés differre, duobus modis sumi posse. Primo modo fundamentaliter, videlicet pro illa entitate metaphysica, quæ constituit speciem, & illam distinguit ut rationale, quod cõstituit hominem, & illum ab aliis distinguit. Secundo modo formaliter pro ipsamet relatione diversitatis, qua una res formaliter differt ab alia: nam sicut res formaliter dicitur similis per relationem similitudinis, ita una species dicitur formaliter diversa ab aliis per relationem diversitatis: unde patet solutio quæstionis, quam hic plures extra rem disputant, An differentia sit relatio. Resp. enim differẽtiam, quæ ad hunc locum spectat, non esse relationem, sed relationis fundamentum: nam relatio diversitatis non est fundamentum universalitatis huius tertiæ vocis prædicabilis, quã nos in præsenti loco investigamus, sed ipsamet natura, que est fundamentum huius relationis diversitatis, est etiam fundamentum universalitatis tertiæ vocis: quare de differentia radicali, & essentiali, quæ optime definitur, Forma distinguens unũ ab alio essentialiter, est præsens controversia.

Observa 2. Quinque esse munera differentiæ essentialis. Primum genus afficere, secundum illud dividere, tertium idem genus cõtrahere, quartum speciem constituere, quintũ speciem constitutam ab aliis sub eodem genere contentis, distinguere. Dubium autem est, An differentia exerceat hæc munera realiter, an per solum intellectum.

Conclusio 1. Differentia essentialis solum per rationem exsequitur tria munera priora afficiendi, dividendi, & contrahendi genus. Prob. quia ut res una realiter alterã afficiat, dividat, & contrahat, debet ab ea realiter distingui: sed differẽtia non distinguitur realiter à genere, ergo non illud realiter afficit, contrahit, vel dividit. Maior quoad omnes partes est manifesta: nam afficere dicit realẽ inhærentiam,

vel unionem, quæ non est realiter nisi inter distincta realiter. Similiter contrahere, & dividere realiter dicit realē actionem contrahentis erga contractum, & dividentis erga divisum, quæ non potest esse nisi inter realiter distincta. Minor probata fuit disputatione 2. de universo in cōmuni, dub. 3. vbi probavimus, prædicata superiora etiam ex natura rei ab inferioribus, & differentiis non distingui.

Concluſ. 1. Differentia etiam per rationē exercet munus constituendi speciem, nam constitutio significat cōpositionem, quæ requirit partium componētium distinctionem; atqui differentia per intellectum dumtaxat distinguitur à genere, cum quo speciē constituit; ergo solum per rationem exercet munus constituendi speciem.

Confirmatur 1. Humanitas sola ratione, ut plurimū, potest differre à semetipsa diversimode considerata, atqui differentia sumitur à tota entitate physica hominis, id est, à tota humanitate, sicut etiam genus; ergo cum genus, & differentia à tota reali entitate sumantur, non distinguentur inter se realiter, sed solum ratione; atque adeò non realiter speciem component, sed dumtaxat per rationem.

Confirmatur 2. Anima rationalis, quæ distinguitur realiter à materia, quam afficit, & inadæquate ab homine, illum constituit realiter; ergo differentia, quia solum ratione differt à genere quod afficit, & ab homine, constituet illum per rationem, & non realiter.

Concluſ. ult. Differentia realiter præstat quintum munus distinguēdi speciem ab omni alia contēta sub eodem genere. Probatur: nam homo reipsa distinguitur à leone, sed non distinguitur per animal; ergo per rationale, ergo differentia rationale realiter præstat munus distinguendi speciem. Sed circa minorem est cavenda æquivocatio: nā aliud est à nobis non concipi hominem distingui à leone per animal, aliud vero per animal nō distingui. Primū est verum, quia rationem illam animalis concipimus quasi cōmunem duobus. Secundum tamē est falsum, quia realiter unū animal non est commune homini, & leoni: unde à parte rei per animal, quod est in homine, distinguitur homo à leone, cum tam animal, quam rationale à tota entitate sumātur, ut nuper dicebam, atque adeò à parte rei sint idem; ergo si à parte rei distinguitur homo per suū rationale à leone, etiam distinguetur per suum animal.

Obiicies. In Deo personalitas, & deitas sunt realiter idem, & tamen personæ divinæ non per deitatem, sed per personalitates distingūtur, ergo licet animal sit idem cum rationali realiter, poterit homo realiter à leone distingui per rationalē, quin realiter per animal distinguatur. Nego consequentiam: quia in tribus divinis personis est eadem individua deitas realiter communis omnibus; in homine autem, & leone non est unū commune animal individuum realiter utrique commune, sed diversa ratio animalis realiter est in homine ab ea, quæ est in leone.

Dices contra ultimam conclusionē. Differētia distinguit speciem ab aliis quatenus est pars illius

illius, sed esse partem speciei est quid rationis, ergo distinguere illam ab aliis, erit etiam quid rationis. Resp. Differentiam distinguere speciem ab aliis quatenus est illius pars fundamentaliter: quare ut rationale differat homine à leone, non est necesse ut concipiatur ut pars formalis illius, dicēs formalem unionem, & relationem rationis ad ipsum hominem, sed quod sit aliquid à parte rei idemptificatū cum homine, quod nō reperitur in leone.

DVBIVM V.

An differentia inferior includat differentiam superiorem, & genus.

PONO 1. Nomine differentiæ inferioris intelligi illā, quæ constituit speciem infimam ut rationale, quod hominē constituit, nomine vero differentiæ superioris, quæ constituit genus ut sentiens, quod constituit animal. Quæritur autem, An rationale, v.g. in suo conceptu essentiali claudat animal, quod dividit, & sentiens, quod est differētia illi superior. Difficultas non est de inclusione reali: constat enim rationale idem esse realiter cum animali, sed de inclusione formali. Tunc autem unū formaliter censetur includi in alio, (ut aliquod indicium certū assignemus) quando ingreditur illius definitionem, ut ratio superior, vel æqualis; sic animal includitur formaliter in homine, & rugibile in leone.

PONO 2. Differentias inferiores non includi in conceptu essentiali generis, quod dividunt vel differentiæ superioris: quia animal, & sentiens, v.g. non includunt in suo conceptu intrinseco rationale, vel irrationale, sed potius ab utroque præscindūt, quod perspici potest in leone, in quo reperitur integra ratio essentialis animalis, & sentientis sine rationali, & in homine, è contra adæquata ratio animalis, & sentientis sine irrationali.

Dico 1. Differentia dividens genus non includit illud in suo conceptu essentiali, v. g. rationale non includit animal. Probatur, quia si genus in differentia formaliter includeretur, bis poneretur genus in speciei definitione semel per se, & iterum in differētia, quæ esset turpis nugatio. Secundo probatur à priori, quia species convenit cum aliis speciebus per genus, sed per differentiam non convenit, imò disconvenit, ergo differētia non includit genus. Tertio. Differentia componit speciem cum genere, ergo non includit in se genus, nam pars una componens non includit in se aliam compartem. *Ita Arist. 4. Topic cap. 2. & lib. 6. c. 3. & 3. Metaph. tex. 10 & lib. 11. c. 1. quē sequitur S. Thom. 1. cōtra gentes, cap. 17. & Ferrariē sis ibidem. Fōsec. 2 Metaph. cap. 2. q. 1. Noster Blāc disp. 3. sectio 5. unic. vers & cōmuniter recentiores.*

Dices. Quamvis ens includatur in proprio modo existendi per se, qui est differētia substantiæ, tamen sine vitio repetitionis ponitur in definitione substantiæ simul, cum differentia, in qua includitur, (substantia enim optime definitur, Ens per se existens) ergo similiter quamvis genus includatur in differētia, poterit fieri accurata definitio ex genere, & differentia. Respond. negando consequentiam: quia illud est peculiare, & proprium definitioni, traditæ per

ratio-

rationem entis transcendentalem in omni entitate, & differentia inclusam, cum qua non efficit propriam cõpositionem; hoc autem nequit convenire definitioni traditæ per genus, & differentiam, quia genus nõ est ratio transcendentalis sicut ens; deinde genus simul cum differẽtia veram efficit compositionẽ, quæ postulat ut una pars sit extra rationem alterius formalem.

Dices 1. Differentia dividens substãtiam, est substãtia; & differentia dividẽs qualitatem, est qualitas, ergo iam differentiæ includũt genus, quod dividunt. Respond. Substantiam, quæ est genus esse substantiã perfectam, & per se stantem; differentiam vero substantiæ esse imperfectã, & alteri adhærentem: idem dicimus de genere, & differentia qualitatis, vel cuiuslibet alterius generis, & ita genus non includitur in differẽtiis, sed alia ratio superior analoga.

Dices 3. Rationale essentialiter est habẽs rationalitatem, sed habens rationalitatem essentialiter est homo, ergo sicut homo essentialiter est animal, ita rationale essentialiter erit animal. Resp. concessa maiori, negando minorem: quia habens rationalitatem, solum significat ens habens gradum rationalis, & non habens gradum animalis, & ita habens rationalitatem solũ, non est adæquate homo, sed pars formalis illius, & distinguitur ab homine tanquam includens, & inclusum.

D. Tho. loco citato, & 1. p. q. 90 art. 1. Arist. 7. Met. c. 12. & Dico 2. Differẽtia inferior nõ includit in suo conceptu essentiali superiorem, v.g. rationale non includit essentialiter sentiens. Prob. 1. quia alioquin differentia superior bis conveniret speciei, primo ratione generis, in quo includitur; secundo, ratione differẽtiæ inferioris, quod est falsum. Secũdo, quia animal, v.g. ut constat ex dictis, non includitur in rationali essentialiter, ergo neque sentiens, quod est differentia constitutiva animalis: constitutivum enim alicuius rei non reperitur nisi ubi est res constituta. Tertio, quia rationale est principium distinguendi hominem à leone, ergo non includit in suo cõceptu essentiali sentiens, quod est principium conveniendi, & commune illis. 6. Topi. c. 2. Scotus, Caprolus, Nimphus Zanzinas, Sotus, Villalpãdus, Fonseca citati apud Blãc disp. citata, sect. 6. Suarez tomo 1. d. 2. sect. 9. num. 12.

Dices 1. Aristoteles ait, differentiam esse totam rei essentiã, atqui hoc non esset verum, nisi includeret genus, & differentias superiores, ergo illas includit. Resp. Aristotelẽ solum velle differentiam infimã esse totam essentiam rei completivè, quia est ultimum cõplementum speciei, & totã illius essentiam cõpler. 7. Met. c. 12. textu 42.

Dices 2. Anima rationalis est formaliter vegetans, & sentiẽs, ergo & rationale erit vegetans, & sentiens. Nego consequentiã; quia anima rationalis est metaphysice composita ex genere, & differentia, respectu cuius vegetans, & sentiens sunt genera, & rationalis propria differentia, & ita omnes istas rationes formaliter includit; at vero rationale non componitur ex genere, & differentia, & ita non debet formaliter includere genera superiora, neque differentias superiores illorum constitutivas.

Dices 3. Hic syllogismus est optimus in primo modo tertiæ figuræ, scilicet in Darapti, homo essentialiter est sentiens, sed omnis

nis homo essentialiter est rationalis; ergo aliquod rationale essentialiter est sentiês: in quo syllogismo differentia superior, scilicet sentiens, essentialiter prædicatur de inferiori, scilicet de rationali. Resp. Rationale in cõclusione huius syllogismi solum sumi materialiter pro re illa, quæ est rationalis. v.g. pro homine, qui simul est rationalis, & sentiês; non vero formaliter pro principio formali ratiocinandi, & pro differentia ut sic: cuius ratio est, quia ex eo quod homo essentialiter sit sentiens, & homo essentialiter sit rationale, solum sequitur, rationale prout materialiter supponit pro homine essentialiter esse sentiês, quod nos libẽter admittimus. Nec refert dicere, in maiori, & minori prædicti syllogismi, tam sentiens, quam rationale prædicari formaliter de homine; ergo etiã in conclusione sentiens prædicabitur formaliter de rationali: nã sentiens, & rationale sunt de essentia hominis, & ita prædicantur de illo formaliter; at vero sentiens non est de essentia rationalis, & ita nõ efferetur de eo formaliter, sed idemptice, quia sentiens, & rationale idem sunt inter se, & cum homine.

Dices ultimo. Rationale, v.g. vel irrationale, formaliter est corporeum, sed corporeum est differẽtia superior dividẽs substantiam, ergo iam differentia superior includitur formaliter in inferiori. Resp. Corporeum, quod est differentia superior dividens substantiam, quæ est genus, nõ includi in rationali, vel irrationali, sed in his includi alium gradũ corporeitatis transcendentalem, & analogum.

Quæres 1. Quomodo prædicetur differentia inferior de superiori, & de genere, quod dividit, & è contra? Resp. 1. Differentiam formaliter, & directe, licet accidentaliter prędicari de genere, quod dividit, ut in hac prædicatione, Animal est rationale. Prob. Quia eo modo, quo albedo se habet ut forma, & actus respectu subiecti, ita differẽtia se habet ut forma, & actus respectu generis, quod dividit; ergo sicut albedo prędicatur formaliter, & directe, quamvis accidentaliter de subiecto, ita similiter differẽtia prædicabitur formaliter de genere, quod dividit, licet accidentaliter. Resp. 2. Prędicationes generis de differentia, & differentiæ superioris, de inferiori, & inferioris de superiori, non esse formales, sed solum verificari in sensu idemptico. Probatur: quia illa est prædicatio formalis, in qua prædicatum se habet ut forma, & actus respectu subiecti, sed in his prædicationibus prædicatum non se habet ut forma, & actus respectu subiecti, ergo adductę prædicationes non sunt formales, & directę, sed solum verificantur in sensu idemptico, quia extrema idemptificantur realiter inter se, & cum uno tertio.

Quæres 2. An differentiæ dividentes ipsum genus sint contrarię. Resp. Esse impropriè contrarias. Prob. quia ea solum dicuntur proprie contraria, quæ pertinent ad idem genus, & se expellunt ab eodẽ subiecto; atqui differẽtia, v.g. rationale, vel irrationale, non spectant ad idẽ genus, quia non conveniunt genere, neque se expellũt ab eodem subiecto, quia nequeunt es-

se in eodem subiecto, id est, in eadem specie nec simul, nec successive, ergo non sunt proprie contrariæ, sed solum improprie, quia constituunt species omino diversas, & quasi oppositas.

DVBIVM VI.

An differentia essentialis sit simplex, vel composita.

VT certa à dubiis secernantur, noto primo, differentias aliquando esse simplices physice, aliquando vero cõpositas: nam differentia est idem realiter cum tota entitate physica speciei, quæ aliquando est simplex, ut in substãtia Angeli; aliquando composita ex materia, & forma, ut in homine.

Noto 2. Ex ratione differentiæ abstracta ab omnibus differentiis contrahentibus aliquod genus, & ex ratione talis differentiæ, dumtaxat fieri impropriam compositionem, quia ratio differentiæ in communi imbibitur in ratione talis differentiæ.

Sit placitum. Non repugnat dari differentias infimas, compositas ex diversis differẽtiis, quarum utraque simul convertatur cum specie, nõ vero vnaquæque per se solum considerata. Probatur: quia illa differentia composita ex diversis, sufficienter distinguit speciem cõstitutam ab aliis speciebus, ergo non repugnat dari differentiam infimam compositam. Antecedens probatur: quia in primis illam distingueret à rebus, quę non participant illam differentiã, neque partem illius. Deinde distingueret etiã illam ab illa specie, quæ participaret partem illius differẽtiæ eo quod non participat totam illam. Secundo probatur ex Aristot. Vna 4. *Topicor.* species potest contineri immediate sub duplici genere, sed *cap.* 2. hoc fieri non potest nisi constitueretur per duas differentias subalternas, ergo non repugnat dari differentias infimas compositas. Tertio, quia rationes differentiales sola ratione differunt à speciebus, quas constituũt; atqui potest intellectus considerare plures gradus differentiales, quorũ singuli per se conveniant pluribus, omnes vero simul solum conveniant uni speciei, ergo tunc differentia ex partialibus componetur. Minor probatur exemplis: quia intellectus est potẽtia spiritalis cognoscitiva, voluntas vero potentia spiritalis appetitiva: ecce intellectus in spiritali convenit cum voluntate in cognoscitivo cum visu; per utrumque simul ab utroque differt. Similiter voluntas in spiritali cõvenit cum intellectu in appetitivo cum appetitu sensitivo, & in appetitivo, & spiritali simul sumptis ab eis differt. Deinde idem reperitur in prædicabilibus: nam genus, v.g. constituitur per prædicari de multis specie distinctis in quid essentialiter, quorum primum convenit differentiæ, proprio, & accidenti, secundum vero speciei, utrunque tamẽ simul soli generi.

Resp. 1. adversarii. Differẽtias istas in se, & realiter non esse partiales, licet à nobis non possint explicari, nec concipi nisi ut partiales. Sed nos hoc secundum intendimus, non primum.

Resp. 1. Genus proximum respectu intellectus, & voluntatis non esse potentiã, sed potentiam spiri-

spiritalem; differétiam vero intellectus esse cognoscitivum, voluntatis vero appetitivum, quæ differentiæ sunt simplices. Sed primo qui sic respõderet, admittere deberet genus prædicari in quale, saltem ratione unius partis, quod adversarii non admittũt cum Porphyrio. Deinde admittere deberet genus complexum, de quo idem quæram, quod adversarii de nostra differentia composita inquirunt, scilicet, An dicat unam relationem, vel plures: & quidquid respondeant nobis suffragrabitur.

Oppones 1. Differentiæ interiectę dividunt genus, ergo oppõnuntur inter se, ergo nequeunt coniungi ad componendam aliquam differentiam infimã. Confirmatur. Illa differentia totalis constituta ex partialibus differentiis interiectis, nõ posset esse universalis, tum quia esset complexa, tum quia non posset fundare unam relationé simplicem; nam relatio simplex subiectum simplex requirit. Resp. Verũ esse differentias interiectas seorsim sumptas, & ut sunt in diversis speciebus, dividere genus, & ita opponi, & non posse cõiungi ad unam differentiam infimã componẽdam; non vero coniunctas, & ut adæquate componunt vnã, & eandem speciem, sicut dici solet de practico, & speculativo, quæ seorsim sumpta sunt differentiæ oppositæ dividentes habitum scientificum in communi; non tamen simul, quia potest idẽ actus (in sententia probabili) simul esse practicus, & speculativus, sicut de facto idem habitus fidei supernaturalis simul est practicus, & speculativus. Ad confirmationem nego, non posse esse universalẽ; & ad probationem dico, illas differentias uniri inter se, & ita fieri unam compositam ex duabus, unde poterit in illa recipi eadem relatio differẽtiæ universalis, sicut recipitur eadem relatio speciei universalis in homine, licet componatur ex genere, & differentia.

Oppones 2. Quælibet species infima habet aliquam proprietatem simplicem sibi propriam, & nulli alio convenientem, ergo & aliquã differentiã infimam simplicem, quæ sit principium talis proprietatis. Resp. Quidquid sit de antecedenti. (quod exsistimo falsum esse, nam proprietates aquæ sunt frigiditas, & humiditas, ex quibus frigiditas convenit ferro, & humiditas aëri) Negatur consequentia: quia bene possunt duæ partiales differentiæ coniungi ad producendam eandem proprietatẽ, sicut uniuntur duo ignes ad producendum eundem calorem.

DVBIVM VII.

Quid sit differentia ut est tertia vox prædicabilis.

ADvertendum 1. solam differentiam maximepropriam constituere tertium prędicabile, quia sola ista est universale intra essentiam, ut pars formalis essentiæ; differentia vero communis, & propria sunt extra essentiam, & constituunt alias duas voces prædicabiles.

Advertendum 1. Differentiam universalem, & tertium prædicabile ita definiri à Porphyrio, Quód prædicatur de multis specie differentibus in quale quid.

Hæc definitio est examinanda, ut clarius explicetur essētia differentiæ universalis.

Advertendum 3. Differentiam maximepropriā aliam esseinterfectam, videlicet quę sub se alias habet differentias, ut sentiens; & alteram infimā, quæ scilicet non habet infra se alias differentias specificas ut rationale.

Dicendum 1. Definitionē differentiæ prædicabilis, adductā à Porphyrio, nō esse optimā. Prob. quia differentia infima, v.g. rationale, vere, & proprie pertinet ad tertiam vocē prędicabilem, & tamē non prædicatur de multis specie differentibus, ergo talis definitio non cōplectitur sub se omnes differentias prædicabiles.

Respondent Caietanus, & Sotus, hanc definitionem convenire differentiæ infimę, quia huic quatenus differentia est, non repugnat prædicari de specie differentibus. Sed contra. Primo, quia res non debet definiri per id, quod illi non repugnat secundū aliquam rationem communem, sed per id quod illi cōvenit positive secundum ultimam rationem. Secundo, quia sequeretur hanc esse optimam leonis definitionem, animal rationale, quia leoni ut animal est, nō repugnat esse rationale, & accidens posset definiri ens per se, & substantia ens in alio, quia illis non repugnat hoc ut sunt entia.

Alii respondent. Differentiam infimā prædicari de specie differētibus vel inter se, vel ab aliis. Sed contra. Primo, quia sic etiam species infima, ut homo, prędicabitur de specie differētibus, vel inter se, vel ab aliis. Secundo, quia Porphyrius cap. ultim. docet, genus, & differentiam convenire in prędicari de specie differentibus; sed intelligit genus prædicari de differentibus specie inter se, ergo & differentiā. Tertio, licet hæc daremus, non excusatur Porphyrius, quia relatio definienda est per terminum formalem, & essentialē, sed plura specie distincta, nec inter se, nec ab aliis non sunt terminus formalis differētiæ, sed accidentalis, quia differentia non respicit plura ut specie distincta, sed ut pars formalis illorum, ergo, &c.

Albertus respondet, Porphyrium solum definisse differētias interfectas, quia infimę nō sunt proprie differentiæ. Sed contra: quia differētiæ infimę sunt perfectissime differentiæ dividentes genus, constituentes species, & illas distinguentes ab omnibus aliis, ut patet in rationali. *Tractatu 4. cap. 6.*

Quamplurimi Porphyrii culpam fatentur, sed vt possunt excusant, quia vel ipse non cognovit differentias infimas, vel quia cognitis interfectis, & definitis, facile erat definire infimas; sed nulla est excusatio, tū quia Porphyrius sæpe loquitur de inibili, & rationali, vt de differentiis infimis, ergo iam aliquas noverat: tum quia ad definiendam notionem differentiæ, non est opus callere essentiam, in qua fundatur, ut patet evidenter: nam Porphyrius non callebat naturā indi vidui, & tamē definivit eius notionem dicēs, quod de uno prædicatur.

Dicendum 2. Differentiā universalē abstrahētem ab infima, & interfecta, ita rectè definiri, licet accidentaliter, Quod prædicatur de multis in quale quid, id est,

est, essentialiter, & per modum alteri adhærentis. Prob. quia per illã explicatur tota essentia differentiæ universalis, & distinguitur ab aliis. Sunt autem ei applicanda omnia dicta de definitionibus Porphyrianis generis, & speciei Quod sit accidentalis patet, quia traditur per prędicabilitatem, quę est proprietas; definitur ergo essentialiter universale intra essentiam, ut pars formalis essentiæ. Singulæ partes huius definitionis, ex dictis sunt notæ.

Vt solvantur aliqua argumenta, quæ fieri possunt contra adductam doctrinam, noto, Genus, & speciem nõ distingui specie, quia illud de multis specie differentibus prædicatur, hæc vero de plurib⁹ numero; sed quia hæc ut tota essentia, illud ut pars materialis essentię, de pluribus enũtiatur.

Roges in fine: An infima, & interiecta differentia specie differant. Resp. negative: Ratio à priori est, quia habent eundem modum prædicandi de suis inferioribus, videlicet ut pars formalis essentiæ. Confirmatur. Genus supremum, & infimum, proprium infimum, & interiectum, & etiam accidens infimum, & interiectum, non discriminantur specie, quia habent eundem modum prædicandi de inferioribus; ergo pariter differẽtia infima, & interiecta non distinguẽtur specie, cum habeant eundem modum prædicandi.

DVB. VLTIMVM.

Respectu quorum differentia sit universalis, & quomodo de inferioribus prædicetur.

PRimo. Certũ est differentiam non esse tertium prædicabile in ordine ad genus, ut rationale in ordine ad animal, cũ prædicetur de illo accidentaliter; neque in ordine ad propria inferiora, ut rationale in ordine ad hoc, & illud rationale, cum de illis enuntietur ut tota essentia, & in quid; neque tandem in ordine ad speciem tantum, ut rationale in ordine ad hominem solum, cum nõ sit unum in multis.

Assertio 1. Differentia in ordine ad speciem, & ad individua nõ est universa. Prob. Primo, quia universale debet esse superius respectu illius, de quo prædicatur; sed differentia non est superior ad speciem, etiam si sumatur simul cum individuis, cum non latius pateat quam species, sed potius cum illa reciprocetur, ut patet in rationali respectu hominis, ergo differentia in ordine ad speciem, & individua non est universa.

Respondebis. Differentiam esse superiorẽ specie in prædicando, quia scilicet de aliquo prædicatur directe differentia, de quo tantũ idemptice prędicatur species: nam differentia prædicatur directe de specie, species autem de seipsa solum idemptice. Sed contra; quia licet differentia individualis directè prædicetur de Petro, & Petrus de seipso solum idemptice; non tamen ex eo dif-

ferentia individualis prędicatur de Petro tãquam ſuperius de inferiori, ergo etiam idem dicendum erit de rationali reſpectu hominis. Et ratio eſt, quia ut aliquid ſit ſuperius reſpectu alterius, non ſufficit quod directe prædicetur de illo, ſed debet habere aliqua inferiora, ad quæ ſe extẽdat, & de quibus aliud prædicari nõ poſsit; cum igitur hoc nõ habeat rationale reſpectu hominis, non poterit eſſe ſuperius reſpectu illius.

Prob. 2. quia ut aliqua natura denominetur univerſalis, debet multiplicari realiter in illis, de quibus prædicatur: ex eo enim communis ſententia aſſerit, ſubſtantiam nõ eſſe univerſalem ad primam, & ſecũdam, quia in his non multiplicatur realiter, ſed eadem numero reperitur in prima, & ſecunda, v.g. in homine, & Petro, eo ipſo quod ſunt naturæ ſubordinatæ, & una continetur ſub alia; ſed ſic ſimiliter differẽtia non multiplicatur realiter in ſpecie, & individuis, ſed ſolum in individuis: nam ſpecies, & individua ſunt naturæ ſubordinatę, & idem gradus rationalitatis, quí reperitur in homine, reperitur in Petro ex una parte, & in Paulo ex alia, & ſic de cęteris; ergo differentia non poterit habere ſuam univerſalitatem in ordine ad ſpeciem, & individua.

Aſſertio 2. Differentia ſolũ eſt univerſalis in ordine ad inferiora ſpeciei, quam conſtituit; v.g. rationale in ordine ad Petrum, & Paulum. Sequitur ex dictis, & probatur, quia differentia ſolum reſpectu inferiorũ ſpeciei ſe habet ut quid ſuperius, & ſolum in illis realiter multiplicatur, reſpectu quorũ ſe habet ut pars formalis eſſentiæ, ergo integra ratio differentiæ univerſalis reperitur in ipſa in ordine ad inferiora ſpeciei quam cõſtituit: vnde differẽtia infima erit univerſalis in ordine ad individua cõtenta ſub ſpecie infima; v.g. rationale in ordine ad Petrum, & Paulum, differentia vero interiecta erit univerſalis in ordine ad ſpecies inferiores, contentas ſub ſpecie interiecta, quã conſtituit, ut ſentiens in ordine ad hominem, & leonem ex una parte, & in ordine ad individua ex alia; v.g. in ordine ad Petrum, & Paulum, hunc & illum leonem.

Sed dices. Sentiens in ordine ad hominem, & leonem, & ad eorum individua, eſt univerſale; & tamen iſtæ naturæ ſunt ſubordinatę: nam individua ſpeciebus ſubordinantur, ergo iam poteſt dari ratio univerſalis in ordine ad inferiora ſubordinata. Reſp. ſentiens non eſſe univerſale in ordine ad ſpecies inferiores, & ad illarum individua, ſi inferiora ſumantur ſubordinate, ſed diviſive, id eſt, in ordine ad ſpecies ex una parte, & ad individua diverſarum ſpecierũ ex altera, in quibus modo dicto, realiter multiplicatur ſentiens; non vero in ordine, ad aliquã ſpeciẽ, & eius individua ſimul: ut ſi cõparetur ſentiens in ordine ad hominem, Petrum, & Paulum, quia in his omnibus non multiplicatur realiter. Vnde ex iſto argumẽto ſolum poteſt colligi, quod ſicut rationale in ordine ad hominem, quem conſtituit, non eſt univerſale, ita neque ſentiens in ordine ad animal, quod conſtituit, & ad hominem, & leonem non eſt univerſale, quod libenter

ter admittimus.

Circa 1. dubii partem sit assertio 1. Differentia infima in ratione universalis, immediate prædicatur de individuis. Prob. quia quando aliquod totum est immediatum alteri, est immediatum saltem secũdum aliquid sui; sed species est quoddam totum immediatum respectu individuorum, cum nihil mediet inter speciem, & individua; ergo aliquid speciei debet esse immediatum illis, sed hoc nequit esse genus, ut patet; ergo differentia infima immediate prædicatur de individuis.

Assertio 2. Differentia interiecta in ratione universalis, immediate prædicatur de speciebus constitutis sub specie interiecta, & mediate de individuis illarũ, sicut genus immediate prædicatur de speciebus, mediate vero de individuis, quare sentiens vt universale prædicatur immediate de homine, & leone; mediate vero de Petro, & de illo leone. Totum hoc patet ex dictis de genere.

Notanter dixi differentiam in ratione universalis, quia licet differentia ut universalis, non prædicetur de specie quam constituit, tamen prædicatur de illa prædicatione formali, & directa, æqualis de æquali: unde differentia in ordine ad speciẽ quam constituit, habet rationem differentiæ facientis differre; in ordine vero ad inferiora speciei quã constituit, habet rationem differentiæ prædicabilis.

EXPLICATIO Capitis IIII. De Proprio.

SVMMA CAPITIS.

Proprium autem, &c. Præsens caput in duas partes à Porphyrio secatur. In prima quatuor proprii acceptiones adducit. Propriũ primo modo est id, quod convenit soli, sed non omni, (id est, soli speciei, sed non omni sub ea contento) ut homini esse Geometrã. Secundo, quod convenit omni, sed non soli, ut homini bipedẽ esse. Tertio, quod convenit omni, & soli, sed non semper, ut homini canescere. Quarto, quod convenit omni, & soli, & semper, ut homini esse risibilem.

Atque hæc illi propria, &c. In hac vltima capitis parte docet ex adductis quatuor propriis ultimũ appellari à Philosophis veteribus, & præcipue à Peripateticis precipuum proprium, quia cõvertitur, & reciprocatur cum re, cuius proprium est.

DISPVTATIO SEXTA.

De Proprio.

EXpeditis tribus speciebus universalium, quæ essentiã rei ingrediũtur, ad ea quæ sunt extra essentiam gradũ facimus: inter quæ statim occurrit proprium quasi prope essentiam sedem

dem habeat. De quo, & pro forma ab essentia dimanãte, & pro relatione quartũ universum constituente disputabimus.

DVBIVM I.

Quid sit proprium.

OBservandũ 1. Nomen proprium duo significare. Primo, quod cõvenit rei absque metaphora, quæ ratione opponitur improprie: ut ridere cõvenit hominibus proprie, pratis vero metaphorice. Secũdo, quod ita convenit uni, ut aliis convenire nequeat, & sic opponitur cõmuni, quod etiã duo significat. Primo, quod est de essentia alicuius rei, ut rationale respectu hominis: in quo sensu Aristoteles definitionem essentialẽ rei proprium vocat. Secundo, quod necessario fluit ab essentia alicuius rei, & convertitur cum ea, ut risibile respectu eiusdẽ hominis. In præsenti agimus de proprio fluens necessario ab essentia.

1. *Topicorũ, cap.* 4.

Obseruandum 2. Propriũ duobus modis sumi posse. Vno modo primo intẽtionaliter pro forma, quæ dicitur propriũ, & convenit rei extra essentiam necessario. Alio modo secundo intentionaliter, pro relatione rationis constituente quartum universale.

Obseruandum 3. Propriũ primo intentionaliter bifariam accipi etiam posse, primo materialiter, vel fundamentaliter, pro illa entitate, quæ dicitur propriũ, & est necessario cõnexa cum re cuius est proprium, v.g. pro entitate risibilitatis. Secundo formaliter pro relatione necessariæ connexionis, & convenientiæ, quam dicit entitas proprii ad rem, respectu cuius dicitur proprium, v.c. pro relatione convenientiæ, quam dicit risibilitas ad hominem.

Dico 1. Proprium materialiter sumptum ita potest definiri: Forma conveniens rei extra essentiam necessario: per particulam (Forma) convenit cum differentia, & accidenti; per particulam (Extra essentiã) differt à prædicatis essentialiter; per particulam (Necessario) ab accidenti cõmuni. Proprium vero formaliter poterit definiri: Relatio necessariæ connexionis formę accidentalis ad subiectũ. Relatio est genus, reliquæ particulę sunt differentiæ.

Quæres. An hæc relatio sit eiusdẽ speciei in omnibus propriis. Resp. affirmative, quia omnes proprii relationes eodẽ modo respiciunt suum terminum, cum omnes referãt formas, quas afficiunt extra essentiam necessario, quamvis sint valde diverſę.

Dico 2. Proprium ut quartum prædicabile ita potest essentialiter definiri: Vniversum extra essentiam necessario, accidentaliter vero, Quod prædicatur de multis in quale accidentaliter necessario.

Vtraque definitio est optima, quia sufficienter explicat naturam, & essentiam proprii, & illud distinguit ab aliis prædicabilibus, ut patet considerãti singulas definitionis partes.

Dices cõtra 1. dictũ. Proprium est commune enti reali, & rationis, sed enti reali, & rationis nõ datur unica definitio cõmunis; ergo proprium non potest unica definitione exponi. Respõd. enti reali,

reali, & rationis non posse dari unam definitionem cõmunem, quæ propriàs entis realis, & rationis rationes explicet; bene tamen, quæ exponat rationem aliquam communem, in qua conveniunt: qua ratione in præsenti à nobis proprium definitur.

Collige duo. Primũ proprium in concreto quartã vocem prædicabilem constituere; non enim dicimus, Franciscus est risibilitas, sed Franciscus est risibilis. Secundum est, propriũ infimum, & interiectum esse eiusdem speciei in ratione formali proprii, quia eodem modo respiciũt sua inferiora, scilicet extra essentiã necessario.

DVBIVM II.

Quodnam propriũ constituat quartum prædicabile.

LIs esse potest inter quatuor illa propriã, quæ Porphyrius, & Aristoteles attulerunt; Quod convenit soli, & non omni, Quod omni, & non soli, Quod omni soli, & non semper, Quod omni soli, & sẽper, quodnam scilicet istorum fundet relationem quarti prædicabilis.

Dico 1. contra Hurtadum. Proprium primo, & tertio modo nõ possũt affici notione quarti prædicabilis. Prob. quia istæ prædicationes, Homo est Logicus, Petrus canescit, vel ridet, non sunt necessariæ, sed contingentes; atqui sunt prædicationes proprii primo, & tertio modo; ergo proprium primo, & tertio modo nõ possũt affici notione quarti prædicabilis.

Dico 2. contra communẽ sententiam. Proprium quarto modo non est capax universalitatis quarti prædicabilis. Ad probationem prænoto, non posse dari proprium secundo modo quin sit proprium quarto modo, & è contra; atque ita unã, & eandem rem esse proprium secundo, & quarto modo ad diversa comparatam. Illustratur hoc exemplo. Intellectivum cõpletum potest comparari cum homine, & Angelo, vel cum quodam gradu essentiali, ambobus communi, scilicet cum natura substãtiali intellectuali radicaliter. Si comparetur cum homine, & Angelo, est proprium secũdo modo, quia licet conveniat illis necessario, cum neutro tamen convertitur, quod requiritur ad propriũ quarto modo; si vero referatur ad naturam radicaliter intellectivam, est proprium quarto modo, quia fluit ab illa, & cum ea reciprocatur; ergo iam proprium secundo modo est etiam propriũ quarto modo. Nec refert si dicas, intellectivum non dimanare ab ipsa natura communi, atque adeo non esse proprium quarto, & secundo modo, sed dumtaxat secundo: nam quotiescunque dantur multa inferiora, quæ conveniunt in aliqua proprietate, talis proprietas non dimanat à particulari ratione unius, vel alterius inferioris, sed à gradu communi, in quo conveniunt. v. g. quia homo, & brutum necessario habent potentias sensitivas, recte sequitur potentias sensitivas non dimanare à particularibus rationib⁹ hominis, & bruti, sed à gradu communi animalis in quo conveniunt: tum etiam quia materiæ cœlestes, & sublunares habent necessario quantitatem.

colligitur quantitatem dimanare à ratione communi materiæ, in qua conveniunt, & non à particulari ratione sublunaris, vel cœlestis materiæ, & sic de cæteris; ergo cum homo, & Angelus conveniant in ratione intellectivi, intellectivum non à particularibus rationibus illorum, sed à gradu essentiali communi, in quo conveniunt, orietur, hoc prænotato.

Probatur dictum. Propriũ non est universale respectu gradus superioris à quo fluit, & cum quo convertitur; atqui respectu huius gradus est proprium quarto modo; ergo proprium quarto modo non est universale, & quartũ prædicabile. Respondebis, esse quartum prædicabile in ordine ad gradum superiorem, & inferiora illius gradus, quo pacto etiam est proprium quarto modo. Sed cõtra: quia proprium in ordine ad gradum à quo fluit nõ est superius, etiam si talis gradus sumatur simul cum suis inferioribus: nam proprium non latius patet, quam ille gradus à quo fluit, cum reciprocetur cum illo, sicut differentia non latius patet quã species, quia cum ea reciprocatur; ergo proprium in ordine ad gradum à quo fluit, & ad inferiora illius non est quartum prædicabile. Secundo, quia ut docuimus dubio ultimo de differentia, vt aliqua natura sit universalis, debet multiplicari realiter in illis, de quibus prædicatur, sed proprium non multiplicatur realiter in gradu illo superiori, cũ quo reciprocatur, & in inferioribus illius gradus, v. g. risibile non multiplicatur realiter in homine, Petro, & Paulo: nã species, & individua sunt naturæ subordinatæ, & idẽ gradus risibilitatis qui reperitur in homine, reperitur in Petro ex una parte, & in Paulo ex alia, ergo, &c.

Dico 3. Proprium secũdo modo capax est relationis quarti universalis. Prob. 1. Proprium in ordine ad inferiora illius gradus à quo fluit, & cum quo reciprocatur, est proprium secundo modo, atqui est quartum prædicabile, cum sit universale extra essentiam necessario; ergo proprium secundo modo est quartũ prædicabile. Confirmatur exemplis: quia intellectivum, & appetitivum necessario cõveniunt homini, & non convertuntur cũ eo, cum etiã Angelo conveniant: similiter lucidũ necessarium est soli, & tamen convenit igni; ergo poterunt prædicari ista propria de suis subiectis prædicatione quarti prædicabilis, cum nequeant prædicari prædicatione quinti.

Ita Magnus Albertus tract. 6. cap. 1. Suarez disput. 13. Metaphys sect. 14. nu. 16. Fonsec. 5. Metaph. ca. 18. quæst. 12. Coimb. quæst. unica, art. 3. & recentiores communiter.

Dices contra 1. dictum. Philosophus definiens Proprium, dixit, illud conversim prædicari de specie, sed solum proprium quarto modo cõversim de specie prædicatur, ergo solum illud est capax relationis quarti prædicabilis. Secundo, Porphyrius docuit, solum quartum esse proprie proprium. Et addit, proprium non prædicari de multis speciebus, sed de una; at hæc duo solũ conveniunt proprio quarto modo, ergo, &c. Confirm. Propriũ opponitur communi, sed proprium secundo modo non opponitur communi, cum sit cõmune multis speciebus, ergo non est vere proprium ad primum, secundum. Et ad confirmationem respondeo, proprium sumi posse

1. Topicorũ, cap. 4.

vel

vel in rigore huius nominis, vel in usu dialecticorum. Primo modo proprium cõtradistinguitur à communi. Secundo modo contradistinguitur à cõtingenti. Aristoteles igitur, & Porphyrius loquuntur de proprio priori modo, non secundo.

Dices contra ultimũ dictum. Si proprium secundo modo pertineret ad quartum prædicabile, sequeretur omne accidens inseparabile, ut sunt albedo cigni, nigredo corvi, pertinere ad quartum prædicabile, cum conveniat omni, & semper, licet non soli; sed hoc est falsum, ergo propriũ secundo modo non pertinet ad quartam vocem. Resp. Si accidẽs inseparabile fluat ab essentia, & cum illa habeat necessariam, & intrinsecam connexionem, pertinere ad quartum prædicabile, quodlibet illud sit; si vero non ita conveniat, sed sit inseparabile ab extrinseco, ut cęcitas, & cicatrix in Petro, falsum est pertinere ad quartũ prædicabile. Examinare autem, An nigredo corvi, & albedo cigni sint illis naturales, & fluant ab illorum essentia, non est nostrũ, sed solum asserere pertinere ad quartũ prędicabile, si fluant ab essentia, & si non, ad quintum.

DVB. VLTIMVM.

In quo de natura proprii aliquæ difficultates exagitantur.

INquires 1. In ordine ad quæ inferiora propriũ quarti prædicabilis rationem obtineat. Resp. in ordine ad subiecta, & non ad inferiora propria, v. g. risibile esse quartum prædicabile comparatum ad Petrum, & Paulum, & non ad hoc, & illud risibile, respectu quorũ est species. Prob. quia proprium quartũ prędicabile dicitur accidentaliter, sed tantum effertur accidentaliter de subiectis, non vero de suis inferioribus, ut patet, ergo, &c.

Inquires 2. An omne proprium quarti prædicabilis prædicetur in quale. Respõdeo affirmative.

Sed dices. Accidẽs quinti prędicabilis non prædicatur necessario in quale, ergo neque proprium. Resp. Antecedens solũ esse verum in mysterio Incarnationis propter cõmunicationem idiomatum, ubi prædicata omnia naturæ humanæ attribuuntur divinæ, & è cõtra: vnde cum illis conveniant contingenter, semper spectant ad quintũ prædicabile.

Inquires 3. An omnis species habeat aliquam proprietatẽ præter transcendentales. Respõd. 1. Omnis species de prædicamẽto substantiæ habet aliquam proprietatem: omnis enim substantia habet aliqua prædicata, quæ consequuntur ipsius essentiam, & aliqua accidentia, quæ ipsam veluti fovent, & conservant, ut patebit consideranti. Respond. 2. Non omnis species accidentalis habet proprietatem. Patet in inhærẽtia, seu passione, cuius tota essentia est esse affixã subiecto, ad quam nulla proprietas consequitur: nam si ad inhærentiã sequeretur aliqua proprietas, hæc haberet suam inhærentiam, hæc inhærentia suam proprietatem, & sic abiretur in infinitum.

Obiiciunt Conimbricen. Proprietas est quasi quædam proles, orta ex connubio contracto inter

Quæst. 1. artic. 2. §. ad primũ argumentum.

ter genus, & differentiam, ergo ubicunque inveniatur innitum tale connubium, ex eo similis proles nascetur. Respond. 1. non omnem speciem componi ex genere, & differẽtia, ut alibi diximus. Resp. tamen 2. in forma ad argumentum: Pleraque esse vera coniugia, quæ nulla sobole beantur: unde mirari non debent Conimbricenses, si quod in veris connubiis sæpe accidit in adumbratis, & metaphoricis idé plerunque cõtingat; atque adeo mirum item non est, si ex metaphysico differentiæ, generisq. coniugio, quandoque nullus fœtus lucem videat.

Inquires 4. An proprietas quarti universalis distinguatur ex natura rei à subiecto. Respõd. interdum distingui realiter, ut calor ab igne; interdum modaliter, ut inhærentia ab accidentis; interdum solum ratione, ut appetitivum radicale respectu hominis, & receptivum quantitatis respectu materiæ primæ, & similia, quæ sola ratione differunt à suis subiectis.

Dices. Appetitivum radicale est ipsa essentia hominis, & quãtũ radicale ipsamet essentia materiæ primę, ergo non debent dici proprietates. Resp. illa prædicata realiter esse ipsam essentiã hominis, & materiæ, non tamen formaliter. Quia essentia formaliter, & logice loquendo, est primus, & formalissimus conceptus rei, qui explicatur definitione: at appetitivum non explicatur in hominis definitione, sed rationale: unde hoc censetur esse de essentia hominis; appetitivum vero censetur sequi ad essentiam. Idem dicito de quarto radicali respectu materię primę.

Instabis ergo. Tam radix risibilitatis formalis, quam ipsa formalis risibilitas sunt proprietates spectantes ad hoc prædicabile. Concedo totum, quia utraque necessario cõsequitur essentiam; una secundum rationẽ, alia realiter.

Inquires 5. An eadem specie proprietas possit à duabus speciebus diversis emanare. Resp. affirmative cum Suario. Nam si cut duæ causæ omnino diversæ possunt producere effectũ eiusdẽ rationis, ut sol, & ignis calorem quatenus habent eandem virtutem vel formaliter, vel eminenter, ita duæ species possunt producere aliquã formam eiusdem rationis necessario connexam cum utraque specie, & de facto contingit in materia cœlesti, & sublunari, quæ producunt quantitatem eiusdem rationis, quatenus habent partium integrantium extensionem. *Disp. 13. Metaph sect. 14 num. 16.*

Aliæ difficultates, quæ hic de proprietatibus à recentioribus exagitari solent, omitto, quia non sunt propriæ huius loci.

EXPLANATIO capitis 5. de accidenti.

SVMMA CAPITIS.

Accidens vero, &c. Triplici parte cõtinetur hoc caput. In prima tres tradũtur accidentis definitiones. Prima: Accidens est id, quod adest, & abest sine subiecti corruptione. Secunda, quod potest adesse, & abesse sine subiecti destructione. Tertia est, quod neque est genus, neque species, nec differentia, nec pro-

proprium, semper autem inest subiecto.

Cuius genera, &c. In 2. capitis parte adfert Porphyrius unam divisionem accidentis. Accidens aliud est separabile, ut rubor, & verecundia; aliud inseparabile, ut nigredo, corvi.

Potest enim, &c. In hac demum tertia, & ultima parte tacitę obiectioni respondet. Si enim datur accidens inseparabile, ergo male definitur accidens in communi, quod potest adesse, & abesse: nam accidens inseparabile non potest abesse. Respõdet, omne accidens esse separabile, vel realiter, vel per intellectũ: nam licet corvus non possit esse realiter sine nigredine, potest tamẽ sine illa concipi; quod examinabitur infra.

DISPVTATIO VLTIMA.

De Accidente.

REcta methodo progredientes, ultimo loco agimus de accidenti: quippe quod rei ultimo conveniat: cum hac disputatione, disputationem item de divisione universalis in quinque prædicabilia, (quam reiecimus in hunc locum in calce disputationis universi in communi) & disputationem prædicationum concretorum, & abstractorum coniungemus, quæ ad nullam ex quinque vocibus commodius, quam ad hanc ultimam, poterãt revocari, cum præmissa singularum vocum notitia facilius percipiantur.

DVBIVM I.

An prima accidentis definitio, à Porphyrio tradita, sit optima, & quomodo sit intelligenda.

NOtandum primo. Accidens tripliciter sumi. Primo, pro re, quæ sua natura inest subiecto, ut calor, & color quantitati; & hoc modo accidens contradistinguitur à substãtia. Secũdo, pro quolibet prędicato extra essentiam, sive sit necessarium, sive cõtingens: qua ratione contradistinguitur Accidẽs ab essentia, & essentiali. Tertio, pro eo, quod alicui rei contingenter advenit, sive sit accidens, ut nigredo corvo; sive sit substantia, ut vestitus homini: & hoc modo cõtradistinguitur Accidens à necessario. Hæc acceptio propria est huius loci, & sub ea de accidenti tam pro natura, quam pro notione differemus.

Notandum 2. apud Porphyriũ, tres reperiri accidentis definitiones, quas in explicatione capitis adduximus. Prima est: Accidens est, quod adest, & abest, sine subiecti corruptione. Secunda, quod potest adesse, & abesse sine subiecti destructione. Hanc, & sequentem accepit ab Aristotele. Tertia est, quod neque est genus, neque species, nec differentia, nec proprium. (Addit de suo Porphyrius) semper autem inest subiecto. 1. *Topicorũ, cap. 4.*

Notandum 3. Istas tres definitiones non esse distinctas sensu: nam sensus primæ est: Accidens est id, quod refertur ad subiectũ omnino contingenter, ita ut ab

illo poſsit abeſſe, & adeſſe, quem ſenſum habet ſecunda definitio; ſenſus vero tertiæ definitionis eſt: Accidens eſt id, quod ſemper ineſt ſubiecto, id eſt, refertur ad ſubiectum, non ut genus, &c. id eſt, non refertur eſſentialiter, ſed accidentaliter; non neceſſario, ſed contingenter: quæ ratione omnes definitiones in unam coincidunt.

Circa 1. aſſertio 1. Definitum per primam definitionem poteſt eſſe accidens formaliter pro notione conſtituente quintũ prædicabile. Prob. & explicatur: nã ſenſus illius poteſt eſſe iſte: Accidens eſt, quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione; id eſt, Accidens eſt relatio, quæ adeſt, & abeſt abſque ſubiecti corruptione, hoc eſt, quæ refert naturam ad ſubiectum, cui convenit contingenter, ita ut poſsit adeſſe, & abeſſe abſque illius interitu. Vnde verba illa (Adeſſe, & abeſſe) non ſe tenent ex parte notionis, ſed ex parte naturæ, quæ refertur. Noto iuxta mentẽ Porphyrii, definitum huius definitionis non eſſe notionem quinti prædicabilis, quia quoties definit notionem univerſalẽ, illam exponit per prædicari, ut cõſtat ex dictis.

Aſſertio 2. Hæc definitio accõmodari poteſt accidenti primo intentionaliter. Prob. quia accidens pro natura eſt id, quod poteſt adeſſe, & abeſſe. Vbi verbum illud (adeſſe) non ſignificat propriam inhærentiam, ſed quamcunque adhęſionem, ſeu convenientiam ſufficientem ad prædicationem: qua ratione eſſe veſtitum eſt accidens prædicabile, licet veſtis non inhæreat, cum ſit ſubſtantia completa.

Aſſertio 3. Prædicta definitio optima eſt, quidquid dicat Hurtadus. Prob. quia per eam ſufficienter diſtinguitur accidens ab omnibus aliis, ut ex dictis conſtat, & conſtabit amplius ex obiectionum ſolutionibus, ergo eſt optima. *Diſp. 6. Logica, ſect. 6*

Adverte. Quidquid de hac prima Porphyrii definitione diximus, ſuo modo accõmodari poſſe duabus ultimis definitionibus eiuſdem Porphyrii. Tũ etiã Ariſt. approbare modũ definiendi rem per negationes aliarum rerum, quãdo iam aliæ ſatis explicatæ ſunt, & quando in definitione aliquid poſitivum additur. *1. Topicor. cap. 4.*

Oppones 1. Hæc definitio traditur per res repugnantes, ſcilicet per adeſſe, & abeſſe, ergo nõ eſt optima. Reſp. adeſſe, & abeſſe ſimul eſſe res repugnãtes, non vero ſucceſsive.

Oppones 2. Exiſtentia, & privatio exiſtentiæ, ſive mors ſunt accidentia communia homini, atqui exiſtentia nequit abeſſe, & mors adeſſe ſine deſtructione hominis, ergo nõ omne accidẽs commune poteſt adeſſe, & abeſſe ſine deſtructione ſubiecti. Reſpond. exiſtentiam, & mortem eſſe accidentia communia reſpectu hominis, ſi ſumatur ſecundũ eſſentiam poſsibilem, & metaphyſicè, quia homini ſecundum eſſentiam contingenter advenit exiſtentiam habere, vel illa privari, quo modo ſemper idem manet, etſi adſit mors, & exiſtentia abſit, quia ſemper eſt animal rationale; unde omnia accidentia poſſunt adeſſe, & abeſſe abſque deſtructione ſubiecti.

Oppones 3. In hac definitione nequit aſsignari genus aliquod, ergo

ergo non est optima. Nego antecedens: nam si definitum sit accidens primo intentionaliter rationem generis obtinet ens in communi, significatū per illam particulam quod, nam ens commune est, omnibus entibus cōtingenter subiectis conuenientibus; si vero secundo intentionaliter, genus est relatio rationis in communi.

Circa 1. dubii partem noto. Dubium bifariam posse exagitari: vno modo iuxta mentē Porphyrii, & alio secundum se considerando definitionem.

Assertio prima. Definitio iuxta mentem Porphyrii, intelligenda est de absentia, & præsentia Logica, & intellectuali, ita ut sensus sit, Accidēs potest adesse, & abesse per intellectū absq. interitu subiecti, quomodo definitio conuenit accidentibus reipsa inseparabilibus. Prob. ex verbis eiusdem Porphyrii, qui postquam diuisit accidens in inseparabile, & separabile, & adduxit exemplum accidentis separabilis, ut dormire; & inseparabilis, ut nigredo in corvo, & in Aethiope, ita expresse tenet: *Mēte tamen cogitatione, ut corvus, albus, Aethiops, nō niger sine subiecti corruptione concipi potest.* Ergo Porphyrius non loquitur de reali separatione, sed solum de mentali.

Oppones. Si definitio hoc modo intelligatur, cōveniret etiam proprietatibus, istæ enim etiam separari possunt à subiecto per intellectum, manēte integra essentia subiecti. v.g. homo concipi potest absque risibilitate, integra eius essentia manente, ergo definitio non est intelligēda de absētia Logica, & intellectuali.

Respōdebit aliquis, disparem esse rationem, quia accidens ita potest per intellectum separari à subiecto, ut possit concipi in subiecto contrarium accidens, v.g albedo in corvo: at vero quāvis essentia possit concipi sine proprietate, non tamen potest concipi cum contraria proprietate, ut risibilitas in homine. Sed contra: quia aqua non potest solum concipi sine frigiditate, quæ est illius proprietas, sed etiam cum calore frigiditate opposito, & quamvis calor solum ab igne oriatur, non ideo concipiendo aquam calidam, concipimus esse igné, & non aquam, quia non concipimus illam quasi ab intrinseco esse calidam, quo pacto ignis est calidus, sed tantum ab extrinseco.

Resp. ergo ad arg. dupliciter. 1. quod licet essentia concipi possit sine proprietate sua formaliter sumpta, ut essentia hominis absque risibilitate, non tamen sine sua proprietate radicaliter sumpta, id est, sine radice proprietatis, quia ipsamet essentia est radix proprietatis, atque ita concipiendo essentiam, necessario concipimus radicē proprietatis; at vero accidens commune non dimanat ab essentia, sed convenit subiecto à principio extrinseco, ideo potest concipi essentia quin concipiatur accidens commune tam formaliter, quam materialiter, qui enim essentiam concipit, non concipit radicem accidentis, sed solum proprietatis. Secundo resp. accidens inseparabile posse concipi sine subiecto per intellectum, salva illius essentia, & illis omnibus, quæ ei necessario conveniunt; at vero licet proprietates possint separari à subiecto, salva eius

eius essentia, non tamen iis, quę cum ea necessario cõnectuntur.

Assertio 2. Prædicta definitio Porphyrii potest etiam intelligi de reali, & physica præsentia, & absentia à subiecto, quod sic declaro: quia licet accidens inseparabile à subiecto, ut cicatrix in facie, supposito, quod iã subiecto inhæreat, & in illo sit, nequeat ab illo separari, quia tamẽ subiectum aliquãdo fuit, vel potuit realiter esse sine ipso, hoc sufficit, ut de illo verificetur, quod potest realiter adesse, & abesse à subiecto, per quod sufficienter à proprietate distinguitur, sine qua subiectum nequaquam reipsa fuit, nec potuit esse: vnde definitio accidentis tradita à Porphyrio hoc modo intelle ta, non pugnat cum divisione accidentis inseparabile, & in inseparabile: nam diverso modo idem accidens dicitur realiter separabile, & inseparabile: separabile cum illi primo advenit, quia taliter aduenit illi ut poterat non advenire; inseparabile supposito, quod in subiecto exsistat.

Oppones. Nigredo corvi est accidens commune, sed corvus nunquam potest esse sine nigredine; ergo definitio accidentis non potest intelligi de absentia reali. Resp. duplicem esse nigredinem in corvo, unam valde remissam, alteram magis intensam, quę progressu temporis adquiritur. Prima est in carne, quã habet à principio mundi, cum primũ in ovo vivit, & nunquam amittit, nec amittere potest, & hæc est proprietas illius promanans ab eius essentia. Secunda est accidens commune, & aliquo tempore abest à corbo, licet postquam inest nequeat separari.

DVBIVM II.

Quæ inferiora habeat accidẽs ut universale.

ADvertendum primo. Accidens ut quintum prædicabile definiri accidẽtaliter, quod prędicatur extra essentiam contingenter, essentialiter vero universum extra essentiam contingenter: quæ definitiones sunt optimæ, cum per illas sufficienter intelligatur accidens, & distinguatur ab aliis.

Advertendum 2. Accidẽs, v.g. album habere duo genera inferiorum, quædam essentialia ut hoc, & illud album, de quibus essentialiter effertur; alia vero accidentalia, ut lac, & homo, de quibus accidentaliter enuntiatur.

Assertio 1. Accidens in ordine ad inferiora essentialia prędicatur prædicatione primi, vel secũdi prædicabilis. Prob. quia accidens de inferioribus essentialibus prædicatur intra essentiam ut pars essentiæ, ut coloratũ de albo, & nigro; vel ut tota essentia, ut album de hoc, & illo albo, *ergo*, &c.

Huic assertioni obsistit Didacus à Iesu Carmelita, qui tametsi admittat accidentia in abstracto posse esse genera, & species in ordine ad sua inferiora essentialia, ut color respectu albedinis, & nigredinis; & albedo respectu huius, & illius albedinis, id tamen negat de accidentibus in concreto. Fundamentum est, quia accidentia in concreto, in suo essentiali cõceptu includunt inhæ- *Disput. 10. quæst. 2.*

inhærentiam, quæ nequit convenire primæ, & secundæ voci prædicabili, sed quintę. Sed contra, quia sicut se habet abstractũ superius ad abstractũ inferius, ita concretum superius ad concretum inferius: v.g. sicut se habet color ad albedinem & nigredinem, & albedo ad hanc & illam albedinem, ita coloratum ad album & nigrũ, & album ad hoc & illud album; ergo sicut accidẽtia in abstracto, possunt esse genera, & species in ordine ad sua inferiora essentialia, ita accidentia in cõcreto. Ad oppositum dico, accidentia in concreto dicere inhærentiã in ordine ad subiecta; minime vero in ordine ad inferiora essentialia, in quibus essentialiter imbibitur, & ita in ordine ad hæc, quamvis non in ordine ad illa, poterunt à notionibus generum, & specierum affici.

Assertio 2. Accidens in concreto est universale quinti prædicabilis in ordine ad subiecta, quibus convenit cõtingenter. Prob. Quia album in ordine ad subiecta, v.g. in ordine ad papyrum, & lac, est universale, cum prædicetur de multis, sed non est genus, species, & differentia, quia non prędicatur intra essentiam; neque proprium, quia non prædicatur necessario, sed contingenter, ergo erit quintum prædicabile. Dixi, notanter in concreto, quia accidẽs in abstracto non prædicatur de subiectis; homo enim non est albedo, sed albus; tum quia accidens prædicatur de subiectis per modum alteri adhærentis.

Oppones 1. Ad res diversorum prædicamentorum non datur aliquid cõmune synonymum, sed accidens prædicatur de rebus diversorum prædicamentorum, ut album de substantia, & quantitate; ergo accidens non est synonymum, & per consequens neque universale. Confirmatur ex Aristotele, ubi docet solam substantiam prædicari synonyme de alia substantia, ergo accidens non prædicatur synonyme. *Cap. de substantia.* Nego maiorem. Quia, ut ostendam tractatu sequenti, disput. 2. ad decẽ prædicamenta cõmuniter assignata, ens completum per se itãs, synonymum est & genus. Ad confirmationẽ dico. Aristotelem, dum dicit solam substantiam prędicari de alia synonyme, esse intelligendum de synonymo essentiali, cuius ratio non convenit accidenti in ordine ad subiecta.

Oppones 2. Subiecta albedinibus affecta sunt hoc, & illud album; sed album in communi in ordine ad hoc & illud album, est species; ergo album in ordine ad subiecta albedinibus affecta, nõ est quintum prędicabile, sed secũdum. Resp. Subiecta albedinibus affecta nõ esse hoc & illud album, nam hoc concretum album, dicit albedinem connotantem subiectum, sive, quod idem est, dicit in recto albedinem, & in obliquo subiectum; subiecta vero albedinibus affecta è contra, albedinẽ in obliquo, & subiecta in recto, quia sunt concreta naturæ; concretum autem naturæ dicit naturam, seu subiectum in recto, & formam accidentalem in obliquo, sicut concretum accidentale formæ dicit in recto formam, & in obliquo subiectum.

Oppones 3. Accidens est universale in ordine ad subiecta, er-

go potest dari universum à parte rei. Prob. quia Deus potest ponere eandem albedinem in pluribus subiectis, sed illa in illo casu esset universalis, cum esset in multis subiectis; ergo daretur universum à parte rei. Respond. Eandem albedinem existentem in multis subiectis, non solum realiter, sed neque per intellectum posse esse universam, quia nō multiplicaretur in illis subiectis, cum sit una numero, & indivisa in illis; universale autem debet multiplicari in multis eiusdē nominis, & rationis: ideo enim dixim⁹, universale debere esse unum non unitate numerica, sed universali, quia unitas numerica negat omnem sui multiplicationem, secundum idem nomen, & eandē rationem; unitas vero universalis hanc multiplicationem dicit.

DVBIVM III.

Quænam existentia requiratur in accidenti, & subiecto ad hoc quintum prædicabile.

DVO nobis sunt in præsenti perquirenda. Primum, An accidens prædicabile, ut vere prædicetur de subiectis, requirat suam, & subiecti existētiam. Secundum consequenter, An accidens denominari queat quintum universale, ad subiecta in quibus actu non existit.

Sunt autem accidentium tria genera, quædam realia, ut albedo, quantitas; alia rationis, ut genus, species, &c. Alia denique negativa, ut nō homo, cęcitas. Deinde accidentia realia alia sunt intrinseca, ut albedo in pariete; alia extrinseca, ut esse visum, esse cognitum.

Existentia duplex est, una realis, & altera rationis. De utraq. potest esse difficultas an requiratur.

Pronuntiatū 1. Accidentia realia intrinseca ut vere prædicentur de subiectis, & consequenter, ut sint universalia quinti prædicabilis, flagitát sui, & subiectorum existentiā. Prima pars probatur, quia in hac enuntiatione, Homo est albus, verbum est nō significat necessariā connexionem prædicati cum subiecto, esset enim falsum enuntiatum, cum talis necessaria connexio non detur; ergo debet significare necessario solam contingentem connexionem, quæ reperitur inter hominem, & albedinē, sed ista contingens coniunctio nequit dari, nisi existat homo, & albedo, imo nisi existat albedo in pariete; ergo ut sit vera hæc enunciatio, absolute requirit existentiā utriusque. Ex quo probatur 2. pars, quia ut accidēs intrinsecū sit universale quinti prædicabilis, requiritur ut possit prædicari vere de subiectis, sed ad hoc requiritur realis existētia ipsius, & subiectorū, de quibus debet enunciari; ergo ut sit universale quinti prædicabilis, etiam eget sui, & subiectorū existentia. Confirmatur 1, quia ut accidens sit universale quinti prædicabilis, debet convenire subiectis contingenter, & non necessario, neque essentialiter, sed ad hoc ut contingenter illis conveniat, requiritur existentia utriusque; ergo, &c. Minor probatur: quia si hæc existētia non requireretur, maxime quia sicut albe-

albedo exsistens convenit subiectis exsistentibus, ita albedo possibilis convenit subiectis possibilibus, sed hoc non obstat, ergo. Minor probatur: quia albū possibile essentialiter, vel ad minus necessario, & non contingenter, cōvenit subiectis albis possibilibus; parieti enim possibili essentialiter, vel necessario convenit esse albū possibile, id est, posse habere albedinē possibilē; ergo per huiusmodi conveniētiam in potentia nequit accidens esse universale quinti prædicabilis.

Placitum 2. Negationes contingentes cōveniunt rebus absque exsistentia sua, vel ipsarum rerum ratio sumitur ex peculiari imperfectissimo modo, quo hæ negationes dicuntur esse in rebus: eatenus enim sunt, quatenus formę negatę, non reperiuntur in eisdem rebus. Quis enim dubitat has esse veras, Aristoteles non deambulat, Plato non loquitur, & similes, in quib⁹ propositionibus verbum est peculiari ratione, non significat aliquam exsistentiam, quia particula (non) eam destruit. Notanter dixi negationes contingentes; sunt enim aliquę negationes necessariæ, quæ scilicet necessarios res consequuntur, ut illę, quæ comitantur passiones entis, & si quæ sunt aliæ, quarum prædicatio potius reducitur ad quartum prædicabile.

Placitum 3. Privationes ut verę de subiectis prædicentur, requirūt suas, & subiectorum exsistentias. Prob. nam in primis si privatio non exsistit in subiecto, exsistet in eo forma; ergo nō poterit de illo efferri privatio, ergo debet privatio exsistere exsistētia negativa ad prædicationis veritatem. Deinde privatio est carētia formę in subiecto apto, & tempore idoneo ad habendam formam, sed nullum subiectum habere potest talem aptitudinem, nisi realiter exsistat; ergo requiritur subiecti exsistentia, ut de illo privatio efferatur.

Placitum 4. Accidentia realia extrinseca aliquando efflagitant exsistentiam subiectorum, aliquando non ut vere prædicentur, & sint universalia quinti prædicabilis. Prima pars probatur, quia homo non dicitur armatus, & vestitus, nisi exsistant homo, vestes, & arma. Secunda vero pars ostenditur: quia obiectum aliquando dicitur cognitum, & amatū, etiam si non exsistat, dummodo amor, & cognitio exsistant, ex quo patet posse esse universale, licet subiectum non exsistat, quia illi convenit extrinsece, & per denominationem.

Placitum ultimum. Accidens rationis, ut verē enuncietur de subiectis, eget sui, & subiectorū exsistentia. Sequitur ex dictis quia cum accidens rationis secundū rationem conveniat subiecto, & non habeat necessariam connexionem cum illo, ut vere de illo efferatur, requirit ut secundum rationem actu illi contingenter conveniat. Dixi secundum rationem, quia accidens rationis potest vere prædicari de subiecto non exsistente à parte rei: nam relatio generis, v.g. potest prædicari de animali possibili, in hac prædicatione, Animal possibile est genus.

Contra 1. pronuntiatum oppones 1. Homo est species, & universalis, etiam si non exsistat actu in individuis, ergo & album

poterit esse universale quinti prædicabilis, etiam si non existat in subiectis. Nego consequé tiam: quia homo possibilis convenit etiam essentialiter individuis possibilibus, & de illis potest prædicari; at albedo nunquam convenit subiectis, neque potest de subiectis efferri, nisi quando existit in illis, ut dictũ est.

Oppones 2. Ad universale sufficit, ut natura aliqua sit una, & apta ut sit in multis, sed album ita se habet respectu subiectorũ antequam existat, ergo album erit universale ad subiecta possibilia. Resp. Maiorem esse veram in universalibus necessariis, minime vero in contingẽtibus intrinsecis, ut satis ex dictis liquet.

Oppones 3. Risibile, v.c. potest esse universale quarti prædicabilis ante existentiam subiectorum, ergo etiam & albũ quinti prædicabilis. Nego consequẽtiam. Ratio est, quia risibile habet necessariam connexionem, licet accidentalem, cum subiectis, & ita potest concipi ut actu cõveniens illis ut possibilibus: vnde sensus huius propositionis, Homo est risibilis, est iste ante ipsius existentiam, homo quando existet erit risibilis necessario: at ista, Homo est albus, nequit huiusmodi sensum habere, quia album non habet necessariam connexionem cum homine, sed solum potest significare existentiam albedinis cum homine.

Dices, posse habere hunc sensum, Homo est albus, id est, homo quando existet erit albus, licet contingenter, quia habet connexionem contingenté cum albedine. Resp. Si in hoc sensu sumi potest verbum, est, veram esse prædicationem, & quinti prædicabilis. Cæterum iam supponit existentiam realem futuram sui, & subiectis unde album futurum respectu futurorũ subiectorum erit quintum prædicabile. Si vero verbum, est, sumatur, ut communiter sumitur, pro actuali existentia, propositio erit falsa, & ita neque quinti prædicabilis.

Dubitabis 1. An accidẽs prius conveniat universalibus, quam singularibus. Ad responsionem prænoto, posse dubium intelligi de accidenti primo intentionaliter, vel secundo intentionaliter; & accidens primo intentionaliter posse esse physicum, ut al albedo, vel intentionale, ut intellectio, volitio, &c. Hoc posito, respondeo 1. Accidens reale physicum prius convenit singularibus, & horum ratione universalibus, quia homo ideo est albus, quia Petrus est albus; non cõtra. Resp. 2. Accidentia intentionalia, ut esse volitum cognitũ, &c. interdum conveniunt immediate rationibus superioribus, ut cũ quis amat, vel cognoscit bonum in communi. Resp. 3. Accidẽs secũdo intentionaliter pro quinto prædicabili, immediate cõvenit rationi superiori.

Dubitabis 2. An accidens infimum, & interiectum sint eiusdem speciei. Resp. affirmative: quia eodem modo respiciunt sua inferiora, scilicet extra essentiam contingenter.

DV-

DVBIVM IIII.

An universale sit genus ad quinque universalia.

OBservandum 1. Quod aliàs monuimus, universale sumi posse vel materialiter pro natura subsracta, vel formaliter pro notione universalitatis.

Observandum 2. Vniversum materialiter sumptum non esse genus ad quinque prædicabilia materialiter sumpta, quia omnia prædicamenta denominari possunt ab his notionibus, tum etiam entia negativa, & positiva, entia realia, & rationis, sed ad hæc omnia nequit dari communis univoca, & generica ratio, ergo, &c.

Ita Scotus q.7.univer. Soncs q. 4. Tolet. ad Præfation. huius lib. q. 2. Fōseca. 5. Met. c.18. q. 18. s. 2. Suarez Met. disp. 6. sect. 8. n. 15. Masius sect. 5. Conimbri. q.7. art. 2. c. 3. Hieronym. Fla. q. 4. di sp. 1. Noster Blāe sect. 20 disp. 2. univ. Hurt. in Logica, disp. 7. sectio. 1. & communiter contra Boetiū, & Am-

Sit conclusio. Vniversale formaliter, seu pro notione genus est ad quinque universalia. Probatur. Hoc quod esse in multis, in quo conveniunt omnes species memoratę, abstrahi potest per intellectum à particularibus modis essendi in multis singularum specierum, non minus quam communis ratio animalis ab animalibus, vel coloris à coloribus; sed illa ratio est communis pluribus specie differentibus in modo essendi in multis, & ab illis æque participatur, ergo universale formaliter genus est ad quinque universalia.

Confirmatur. Relationes reales fundatæ in substantia, & accidente, conveniunt univoce, & generice in ratione relationis realis, licet substantia, & accidens non ita conveniant in ratione entis, ergo pariter in præsenti, relationes, seu notiones fundatæ in naturis quinque vocum, convenient univoce, & generice in ratione relationis, seu notionis universalitatis, licet naturæ quinque vocum, non ita conveniant in ratione naturæ.

mon super c. de genere. Alberti Magnum tract. 1. in Porphy. cap. 9. Cantarum in Antepredicamēntis, cap. 4.

DVBIVM V.

Solvuntur aliqua argumenta doctrinæ superiori adversantia.

COntra doctrinam superiori dubio traditam, contrariæ partis propugnatores varia argumenta opponunt, pro quarū solutionibus prænotandum est, notionem universalitatis in cōmuni bifariā sumi posse. Primo essentialiter, & ut quo, videlicet quatenus est id medio quo natura refertur ad multa. Secūdo, accidentaliter, & ut quod, nimirū quatenus est id, quod per notionem superadditā refertur ad notiones quinque vocum, sicut omne superius ad sua inferiora. Vnde sicut relatio realis, quę essentialiter est ratio referēdi fundamentum ad terminum, accidēntaliter denominatur à notione generis in ordine ad hanc, & illam relationem realem, ita notio universalitatis, quæ essentialiter est ratio referendi naturam ad multa, accidentaliter denominatur à particulari notione generis in ordine ad quinque universalium notiones.

Hoc posito, oppones 1. Ratio generica debet æqualiter participari ab inferioribus, sed universale non æque participatur ab inferioribus, ergo nō est genus. Minor patet, nam universale cō-

sistit in eo, quod pertineat ad multa, sed genus pertinet ad plura, quam pertineat species, ergo universale non æque participatur à genere, & specie. Nego antecedens. Ad probationem dico: Genus dici maius, non vero magis universale, sicut quaternarius dicitur maius numerus quã ternarius, quia plures habet unitates, non verò magis numerus.

Oppones 2. Genus non potest dici de uno simpliciter, & de aliis secundum quid, sed universale dicitur de genere, specie, & differẽtia simpliciter, & de proprio, & accidenti secundũ quid, ergo non est genus. Minor sic quet ex Aristotele, dicente, solã prædicationem essentialem esse univoce, & simpliciter prædicationẽ, sed genus, species, & differentia prædicãtur essentialiter, accidens vero, & proprium accidentaliter; ergo prædicationes accidentis, & proprii non sunt prædicationes simpliciter, sed secundum quid, & consequenter proprium, & accidens solum erunt prædicabilia, sive universalia secundum quid. Nego minorem. Ad probationẽ dico, Aristotelem voluisse prædicationem essentialem esse omnium perfectissimam, quod non tollit quin prædicatio accidentalis sit univoce prędicatio, sive simpliciter, sicut licet homo sit leone perfectior, non tollit quo minus leo sit univoce, & simpliciter animal sicut homo.

Capite de substãtia.

Oppones 3 Ratio generica nõ debet includi in differẽtiis suorum inferiorum, sed universale imbibitur in differentiis quinque universalium, ergo non est genus. Minor probatur: quia differentię quinque vocum nõ sunt singulares, cum constituant diversas species universi; ergo sunt universæ, ergo universum includitur in illis. Respondeo concedendo maiorem, & distinguendo minorẽ. In differentiis quinque universaliũ, imbibitur universale completum. Nego minorem. Vniversale incompletum. Concedo minorem. Vniversale autem, quod est genus, non est incompletum, sed completum; sicut substantia, quæ est genus ad hominem, & leonem non est incompleta, sed completa.

Oppones 4. Genus debet latius patere, quam proprias species, & esse univnrsalius illis; sed universale latius patere non potest genere, quod est eius species, nam hoc comprehendit etiam genera generalissima, supra genus autem generalissimũ non est assignandum aliud genus, ergo universale non est genus ad quinque species. Negãda est minor: nam universale sub se comprehẽdit notiones generis, quibus denominantur genera generalissima, cum vero dicitur super genus generalissimum non dari aliud genus, intelligendum est de aliqua natura reali generica, non vero de notione.

Oppones 5. Nullum genus potest contineri sub sua specie; sed si universum esset genus, contineretur sub sua specie, ergo, &c. Minor probatur: quia omne genus est sub eo genere, quod est prima species universalis, sed universale est genus, ergo continetur sub sua specie. Confirm. Quia species non potest directe, & formaliter prædicari de suo genere; sed si universum esset genus ad quinque voces, prima species, nempe genus, prædicaretur

retur de universo, nam hæc esset vera Vniversum est genus, ergo, &c. Resp. Genus non posse contineri essentialiter sub sua specie, bene tamen accidentaliter, & denominative. Genus autem prima vox essentialiter continetur sub universo in communi; sicut omnis species sub suo genere, universum vero solum continetur sub genere accidentaliter. Ad confirmationem eodem modo respondeo. Licet species non possit prædicari essentialiter de suo genere, bene tamé accidentaliter, & denominative, & ita prima species (nępe genus) directe, licet accidentaliter, prædicatur de universo in hac prædicatione, universum est genus.

Oppones 6. Omne genus prædicatur essentialiter de suis speciebus, sed universum non prædicatur essentialiter de quinque vocibus, ergo, &c. Prob. minor: nam hæc est accidentalis prædicatio, (Genus est species) ergo hæc alia etiam erit accidentalis (Genus est universum) Probat. consequentia: nam quando aliquod attributum effertur accidentaliter de aliquo subiecto, quidquid essentialiter convenit attributo, accidentaliter convenit subiecto: v. g. quia album accidentaliter prædicatur de pariete coloratum, quod est de essentia albi, accidentaliter prædicatur de homine, sed species accidentaliter prædicatur de genere, & universum essentialiter cõvenit speciei; ergo universum accidentaliter convenit generi, ergo, &c. Respondeo: Vniversum ut inclusum in specie accidentaliter, prædicari de genere, quia tota species accidentaliter prædicatur de genere; & per cõsequens etiam universum in illa inclusum, universum tamen absolute essentialiter prædicatur de genere in hac prædicatione, Vniversum est genus, sicut intellectus accidentaliter denominatur intelligens ab intellectione, & eodem modo à qualitate inclusa in intellectione, & tamen qualitas absolute sumpta, essentialiter prædicatur de intellectu in hac prædicatione, intellectus est qualitas.

Oppones 7. Vna species non potest de alia prædicari, ut iste non sunt verę, Homo est leo, leo est homo; sed si universum esset genus ad quinque voces, vna species prædicaretur de alia: hæc enim esset vera: Genus est species, differentia est species, &c. ubi secunda species prædicatur de omnibus aliis, ergo universum in communi non est genus ad quinque voces. Respondeo: Vnam speciem non posse prædicari de alia essentialiter, bene vero accidentaliter, & denominative; sicut in genere qualitatis dicimus, Album est dulce, dulce est album; ubi dulce prædicatur de albo accidentaliter, similiter in præsenti. Noto tamé, speciem quæ prædicatur in prædicationibus adductis, non esse speciem prædicabilem, quæ est species universi, sed subiicibilem, quæ ut sic non est universi formalis species, atque adeo vna species universi formalis non prædicatur de alia.

DVBIVM VI.

An universale sit genus immediatum ad 5. universalia.

QVod inquirimus est, An inter universale genus, & quinque

que prædicabilia ſpecies ipſius interſit aliquod genus, ſicut inter vivens, & hominem mediat animal; an vero nullum mediet, ſed univerſale immediate dividatur in prædictas ſpecies, ſicut animal immediate dividitur in hominem, & brutum.

Ita Rubius q. 9. N. 8 de diſp 2. ſect. ult univerſ. & plerique ex recentioribus cõtra Fõſecã 5. Met. c. 28. q. 17. art. 3 ſect. 3. Conimbr. q. 7. art 3. & alios.

Dico. Vniverſale genus eſt mediatum ad quinque univerſalia. Probatur: nam genus, ſpecies, & differentia eſſentialiter conveniunt in eo, quod eſt prædicari de multis intra eſſentiam; proprium vero, & accidens conveniunt etiam eſſentialiter in eo, quod eſt prędicari de multis extra eſſentiam: ſed quotieſcunque aliqua conveniunt in aliquo attributo communi, illud attributum poteſt abſtrahi ab illis, ergo à tribus primis univerſalibus abſtrahi poteſt prædicari intra eſſentiam, & à duobus poſtremis prædicari extra eſſentiam; ergo iſtæ rationes poterunt concipi ut mediæ inter univerſale, & prædicabilia, quæ ſane cum ſint prædicata ipſis quinque ſpeciebus, ſuperiora erunt genera inter media.

Vnde univerſale in communi dividi debet. Primo, & immediate in univerſale intra eſſentiam, & extra eſſentiam. Vniverſale intra eſſentiam ſubdividitur in illud, quod eſt tota eſſentia, & eſt ſpecies, & quod eſt pars eſſentiæ; & hoc ulterius ſubdividitur in illud, quod eſt pars materialis eſſentiæ, & eſt genus, & quod eſt pars formalis eſſentiæ, & eſt differentia: demũ univerſale extra eſſentiam, vel convenit neceſſario, & eſt proprium, vel contingenter, & eſt accidens commune.

Dices 1. Si inter univerſale, & quinque voces mediarent illa genera, oriretur ingens cõfuſio ex varia multiplicatione diviſionum, quam quiſque fingere poteſt. Primo enim dividi poſſet univerſale in intrinſecum, & extrinſecum. Secundo, in neceſſario conveniens, & conveniens contingenter. Tertio, in eſſentiale, & accidentale. Quarto, in illud quod dicitur, in quid; & in illud, quod dicitur in quale. Quinto, in illud quod dicitur de multis ſpecie differentibus, & in illud, quod de numero tantũ. Quæ diviſiones magnam pariũt confuſionem, præſertim quia nõ eſt maior ratio, cur una magis quam alia dividatur, ergo aptius erit univerſale dividere immediate in quinque prædicabilia. Reſp negando, ullam ſequi confuſionem, imo illis diviſionibus magis explicatur eſſentia univerſalis. Vnde ſicut ſine ulla confuſione, ens ſecatur immediate variis diviſionibus in increatũ, & creatum, finitum, & infinitũ, in ſubſtantiam, & accidens, relativum, & abſolutum, ita poterit dividi univerſale illis omnibus diviſionibus; ex quibus tamen magis placet illa de univerſali intra eſſentiam, & extra eſſentiam, quia cum illa coincidit diviſio univerſalis in intrinſecũ, & extrinſecum, & fere ex omni parte illa alia de univerſali neceſſario, & contingenter.

Dices 2. Si univerſale eſſet genus mediatum, ſequeretur unam & eandem ſpeciem cõtineri ſub duobus generibus non ſubalternatim poſitis: nam differentia erit ſub univerſali intra eſſentiam, & ſub univerſali in quale: quæ duo genera non ſubalternãtur, quia nec omne quod eſt in quale,

quale, est intra essentiam, ut patet in proprio, & accidenti; nec omne quod est intra essentiam, est in quale, ut patet in genere, & specie. Respondeo negando, esse absurdum eandem speciem constitui sub duobus generibus, non subalternatim positis, sicut homo continetur sub animali, & substantia intellectiva completa, quæ non sunt subordinata inter se, quia non omne animal est substantia intellectiva, ut patet in leone; nec omnis substantia intellectiva est animal, ut patet in Angelo.

DVBIVM VII.

An universalia rectè ponantur quinque.

EXaminatur in hoc dubio: An sint plures, vel pauciores species universalis, quã vulgares quinque, quas hactenus exposuimus.

Dico. Vniversalia nec plura, nec pauciora sunt quam quinque. Est doctrina Porphyrii, quã non probavit, sed omnium veterum Philosophorum auctoritate firmatam supposuit. Probatur: nam quod est unum in multis, seu de multis prædicabile, vel dicit aliquid essentiale illis, vel aliquid extra essentiam. Rursus si sit essentiale, vel dicit totam essentiam, & sic est species; vel dicit partem materialem, & est genus, vel partem formalem, & sic est differentia: si vero universale, vel prædicabile sit extra essentiam; vel dicit aliquid per se cõnexum cum ea, & ab ea manans, & est proprium; vel id quod dicit non est cum essentia per se connexum, sed ei contingenter adveniens, & vocatur accidens: sed non est assignabilis alius modus conveniendi multis, ergo neque alia species.

Fonseca, cum quibusdam ex antiquis, & recentioribus, constituit post arcanũ Incarnationis mysterium tria universalia nova propter istas prædicationes, Verbum divinũ est animal, Verbum divinum est homo, Verbum divinum est rationale: moveturque, quia illa prædicata spectare non possunt ad aliquod ex quinque prædicabilibus à Porphyrio numeratis; non ad tria prima, quia prædicata illa non sunt essentialia Verbo divino, cum aliquando ipsi non convenerint, sed neque ad proprium: hoc enim prædicatur necessario, & inseparabiliter, tũ etiam cum reduplicatione subiecti, ut homo, in quantum homo est admirativus; dicta vero prædicata nõ conveniunt Verbo divino necessariõ, nam aliquando ab ipso abfuerunt: neque etiam possunt de eo cum reduplicatione affirmari: esset enim falsa, Verbum divinum, quatenus Verbum divinum, est homo; vel, Deus quatenus Deus; sequeretur enim Patrem, & Spiritum sanctum esse hominem. Demũ neque ad quintum prædicabile, nam illæ prædicationes non sunt accidentales, sed substantiales; talis enim est prædicatio, qualis est vnio prædicati cum subiecto; vnio autem humanitatis cum Verbo nõ est accidens, sed substantia, ut definitum est in Ecclesia, ergo, &c.

5. Metaphy. cap. 8. quæst. 7. sectio. 6.

Dicendum tamen iudico, omnes illas prædicationes esse quinti prædicabilis, atque adeo pro-

Ita Vazquez, & alii, quos ipse citat to-

mo 1. in tertiam partē, disputa. 68. cap. 4. num. 20.

pter illas non esse constituenda noua prædicabilia. Probatur primo: nam omne prædicatum conueniēs subiecto extra essentiam contingenter pertinet ad quintum prædicabile, sed ita conueniunt animal, homo, & rationale Verbo divino, ut patet; ergo prędicationes, in quibus animal, homo, & rationale efferuntur de Verbo divino, pertinent ad quintum prædicabile.

Secundo probatur, destruendo fundamentum partis contrariæ: quia si illæ prædicationes non essent quinti prædicabilis, maxime quia earum prædicata sunt substantia, sed hoc non obest, ergo, &c. Minor probatur: quia ad hoc, ut aliquod prædicatum, pertineat ad quintum prædicabile, non debet esse accidens prædicamentale, aut formam alicuius ex novē prædicamentis accidentium, sed prædicabile, id est, forma subiecto extra essentiam contigenter cōveniens, sive sit substantia, sive accidens in sua entitate, sed animal, homo, & rationale sunt accidentia prædicabilia, cum conveniant Verbo divino extra essentiā contingenter; ergo prædicantur de Verbo prædicatione quinti prædicabilis. Maior patet in hac prædicatione quinti prædicabilis, Tectū est auratum, in qua aurum non est accidens prædicamenti respectu tecti.

Respondebis 1. Ex tecto, & auro non fieri unum per se; at ex homine, & Deo fieri per se unū, una scilicet persona Christi. Verum intercludo hoc effugium alio exemplo. Ex materia & forma physica unum fit per se, & tamen prædicatio, qua forma de materia prædicatur, cum dico, materia est animata, ad quintū pertinet prædicabile quamtumvis unio, qua uniuntur, sit substantialis, & non accidentalis.

Respondebis 1. Quādo eo modo prædicatur substantia, prædicari ad modū adiacentis, sic forma prædicatur de materia, & aurum de tecto. Non enim dices: Materia est anima, vel tectum est aurum, sed materia est animata, tectum est auratum, vel aureum. Homo autem non prædicatur de Deo, cū dicimus, Deus est homo, instar adiacentis, sed ad modum substantiæ per se stantis: ea autem, quæ ad quintum prædicabile pertinent, debent prædicari ad modum alteri adiacentis.

In primis etiam, si huiusmodi solutio esset vera, saltē hæc propositio, Deus est rationalis, spectaret ad quintum prædicabile, quia rationale contingenter convenit Deo, & prædicatur de illo per modum adiacentis. Secundo. Ad minus hæ duæ prædicationes, Deus est animal, Deus est homo, non cōstituerent duas novas species universalis, ut volunt adversarii: quod ita declaro: Album, & Grammaticum ad idem prædicabile spectant, quia utrunque contingenter prædicatur, licet albū magis se extendat quam Grammaticum; ergo animal, & homo respectu Dei spectabunt ad idem prædicabile, cum utrunque contingenter efferatur de Deo, licet animal magis se extendat quam homo.

His notatis, infringo solutionem alio exemplo: nā hæc prædicatio indirecta, Animal est homo, reuocatur ad quintum prædicabile, & tamē homo nec unitur animali accidentali unione, sed

sed substantiali; nec prædicatur de eo ad modum adiacentis, sed ad modũ substantiæ per se stantis, ex eo precisè, quod animali accidentale sit, & contingens, quod sit homo; ergo similiter in nostro casu.

Ex dictis collige, non esse cõtra rationem prædicati, quinti prædicabilis esse substantiã cum subiecto unum per se constituentem, & efferri de subiecto ad modum per se stantis: ex quo patet ad fundamentum Fonsecæ.

DVBIVM VIII.

Satisfit argumentis adversariorum.

DIces primo. Prædicamenta sunt decem, ergo & prædicabilia. Patet consequẽtia. Tot debent esse prædicabilia, quot sunt modi prædicandi de prima substantia, sed modi prædicandi de prima substãtia sunt decem, ergo decem erunt prædicabilia. Minor probatur. Modi prædicandi ut est cõmune pronuntiatum, sequũtur modos essendi, sed modi essendi sunt decem, ergo & modi prædicandi. Respondeo negando primã consequentiam. Ad minorem, & eius probationẽ respondeo: prædicamenta distingui iuxta diversos modos essendi rerum, vel in se, vel in alio tanquam in subiecto, cui realiter inhæreat, qui quidem modi sunt decẽ: at prædicabilia solum distinguuntur per diversos modos essendi in multis, sicut superius in suis inferioribus; ii autem modi sunt quinque tantum: nam nulla natura reperies in aliquo prædicamẽto, quę diverso modo ex quinque numeratis, esse possit in alio tanquam in inferiore, vel de ipso prædicari, & tota series prædicamentorum cõtexitur ex iis quinque modis essendi, & prædicandi. Vnde licet materialiter naturæ prædicamentales acceptæ, illis decem modis differant, formaliter tamen quinque tantum memoratis differre possunt. Cuius argumẽtum est: quia omnia genera, quæ ponuntur in omnibus prędicamẽtis, non differunt specie, sed numero, & omnia pertinent ad primam speciẽ universalis. Quare cum dicitur, modi prædicandi sequuntur modos essendi, intelligi debet cum proportione, scilicet modos essendi in inferioribus, & in ordine ad prædicationem.

Dices 2. Animal comparatum in ordine ad sua inferiora, non prout specie differunt, sed præcisè quatenus sunt inferiora, denominatur universum, cum respiciat multa, & tamen non est aliquod ex quinque universalibus; ergo aliud universum erit adiiciendum, sicque erunt sex universi species. Minor liquet: quia animal sic conceptum, non est proprium, nec accidens, cum non sit extra rationem inferiorum; non differentia, cum non sit pars formalis essentiæ; non species, cum non sit tota essentia; nec demum genus, cum non comparetur ad sua inferiora, ut pars materialis cõtrahibilis per specificas differentias, ergo, &c. Respõdeo: Animal sic conceptũ, esse individuum universi in cõmuni immediate sub eo contentum, quia solum participat universi in communi rationem, quę est respicere multa ut sic, & talem

lem rationé contrahit per suam differétia n individualem, quod vero admittenda sint individua generi immediate subiecta, probabimus disp. 3. dub. 6. Quare nō sequitur cōstituendum esse sextum universale, quia prædictum universum non est species universi, sed individuum illius. Hoc pacto solvi possunt alia similia argumenta.

Dices 3. Genus, & species cōstituunt duas universi species, quia illud effertur de pluribus specie differentibus, hęc vero de pluribus numero distinctis; sed differentia interiecta effertur de specie differentibus, ut sentiens de homine, & leone; & differentia infima de numero distinctis, ut rationale de Petro, & Paulo, ergo etiam constituent duas universi species. Respondeo. Genus, & speciem non ideo constituere duas species universi, quia genus enunciatur de specie differentibus, & species de numero differentibus; sed quia genus enunciatur ut pars materialis essentiæ, species vero ut tota essentia; at vero differentia infima, & interiecta prædicātur ut partes formales essentiæ, quia rationale est pars formalis hominis, & sentiens animalis; cum igitur habeant eundem modum prædicādi de suis inferioribus, unam dumtaxat speciem constituunt.

1. *Topicorū, cap. 3.* Dices 4. Aristoteles solum recēset tria prędicata, Genus, Proprium, & Accidens; sed ex prædicabili nascitur prædicatum, ergo tria tantum supponuntur ab Aristotele esse prædicabilia. Respondeo. Aristotelem ibi non agere de prædicatis Logicæ, sed Rhetoricæ, distribuens ea in cōmunes locos. Vnde eruuntur argumenta: & quia locus unde eruitur quæstio generis, inservit etiam quæstioni differentiæ, & speciei, ob earum affinitatē cum genere, ideo istas non expresit.

Dices 5. Idem Aristoteles dixit, Quæ communitatem habēt, aut esse analoga, aut genera, aut species, sed universale debet habere communitatem, ergo universalia vel sunt analoga, vel genera, vel species; atque adeo differentia, proprium, & accidens, non erunt universalia. Respondeo. Aristotelem ibi solum enumerase prædicabilia in quid, quia in modo prædicandi sunt reliquis præstantiora. 1. *de partib. animalium, cap. 5.*

Dices 6. Species complectitur genus, & differentiam; vel ergo genus, & differentia continentur sub specie, vel species non differt ab illis duobus. Nego cōsequentiam: licet enim genus, & differentia speciem componant, habent tamen modos prædicandi, & essendi in multis proprios, & ab specie diversos.

Dices 7. Cum Hurtado: Proprium, & accidens efferūtur extra essentiam, & solum differūt, quia illud necessario cum subiecto cōnectitur, istud vero non: sed huiusmodi diversitas est accidentalis, ergo non distinguntur specie. Confirmatur: quia magis discriminantur inter se proprium, quod realiter ab essentia differt, & propriū, quod est idem realiter cum essentia, quam ista duo accidentia, quorum unum est necessario connexū cum subiecto, & aliud non: sed illa non distinguntur specie in ratione prædicabilis, ergo neque ista. Respondeo negando minorem. Ad confirmationem nego maiorem *Disp. 7. Logica, sect. 2.*

iorem : nũ illa duo propria memorata eodem modo enuntiantur de essentia, nimirum ut attributum extra illam necessario cum ea connexum: at vero proprium, & accidens contingenter diverso modo: nam illud prædicatur extra essentiã necessario, istud vero extra essentiam omnino contingenter.

DVBIVM IX.

Vnde sumantur genus, & differentia.

Dico. Genus (loquendo proprie, & in rigore) non sumitur à materia, & differentia à forma, sed à tota entitate speciei diversimode accepta. Probatur: nam in Angelis, & accidentibus reperiuntur vera genera, & verę differentiæ, & tamen in eis nec materia, nec forma reperitur; ergo genus non sumitur à materia, & differẽtia à forma.

Dices. In eis genus sumi ab eo, quod est quasi materia, scilicet ab essentia; differentia vero ab eo, quod est quasi forma, nempe ab existentia. Sed contra, quia in primis iam saltem in aliquibus rebus genus non desumitur à materia, & differẽtia à forma. Secundo falsum est, essentiam, & exsistentiam ex natura rei distingui, atque adeo dari compositionem realem ex eis, quod responsio supponit. Demum licet talis cõpositio daretur, non posset sumi differentia ab exsistentia; tum quia differentia est de essentia Angeli, & accidentis; exsistentia vero non, cum in omnium sententia cõtingenter conveniat rei, sed essẽtia metaphysica nequit desumi ab eo, quod nõ est de essentia rei; ergo in rebus memoratis, differentia non potest sumi ab exsistentia; tum etiam quia si nullus exsisteret Angelus, si tamen esset possibilis haberet verum genus, & differẽtiam.

Secundo, probatur etiam in compositis materialibus: nam materia nullo modo est sufficiẽs principium in homine, unde sumatur animal: quia animal in suo conceptu essentiali includit esse sentiens, & tamen sola materia nequit tribuere homini esse sentiens; imo hoc provenit præcipue à forma, scilicet ab anima. Quod ex eo confirmatur: quia in rebus inanimatis, v. g. in ligno, lapide, &c. reperitur materia, & tamen non reperitur gradus viventis, vel animalis; tum etiam quia gradus animalis est physice completus, & materia est physice incompleta; ergo à sola materia non potest sumi in homine gradus animalis.

Deinde rationale nõ sumitur à sola anima rationali, quia rationale est physice completum, & anima rationalis physice incompleta: qua de causa quando anima est separata à materia, non datur ibi rationale, quod est differentia hominis, sicut nec datur homo; ergo à sola anima rationali nequit sumi rationale: sumuntur ergo genus, & differentia à tota rei essentia, & natura, licet diversimode: nam genus sumitur à tota entitate sub gradu superiori, & imperfecto considerata, & perfectibili per alium gradũ perfectiorem; differentia vero sumitur ab eadem entitate, ut perfecta, & actuata.

Dixi, notanter prōprie, & rigorose: nam per proportionem aliquam, & analogiam dici potest, differentiam sumi à forma, & genus à materia, in quantum assimilantur materiæ, & formæ: nam sicut materia est potentia determinabilis per formam, ita genus est potentia metaphysica determinabilis per differētiam: quod solū voluerunt D. Thom. Aristot. & Porphyr. quando dixerunt, Genus sumi à materia, & differentia à forma.

D.T. 2.cōr. Gen. cap. 95. Aristotel. 8 Met. cap. 2. & aliis in loc. Porphyr. cap. 3. & 7.

DVB. VLTIMVM.

De prædicationibus concretorum, & abstractorum.

DIscitanda hæc quęstio quippe necessaria prædicamentorum notitiæ, & veluti basis totius structuræ Catégoristicæ, tum & apparatur ad libros Prioristicos, & Posterioristicos, ubi iterum incidet sermo, nunc hæc sufficiant pro Tyronum captu.

Apparatur dubium.

PRæmoneo primo. Prædicationem solum esse secundam mentis operationem; estque essentialiter affirmatio unius de alio, ut Petrus est homo. Vnde enuntiatio negativa prædicatio rigorosa non est. Secundo, duplex est prædicatio. Idemptica altera, in qua idem de seipso effertur, ut Petrus est Petrus. Altera formalis, in qua prædicatū, & subiectum sunt idem secundum rem; quia tamen penes diversa connotata, vel iuxta modum concipiendi diversum differunt, prædicatum formaliter non includitur in subiecto, ut homo est animal, & homo est animal rationale.

Tertio. Prædicatio formalis subdividitur in directam, & in indirectā. Directa est, quæ enuntiat superius de inferiori, æquale de æquali per modum formę, vel in qua, illęso naturæ ordine, prædicatur, & subiicitur, quod subiici, & prædicari natum est, ut Homo est animal, homo est rationalis. Indirecta est, quæ hūc ordinem invertit, ut ista, Animal est homo, rationale est homo. Inde directa naturalis appellatur indirecta præternaturalis.

Quarto. Prædicatio directa bimembris est. Simplex, ut Homo est animal. Complexa, ut Homo est animal rationale. Iterum, universalis, ut Petrus est animal; singularis, ut Petrus est hoc animal; univoca, in qua prædicatū univoce convenit subiecto, ut Homo est substantia. Ad hanc spectant prædicationes quinque prædicabilium. Analoga tandē, in qua prædicatum per analogiam competit subiecto, ut in ista, Pratum ridet.

Vnde colligo, universale prędicari de suis inferioribus directe, & in sensu formali, quia est in illis, & quod in alio est, de illo in quo est enuntiatur.

Obiectabis. Animal respectu hominis, est universale: atqui non dicitur de illo directe, & formaliter; ergo universale in sensu formali, non dicitur de inferioribus. Minor suadetur quia id dicitur directe, & formaliter de alio, quod in illo ut forma est, sed animal non est in homine ut forma, sed ut materia, cum

sit

sit pars genetica metaphysica, ergo non dicitur de homine directe, & formaliter. Respondeo negando primam minorem. Ad eius probationem distingue minorem. Animal non est in homine ut forma, id est, Homo non claudit essentialiter animal. Nego minorem. Non est in homine ut forma, si accipias respectu differentiæ, certum quidem est, quia differentia in suo conceptu non claudit genus.

Quando concreta de concretis efferantur.

VT dictum sæpe, terminus duplex est. Abstractus, qui est sola forma sine inhærentia, ut albedo. Concretus, qui est forma cũ inhærentia ad subiectum, ut album.

D. Tho. 1. p. q. 13. art. 11. & 3. parte, quæst. 16. art. 1. Suarez tom. 1. 3. part. disp. 35. sect. 1. Noster Blanch sect. 17. disput. 2. universal. & plures alii.

Sit conclusio. Vt concreta invicem prædicentur, satis est in eodem subiecto, vel supposito reperiri. Sic, quia Deus & homo in uno supposito Christo reperiuntur, optime dicitur, Deus est homo. Sic etiam, quia risibile, & admirativum in uno subiecto, quod est homo, insunt: valet, risibile est admirativum. Idẽ ferto iudicium de concretis accidentalibus, ut album est dulce.

Liquet ex dictis, Concretum superius vere prædicari de inferiori, ut Homo est animal, Petrus est homo. Idem tenet in concreto æquali, ut Homo est rationalis, risibile, est flebile. Addo, concretum inferius si se habeat per modum formæ, quale sunt differentiæ in concreto acceptæ de superiori formaliter, & directe enuntiantur, ut animal est rationale. Recole quæ dixi de differentia. Ex defectu huius regulæ, hæc est indirecta, Animal est homo, quia homo non se gerit ut formam animalis.

Secundo constat, eandem regulam applicandam esse ad concreta rationis, quæ realibus aptata est, ut genus est universale. Vniversum est genus, & species est accidens. Accidens est species: quia in eodem albo reperitur esse speciem ad hoc, & illud album, & esse accidens respectu nivis, & papyri.

Tertio denique deducitur, Cõcretum rationis formaliter, & directe efferri de concreto reali, sicut concretum accidentale de substantiali directe dicitur. Exemplum primi est, Animal est genus, Homo est species. Exemplum secundi, Homo est albus.

An concretum de abstracto, & abstractum de cõcreto formaliter enuntiari valeat.

PRO prima parte tituli dico primo. Concreta non patiuntur prædicari de propriis abstractis. Suadetur conclusio, quia concretum substantiale, verbi gratia, Homo, aliquid includit formaliter, scilicet substantiã, quam non continet abstractum eius, quod est humanitas, ergo concretum substantiale nequit, de proprio abstracto enuntiari. Vnde non valet, Humanitas est homo. Confirmatur conclusio.

cluſio. Totũ nequit dici de parte, ſed concretum eſt totum, abſtractum eſt pars, ergo, &c.

Dico ſecundo. Concretũ prædicari poſſe de abſtracto alieno. Patet concluſio, Inductione facta: ut Humanitas eſt riſibilis, eſt rationalis; Albedo eſt ſimilis; Quantitas eſt æqualis; Scientia eſt evidens; & ſic in aliis pene innumeris, quæ, ne prolixior ſim, omitto. Ratio huius eſt, quia in iis prædicationibus, Abſtractum eſt ſubiectum formæ, ſignificatæ per concretum: omnis autem forma recte dicitur de ſubiecto.

Dices 1. Hæc eſt legitima prædicatio, Subiectum habens ſcientiam, & fidem eſt evidens, & obſcurum; ergo hæc concreta evidens, & obſcurũ nequeunt prædicari de abſtractis, nempe ſcientia, & fide. Non me latet ab aliquibus negari antecedens, ſed ſine momento, niſi velint formam communicari ſubiecto, & non illi reddere effectum formalem. Reſpondeo ergo negando conſequentiam: quia obſcurum, quod prædicatur de fide, inhæret in ipſa fide, ſine connotatione ſubiecti: at vero obſcurum, quod dicitur de ſubiecto, dicit & obſcuritatem, & fidem ſubiecto inhærentem, & ſic prædicatum diſtinctum eſt.

Dices ſecundo. Hæ ſunt veræ enuntiationes, Entitas eſt ens; Exiſtentia eſt exiſtens, Quantitas eſt quanta; ergo concreta dicuntur de ſuis abſtractis. Reſpondeo, primam eſſe idemptitam: nam entitas, & ens ſola voce differunt. Quid enim dicit entitas niſi eſſe? Secunda falſa eſt formaliter: nam exiſtens dicit eſſentiam, quam non dicit exiſtentia. Tertia item falſa eſt, ſi nomine quanti intelligamus habens quantitatem: nam ſic includit etiam ſubiectum; ſi vero ſupponat pro extenſo, reddet hũc ſenſum, Quantitas eſt extenſa, & eſt veriſſima.

Dices tertio. Hæc eſt vera, Vniverſalitas eſt univerſalis, ergo iam concretum prædicatur de ſuo abſtracto. Reſpõdeo, Hoc concretum, quod dicitur de univerſalitate, eſſe alienum adveniens univerſalitati, & denominans illam notione aliqua accidentaria illi, ſic univerſalitas ad omnes univerſalitates eſt univerſalis univerſalitate generica.

Vnde collige concreta rationis prædicari de abſtractis realibus, ut Animalitas eſt genus, Albedo eſt ſpecies. De propriis autem abſtractis enuntiari renuunt. Vnde hæ ſunt falſæ, Generalitas eſt genus, Specialitas eſt ſpecies.

Ad ſecũdam partem quæſtionis breuius ſatisfacio, negando abſtractum ſive reale, ſive rationis de concreto prædicari: quia, ut ſupra inſinuavi, prædicatũ debet includere aliquo pacto quod ſubiectum dicit: atqui abſtractum, v.g. humanitas non dicit id omne, quod ſubiectum continet, quod eſt homo, cum addat ſubſiſtentiam; ergo nequit de illo dici.

Solum adverte, ad Theologiam in divinis ob idemptitatem, abſtractum de concreto prædicari, ut Deus eſt Deitas, Deus eſt ſapientia. Sed hoc alterius inſtituti eſt.

Occurres. Hæc eſt ſana prædicatio: Species eſt notio ſecunda; ergo notio, quæ eſt quid abſtractum,

ctum, iam prædicatur de ſpecie, quæ eſt quid concretũ. Reſpondeo, eſſe prædicationem abſtracti de abſtracto, quia in ea ſumitur ſpecies pro ſpecietate, ſin minus falſa eſt. Sicut iſtam, Album eſt accidens, niſi accidens ſupponat pro concreto, ſimiliter falſam ducimus.

Num abſtracta de abſtractis enuntientur.

SErmo eſt de abſtractis metaphyſicis, quaternario numero contentis. In primis: An genericum de ſpecifico dicatur: ut Humanitas eſt animalitas. Secundum, An genericum de differentiali, ut Rationalitas eſt animalitas. Tertium, An differẽtiale de ſpecifico, ut Humanitas eſt rationalitas. Quartum, An differentiale de generico, ut Animalitas eſt rationalitas.

Admittunt has prædicationes Sotus, Mercatus, Oña, Hurtadus, & Neoterici communiter, quamvis hi, præter vnum, aut alterum averſentur prædicationẽ abſtracti differẽtialis de ſpecie. Stabilitur hæc opinio in univerſum. Primo, quia humanitas eſt principium ſentiendi, ſed animalitas eſt principiũ ſentiendi, ergo humanitas formaliter eſt animalitas: & idem argumentum conficitur de rationalitate. Secundo, ab humanitate, & æquitate præſcindi poteſt ratio animalitatis, ergo poterit de illis prædicari.

Sotus q. 3. n. 1 univerſ. Mercatus cap de genere, fol. 11. colum. 2. Oña q. 3. artic. 3. Hurtadus diſp. 3. ſection. 3. & Neoterici cõmuniter.

Scotus, Canarien. Rubius, & alii, damnant prædicationes abſtracti ſubſtantialis generici de ſpecifico in ſenſu formali: quia abſtracta ſolum ſignificant ſuas rationes formales, ut præciſas, & ut diſtinctas: v. g. animalitas ſolum dicit conſtitutivum animalis ut ſic, & ideo non poteſt enuntiari de humanitate, quam non includit. Suarez veras cenſet dictas prædicationes, ſed illas aliquantulum limitat; ait enim utendum eſſe aliqua diſtinctione, quia abſtracta frequenter ſumuntur non ſolum ut præciſa à concretis, ſed etiam à continẽtia eminentiali inferiorum; qua ratione nequeunt de illis prædicari.

Scotus in 1. d. 8. quæſt. 1. Canarien. de Trinitat. q. 2. Rubius hic, & alii.

His præiactis ſententiis, cenſeo primo. In prædicatione habente ſenſum realẽ, poſſunt abſtracta ſubſtantialium generum, aut ſpecierum, & differentiarum de inferioribus prædicari. Probatur: quia iſtæ formalitates abſtractæ ſunt idem realiter cum inferioribus. Vnde ſenſus huius propoſitionis eſt: Humanitas eſt animalitas, vel rationalitas. Humanitas eſt idem realiter cum animalitate, aut rationalitate, qui verum habet. Hanc concluſionem probat prima ſententia.

Diſp. 9 Metaph. ſectio. 10. num. 4.

Cenſeo ſecundo cum Soario. In prædicatione habẽte ſenſum formalem nequeunt abſtractum differentiæ de abſtracto generis, neque è contra, abſtractum generis de abſtracto differentiæ enũtiari. Liquet prima pars, quia differentia ſolum poteſt prædicari de genere in quale, & per modum alteri adiacentis: non vero in quid, & per modum per ſe ſtantis; ergo non poteſt in abſtracto prædicari, ſed in concreto. Secunda pars oſtenditur. Gradus genericus non includit formaliter differentiã, nec illi concipitur adiacere; quod requiritur ad prædicationem unius de alio.

Censeo tertio. Abstracta genetica possunt prædicari formaliter de specificis, ita ut hæc sit vera enũciatio, Humanitas est animalitas. Prob. hæc conclusio argum. 1. senten. nam quævis ratio abstracta prædicatur de inferioribus, à quibus abstrahitur, ut patet in omnibus: sed humanitas, & equinitas conveniunt in animalitate, ergo hæc de illis prædicabitur. Minor probatur, quia humanitas nihil est aliud, quam animalitas, & rationalitas unitæ, ergo includit in se animalitatem, quam etiã includit equinitas, ergo utraque conveniunt in ratione, quam claudunt. Nec opus est limitatione Suarez, cũ absolute superius de quovis inferiori, in quo est dici valeat, quia tunc concipitur à nobis nõ solum secundum suam formalitatem expresse concepeam, sed etiam ut potentialiter, & implicite inferiora continétem: ut patet in animali, quod absolute prędicatur de homine, licet quod clare, & expresse dicit, homo nõ sit, sed sentiens, quia tamen potentialiter, & confuse inferiora complectitur, ideo de illis enuntiatur.

Ita Recẽtes cum Fonseca 1. Metaphy. cap. 18. q. 13. sect. 4.

Quod si aliquis cõtendat, abstracta non esse vsurpanda ut tota quædam potẽtialia inferiora concludentia, sed sua tãtum attributa significantia in re, cum illo consentiemus, nam tunc nõ est vera prædicatio: nam animalitas formaliter nõ est humanitas formaliter, cum aliquid aliud claudat humanitas: verũ in hoc, quod contendit, plene fallitur, vt dictum in conclusione.

Adverte tamẽ, quod supra attigi, licet abstractum, quod est pars, nequeat prædicari de suo concreto, posse tamẽ de suis inferioribus, respectu quorum est quoddam potentiale, & confusum. Elucidatur exemplo: Animalitas non dicitur de suo concreto, quod est animal; bene vero de suo inferiori, quod est humanitas.

Dices. Ergo hęc erit vera prędicatio, Humanitas est rationalitas, quia sicut animalitas est pars humanitatis, ita & rationalitas. Verum sæpissime inculcatum est, differentiam prædicari in quale, & adiacenter alteri, & ita in concreto debet enuntiari: ideoque prædicatio in quale est adiectiva. At genus, quale est animalitas, prædicatur in quid, & per se stanter, & potentialiter, & ideo in abstracto prædicatur. Idemq. dictum volo de abstractis accidentariis: v.g. non dicimus, albedo est disgregatio visus, sed disgregans visum.

Tota hæc doctrina ampliãda est vniformiter ad abstracta rationis respectu abstractorum realium, & rationis: inde animalitas est genereitas, falso dicitur. Hæc satis sint monuisse.

(:)

TRA-

TRACTATVS TERTIVS.

De Anteprædicamentis, Prædicamentis, & Postprædicamentis.

DE AVTHORE.

AVTHOR huius libri Aristoteles Stagirita, natione Macedo, cuius vitam exponere non est mei instituti, Consule Chronicos; hoc enim esset avide in alienas messes mittere falces, reclamantibus undique maioribus, quos sector. Certo scias huius extitisse libri Authorem, quem styli brevitas, & subtilitas, & plenus Philosophorum cœtus uno ore testantur.

DE INSCRIPTIONE.

APPELLATVR hic Tractatus, Categoriæ, quod nomen enuntiationem sonat à verbo Græco, quod idem est, ac prædico. Cum autem prædicata in his lineis ideo disponantur, ut iuxta naturæ ordinem superiora de inferioribus efferantur; iure integro, hæ classes, Categoriæ Græca appellatione designantur, & Latina, Prædicamenta, quam illis omnium primus videtur imposuisse Boetius.

DE OBIECTO.

OBIECTVM sunt naturæ, quæ ita ad ordinem revocantur, ut prædicari, & subdi possint: & licet ordo Prædicatorum à ratione deriveturi non existimes incaute ens rationis esse; sed denominationem extrinsecam, ab intellectu ita præscindente, dividente, & ordinante depromptam.

DE FINE.

FINIS est, disponere materiam, circa quam versentur actus mentis, quos Logica à se regulandos assumit. Vnde hic Tractatus Logicos limites non irrumpit, cum discursui regulando multis modis inserviat; licet etiam ad Metaphysicos tractatus divertat, quatenus essentias naturarum prædicamentalium solicite indagat.

DE ORDINATIONE huius Tractatus.

ORDINATVR hic Tractatus per novem Disputationes. In prima, Anteprædicamenta enucleabo. In secunda, Prędicamenta in communi, & divisionem entis in decem prędicamēta. In tertia, Prędicamentum substantiæ. In quarta, Accidens in cōmuni. In quinta, Quantitatem tam continuam, quam discretam. In sexta, Relationem. In septima, Qualitatem. In octava, Sex ultima Prædicamenta. In ultima, Postprædicamenta exponenda suscipiam.

CAPVT PRIMVM.

De Aequivocis, Vnivocis, & Denominatiuis.

SVMMA CAPITIS.

IN hoc Cap. tres clauduntur definitiones, & ideo in tres partes partiri potest. Prima est Aequivocorum. Aequivoca sunt, quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ nomini accommodata diversa; hoc est, quæ nomine, & voce conveniunt; conceptu autem, & essentia disconveniunt. Secunda est, Vnivoca sunt, quorum nomen est commune, ratio substantiæ nomini aptata eadem; id est, quæ nomine, & essentia conveniunt. Tertia, Denominativa sunt, quæ ab aliquo nominis appellationem habent solo differentia casu, hoc est, quæ tribuunt subiecto appellationem alicuius formæ.

COMMENTARIVS.

Aequivoca dicuntur, &c. Vt viâ Philosophus, ad Prædicamenta muniat, Aequivoca, Vnivoca, & Denominativa explicat: Prædicamenta namque trifariam possunt comparari, vt recte advertit Albertus. Primo, ad ipsum ens, cuius membra dividentia sunt. Secundo, unumquodque ad sua inferiora. Tertio, primum prædicamentum ad novem sequentia, vel novem ad ipsum primum, quod est substantia. Si ergo ad ens comparentur, æquivocationem quandam habent: si vero singula ad sua inferiora comparentur, univoce de illis enuntiantur. Demū si novē prædicamenta ad primum comparentur, omnia denominative de eo dicuntur.

Tract. 5. cap. 1.

Nota

Nota præterea, Aequivoca (idem habe de denominativis, & univocis) alia esse æquivocata, alia æquivocantia. Hæc sunt vocabula significantia. Illa res significate per voces, priora definit hic Philosophus. Definiuntur æquivoca in plurali, quia sine multitudine non potest esse æquivocatio.

Quorum nomen, &c. Boetius nomen extendit ad verba, & participia, & ad alias orationis partes, sicut eãdem significationem accepit Aristoteles.

Initio 1. lib. Elenchorũ, & sæpe alibi.

Adverte (*solum*) non repellere omnem conuenientiãnam Gallus, qui est æquivocum nomen, in æquivocatis non renuit aliquam conueniẽtiam: solumque illa accipit tanquam æquivocata, iuxta ea, quibus differunt, & disconveniunt.

Ratio substantiæ, Græce, & significat conceptum mentalem, & obiectivũ. Substantia hic non sibi vult pro prædicamẽtali, sed quatenus natura est, ut sæpe à Philosophis appellatur, ut vox Græca magis exprimit quam Latina ob penuriam vocis. Teste Fabio, Boetio, Macrobio.

Nomini accommodata, &c. Vult hoc, nullam dari naturam communem, in qua cõveniant æquivoca, illo vocabulo æquivocante significata; licet alio nomine in eadem natura communicent, ut canis ad cœlestem, & terrenũ in ratione substantiæ, &c. Vnde res æquivocę habent idem vocabulum externum cum diversitate essentiarum.

Vnivoca ea dicuntur, &c. Vnivocorum definitio ex his, quæ in æquivocorum definitione dicta sunt, est facilis, eodem enim tenore verba procedunt. Quare ea univoca dicuntur, quæ non solum in nomine, sed etiam in ratione, per nomen significata, conveniunt, ut Petrus, & Paulus cõparatione hominis, ex quo patet discrimen inter æquivoca, & univoca.

Denominativa, &c. Hæc, ut notat Damascenus, sunt media inter æquivoca, & univoca. In quovis univocato tria sunt considerãda. Formam, quę denominat, ut nigredo. Secundo, subiectum, quod afficit, ut corvum. Tertio, concretum, quod resultat ex utroque. Vnde forma denominans nigredo est denominativum nigrum, quod vocant, denominativum denominans, Corvus denominativum denominatum.

In sua Logica, cap. 31. Simplicius hic,

Tria sunt genera denominatiorum, quæda derivantur à forma, & re, & non voce, ut studiosus à virtute, ubi idem significatur diversis vocibus. Alia voce, & non re, ut officiosus ab officio: nam vox fere eadem, res penitus diversa. Alia denique derivantur voce, & re, ut Rhetoricus à Rhetorica: & hæc sunt potiora denominativa, & à Dialecticis sæpius usurpantur.

CAPVT SECVNDVM.

De Complexis, & Incomplexis.

SVMMA CAPITIS.

DVAS continet partes hoc Cap. Prima est, in qua duæ diuisiones traduntur. In secunda, vna definitio proponitur. Prima diuisio est eorum, quæ significãt, in ea quæ complexe, & quæ incomplexe significant. Secunda, diuisio rerum incomplexarum, & prædicamentalium habet quatuor membra: eorum quæ sunt, quædam de subiecto dicuntur, & in eo non sunt ut conceptus universales. Quædam in subiecto sunt, de subiecto autem non dicuntur, ut accidens singulare. Alia in subiecto sunt, & de subiecto enuntiãtur. Alia denique, ut accidens, nec sunt, nec enuntiantur de subiecto, ut substantiæ singulares. In secunda parte definiuntur quæ sunt in subiecto. Id in subiecto esse dico, quod est in aliquo, non ut pars, nec fieri potest, ut sit ab eo seiunctum.

EXPLANATVR Textus.

Eorum quæ dicuntur, &c. Insinuat Aristoteles, quędam de prædicamentis, nunc quædam excludit, quædam admittit ad seriem Categoristicã. In rebus significatis per voces, ait, sua complexio, & simplicitas reperitur, vocumque simplicitas à rebus significatis desumenda est: quod colligitur ex cap. 4. huius libri, ut notat Boetius, & Simplicius.

Alia cum complexione, &c. Dialecticus tantum agit de vocibus, ut signa sunt: nam ut soni, & qualitates ad Physicum spectãt; sic ergo Dialecticus earum complexionem, vel simplicitatem ex earum significatis desumere debet. Vnde vox simplex erit, quæ significat rem simplicem, complexaque complexam denotat, vel quæ multiplex habet significatum. Hæc doctrina de vocibus aptanda est conceptibus mentalibus.

Eorum quæ sunt, &c. Enumerat etiam res simplices, & prædicamentales, & diuisionem entis in substantiam, & accidẽs insinuat, ut notat Caietanus, & Sotus, de qua postea disseremus. Rerũ prędicamentalium naturas enumerat, cum ait, quædam esse in subiecto, quædã non. Hæc sunt substantia, & accidens. Conditiones etiam

etiam ponit, quædã dici de subiecto, id est, universalia, quædam non dici, id est, singularia.

Alia de subiecto dicunt, &c. Hic dici de subiecto, ut mox dicebam, est prædicari de inferioribus, vt volunt interpretes Aristotelis, Toletus, Sotus, &c. & sumitur ex eodem Aristotele, dum ait: Naturam universalem sive substantiam de subiecto dici, singularem neutiquã de subiecto prædicari. Nota, rem singularẽ posse prædicari de subiecto, in quo est; non tamen ut de inferiori subiecto.

Atque id in subiecto esse, &c. Explicat quid sit esse in subiecto, & asserit id esse proprie in subiecto, quod est in alio, non ut pars eius, ab eo tamẽ separatum existere non potest, qualiter candor in lacte. Sed hæc definitio suas patitur difficultates: sed cum grano salis potest sane intelligi, si illud existere separatum, non significet separari non posse: nam candor bene potest sine lacte esse, sed existere non posse permanendo toto, quod cum subiecto conflat,

CAPVT TERTIVM.

De Regulis.

SVMMA CAPITIS.

IN hoc Cap. manuducit Aristoteles intellectum ad notitiam eorũ, quæ collocãtur in prædicamentis, duplici proposita regula: quod patebit ex declaratione textus.

TEXTVS exponitur.

CVM quipiã de quopiam, &c. Exponere aggreditur Philosophus, quæ de subiecto dicuntur, posita duplici regula. Prima est, quando quipiam de quopiam prædicatur, ut de subiecto, quæ dicuntur de prædicato, dicuntur etiam de subiecto. Simplicius, & Boetius limitant hanc regulam ad prædicata essentialia, & in quid. Sic, quia animal prædicatur essentialiter de homine, quod dicitur de animali dicitur de homine: de animali dicitur, quod sit substantia corporea animata, sentiens; hæc omnia efferuntur de homine. Placet limitatio, & ex Aristotele illam colligo, quia de ea prædicatione nunc agit, de qua superiori egerat capite, sed capite superiori egerat de prædicatione superioris de inferiori, quæ est in quid, ergo, &c.

Ego certe non renuerem dilatare hanc regulam ad omne prædicatum sive essentiale, sive accidentale: nam album prædicatur accidentaliter de homine, & coloratum essentialiter affirmatur de albo, & dicitur accidentaliter de homine. Sed moderandum

dum hoc est, nam album prædicatur accidentaliter de homine, & coloratum essentialiter de albo, non tamen prædicatur in quid de homine.

Triplex ergo adhibenda moderatio est, cum hæc secúda expositio sit vera. Prima, ut quod affirmatur de prædicato, dicatur universe de toto. Sic non valet, Homo est animal, animal est irrationale, ergo est irrationalis, quia irrationale non dicitur de toto animali. Secunda, ut non habeat maiorem cum subiecto connexionem. Vnde non valet, Genus essentialiter est universale, universale accidentaliter est genus, ergo genus accidentaliter est genus. Tertia, ut non varietur suppositio, seu ut non dicatur de prædicato, ut à subiecto distinguitur, sic non valet, Albũ prædicatur accidentaliter de homine, coloratum prædicatur essentialiter de albo, ergo coloratum prædicatur essentialiter de homine.

Eorum quæ sunt, &c. Hic agit de iis, quæ genere distãt, tribus modis differũt genere. Pri. proprie, quæ in diversis prædicamentis collocãtur, ut substantia, & qualitas. Secundo, cum in eodẽ collocantur, vnum tamen non est sub alio, ut animal, & planta. 3. quando in eodem prædicamento sunt, & unum sub alio collocatur, ut animal, & vivens, quorum posterius in priori continetur.

Hoc posito, explicatur dictum Philosophi, quando genera non sunt subalternatim posita, eorũ differentiæ diversæ sunt: quando vero subalternatim ponũtur, nihil prohibet esse differentias. Hoc est genera primo modo diversa, diversas habẽt natura differentias; ea vero, quorum alterum sub alio collocatur, vel ambo sub uno tertio nihil obstat, quo minus eędem sint differentiæ, sic in animali cõtinetur differentia corporis, &c.

Nota tamẽ (quod notavit Simplicius, & Ammonius) quæ in diversis Categoriis existunt aliquando sortiri easdem differentias non natura, sed nomine, ut patet in corpore de prædicamento substantiæ, & in corpore de prædicamento qualitatis, quæ habent differentias natura diversas. Ratio huius sumitur ex 1. Metaphysice, tex. 43. quia quãdo genera sunt diversa, differentiæ sunt extraneę, sicut quando unum est genus, non dividitur per differentias extraneas.

DISPVTATIO PRIMA.

De Antepræd icamentis.

IN antecedentibus disp. in longum disseruimus de 5. Porphyrianis vocibus, ordo doctrinę, nunc iam iure suo exagitat, ut ad Antepræd icamenta gradum faciamus, cum hæc universaliores conceptus contineant, quã ipsamet Prædicamenta, quæ statim post ista in seriem redigenda sunt, prout fieri fas erit.

DVBIVM

DVBIVM I.

An æquivoca Aristot. probe definierit.

ADverte primo. Aequivoca bifariam sumi posse. Primo materialiter pro rebus, quę æquivocę dicuntur, nimirũ pro cane marino, cœlesti, & domestico. Secundo, formaliter pro ratione formali æquivocorum, nempe pro hoc, quod est habere dumtaxat nomen cõmune: æquivoca enim per hoc constituuntur formaliter sicut univoca, per hoc quod est habere non solum nomen commune, sed etiam rationem.

Adverte secundo. Dari æquivocum æquivocans, & æquivoca æquivocata, illud est nomen, in quo res, quæ æquivocantur, conveniunt, ut nomen canis, in quod canis marinus, cœlestis, & domesticus coëunt: ista vero sũt res illæ, quæ in illo nomine conveniunt, ut canis marinus, cœlestis, & domesticus in ordine ad idem nomen canis. Aequivocum æquivocans dicitur æquivocum in significando, æquivoca vero æquivocata vocantur æquivoca in essendo.

Assertio 1. Aequivoca recte definiuntur ab Aristotele: Sunt ea, quorum nomen est commune, ratio vero substantiæ tali nomini accõmodata diversa. Patet, quia ex eo differũt æquivoca ab univocis, quia illa solum habent nomen commune: hæc vero etiam rationem per nomẽ denotatam.

Assertio 2. Hic definita sunt æquivoca æquivocata in ordine ad idem nomen. Prima pars probatur ex cõtextu Aristotelis, qui sic definit: Aequivoca sunt, quorum nomen est cõmune; sed res sunt, quæ habent nomen commune, ergo ipsę definiuntur. Secunda pars liquet, nam res in se non sunt æquivocę, nisi quatenus idem nomẽ plura potest significare, sine ulla inter se similitudine, ergo hic definiuntur æquivoca æquivocata in ordine ad idem nomen.

Arguis 1. Hæc definitio caret genere, ergo non est genuina. Nego antecedens, & ratio apparet, quia in hac, & aliis duabus definitionibus hoc capite traditis ab Aristotele, relativum illud, quorũ aliquid respicit, nempe entia, vel res, quod est genus, ut sensus sit: Aequivoca sunt entia, quorum nomen, &c.

Arguis 2. Aequivocatio non reperitur solum in rebus, sed etiam in vocibus; imo in iis præcipue, nam res non dicũtur æquivocę, nisi ratione vocum, ergo male Aristoteles solas definivit res æquivocas. Respondeo, Aristotelem definiisse tantum res æquivocas, quia ex modo eas definiendi quivis deducet diffinitionem vocis æquivocę. Si enim æquivoca dicuntur esse, quorum nomen est unum, ratio significata diversa, quis non cognoscet vocem æquivocam esse, quæ una cum sit, plura significat.

Arguis 3. Aequivoca æquivocata sunt plura inter se diversa, ergo non possunt unica definitione aperiri. Probatur ex Aristotele, negante homonyma, seu æquivoca posse definiri. Respondeo: Aequivoca materialiter sũpra, & secundum suas proprias essentias, & rationes omnino diversas, quas differunt, non posse vnica definitione exponi, ut re-

6. Topicorũ, capite 5.

recte probat argumentum, & testimonium Aristotelis: bene tamen posse si expectentur, quatenus conveniunt in solo nomine, & in ratione habendi rationes diversas: iuxta hanc enim conveniet iam recte exponi possunt unica definitione.

Instabis. Aequivoca possunt unica definitione explicari, ergo omnia æquivoca, præter nomen commune, habent etiam unam definitionem, & rationem communé, & ita erunt univoca. Respondeo: Aequivoca materialiter, & in particulari nō esse univoca, quia nullam habent rationem communem; bene vero formaliter, & quatenus conveniūt in ratione communi æquivoci, quæ accidentaliter est univoca in ordine ad hoc, & illud æquivocum; sicut genus accidentaliter est species in ordine ad hoc, & illud genus.

Arguis 4. Nomen æquivocum significat plura ut plura, ergo nō est unum & idē, sed multiplex: atque adeo non recte Aristoteles dixit, æquivoca habere idem nomen. Probatur consequētia, nam significatio est forma constituēs nomen, ergo ubi sunt plures significationes, plura sunt nomina. Respondeo: In nomine duo reperiri, & materiā, & formam. Materia est sonus ipse ore prolatus, forma vero ipsa significatio. Hæc igitur multiplex est in nomine æquivoco, quia tamen materia est una, & eadem, non multiplicatur tale nomen. Ratio est, quia ut docent omnes Philosophi, nomina concreta accidentalia non multiplicantur ad formæ multiplicationem, nisi subiectum pariter multiplicetur: quare licet unus homo pluribus artibus sit instructus, non dicitur plures artifices, sed unus tātum artifex: & licet Deus a multis actibus intellectus, & voluntatis nostrę cognoscatur, & ametur, non dicitur multa obiecta, sed unum cognitum, & amatum; ita quamvis unum nomen plures habeat significationes, quia materia est una, tantum dicitur nomen unum.

Collige tandem, æquivoca eatenus esse æquivoca, quatenus in ratione significata distant; licet in alia ratione ut univocata cōveniant, ut patet in cane cœlesti, & marino, qui univoce conveniunt in ratione substantiæ.

DVBIVM II.

Quot sint species æquivocorum, & an in conceptibus, & vocibus inveniantur æquivoca.

CIrca primum, æquivoca alia sunt à casu, alia à consilio. A casu sunt, quibus mere fortuite idem inditum nomen est, diversas notans significationes, ut gallus ad hominem, & avem, & canis ad cœlestem, domesticum, & marinum. A consilio, quibus aliqua ratione, vel causa impositum est nomen. Et ex his quædam sunt proportionis, & similitudinis, ut oculus respectu oculi corporei, & intellectus, & homo ad vivum, & pictum. Alia sunt, quorum uni forma inest intrinsece, aliis vero extrinsece, & cum respectu ad illud; sic animal, medicamentum, & cibus sunt æquivoca sub nomine sani, quia sanitas inest animali

malí intrinſece, & extrinſece medicamento, & cibo, quæ ſana dicuntur propter reſpectum, & attributionem ad ſanitatem animalis, quam efficiunt. Alia propter memoriam, ut quando alicui imponitur nomen avi propter illius memoriam. Alia propter ſpem, ut cum quis imponit puero nomen Fráciſci, quia ſperat fore imitaturũ divum Franciſcum.

Circa ſecundum dicendũ primo. In vocibus dantur æquivoca æquivocantia, quia dátur multæ voces ſignificantes plura, ſub ratione omnino diverſa, ut vox gallus ad hominem, & avem, & vox canis ad cœleſtem, domeſticum, & marinum canem.

Dicendum ſecundo. In vocibus non dantur æquivoca æquivocata, poſſunt tamen dari. Patet, quia de facto non dátur duæ voces diſtinctæ, quæ eodem nomine ſignificentur: poſſunt tamẽ homines vnam vocem inſtituere ad ſimul ſignificandas has duas cœlum, & terram, quæ tũc eſſent æquivoca æquivocata.

Dicendum tertio. In cõceptibus mentis non dantur æquivoca æquivocantia, ſi uſurpentur eo modo quo nunc: dari tamen poſſunt ſi latius ſumantur, ſcilicet pro ſignis formalibus. Prima pars probatur, quia æquivoca æquivocata modo includunt duo. Primo, vocem; ſecundo, impoſitionem ſignificandi ad placitum plura, ſed cõceptus non ſunt voces, neque ſignificant ad placitum, ſed naturaliter, ergo, &c. Secunda pars patet, quia ſi duo Angeli inter ſe paciſcantur, ut per conceptum Petri, non ſolum Petrum, ſed etiam petram intelligant; & per conceptum leonis, non tantum leonem, verum etiam Chriſtum, revera iſti conceptus eſſent æquivoci: nã ideo nomen eſt æquivocum, quia plura ex impoſitione ſignificat; ergo ſi conceptus plura ex impoſitione omnino diverſa ſignificarent, ut contingere poteſt in Angelis ad id convenientibus, revera eſſent proprie æquivoci.

Dicendum quarto. Æquivoca æquivocata dari poſſunt in conceptibus, quia poteſt inſtitui vox, quæ ſimul ſignificet cõceptus hominis, & leonis.

Dicendum quinto. Etiam in aliis rebus extra mentem dari poſſunt æquivoca in ſignificando. Probatur, quia ſicut voces poſſunt ſignificare duo ex hominum impoſitione, ita & nutus, ac ſcripta, imo & alia: ſicut ramus appenſus vinum venale ex impoſitione indicat, ita ſimul ad aliud indicandũ aſſumi poterat.

DVBIVM III.

De Vnivocis, ſeu Synonymis.

OBſerva primo, in univocis tria conſiderari poſſe. Primo, nomẽ univocum, quod vocatur univocum in ſignificando. Secundo, ratio illo nomine ſignificata, in qua inferiora conveniunt, quæ dicitur univocum in conveniendo. Tertio, inferiora, quæ vocitantur univoca in participãdo, ſeu univocata: v.g. hoc nomen animal univocum in ſignificando, ratio animalis univoca in conveniendo, homo vero & leo univoca in participando, ſeu univocata.

Obſerva ſecundo. Inter univoca alia eſſe accidẽtalia, ut Aethiops, & corvus reſpectu nigri in

communi; alia vero essentialia, ut Petrus, & Paulus respectu hominis.

Observa tertio. Vnivoca sic ab Aristotele definiri, Quorum nomen commune est, & ratio substantiæ nomini accommodata est eadem, scilicet in inferioribus: ut homo, & leo univoca dicuntur, quia uno nomine animalis significantur, & eorum ratio essentialis (substantia enim hic essentiam significat) significata per tale nomen, est eadem in illis. Definitionem hanc optimam esse, patet ex dictis de definitione æquivoci.

Vazquez. 3. p. to. 1. disp. 68. nu. 21. Conimb. hic q 2. artic. 1. Noster Blāc disput. 4. de Anteprædic. sect. 1.

Dico primo. Ista definitione solum definiuntur univoca univocata. Probatur primo, quia ea definiuntur hic, quæ habent idē nomen, & eandem rationē communē, sed hæc solum sunt univocata, ergo solum ea definiuntur.

Ita D. Tho opusc. 48. cap. 10. Fonseca 5. Met. cap. 25. q. 12. sectio 2. Vazquez, & Conimb. eodē loco, quo supra, contra Soium. q. 1.

Dico secundo. Ab Aristotele solum fuerunt hic definita univoca essentialia, & non accidentalia. Probatur primo, quia hic Aristoteles discernit univoca à denominativis, sed quæ participant eandem formam accidentalē, ut Aethiops, & corvus nigredinem, dicuntur denominativa; ergo denominativa non sunt univoca, sed ab eis distincta apud Aristotelem.

Secundo, quia passim affirmat Aristoteles, accidentia non prædicari de subiecto sub eodem nomine, & ratione, id est, univoce, & solas substantias secundas dici de primis univoce, quæ falsa essent, si hoc loco sub univocis, comprehenderet etiam accidentalia. Loquitur enim citatis locis, iuxta definitiones hic traditas.

Collige primo ex dictis. Aristotelicam definitionem aptari posse univocis accidentalibus, si nomen substantiæ non significet in rigore substātiam, vel essentiam, sed rationem communem significatam per nomen.

Collige secundo. Vniuocum univocās ita posse definiri, Vox significans unam rationem communem omnino eandem, ut hæc vox animal, quæ significat naturam animalis communem homini, & bruto.

DVBIVM IV.

De Paronymis, seu Denominativis.

DEnominativa ab Aristotele sic definiuntur, Quæ ab aliquo nominis appellatione habent solo differentia casu, ut à Grammatica Grammaticus appellationem habet. Non desunt, qui hanc definitionem ut vitiosam reiiciant, nihilominus ut illam admittamus ut optimam

Præmoneo primo. In quovis denominativo tria considerari posse. Formam per se sumptam, ut albedo; subiectum formæ, ut lac, vel nix; & concretum ex forma, & subiecto, seu modo, quo forma subiecto inhæret, ut albū. Forma appellatur denominans, subiectum res denominata, & concretum denominativum.

Præmoneo secundo. Hæc spectari posse vel in vocibus, vel in rebus. In vocibus forma denominans est vox albedo, denominativum nomen album, quod vocari solet à Logicis, Denominativum denominans, subiectum erit nix, vel lac. In rebus forma deno-

denominans est albedo realis. Denominativum est concretum reale ex forma albedinis, & inhærentia in subiecto, quod dici solet denominativum denominatum, subiectum idem lac, vel nix.

Præmoneo tertio. Denominativum quatuor exigere cõditiones. Prima, ut ab eadem forma oriatur appellatio, ut album ab albedine. Secunda, ut denominativa conveniant cum forma in principio vocabuli, & discrepẽt in eiusdem terminatione. Hanc conditionẽ expressit Aristoteles illis verbis (solo differẽtia casu). si enim sola differũt terminatione, utique cõvenire debẽtin principio vocis. Huius defectu studio sum non est denominativum à virtute, et si virtute præditum significet. Tertia, ut significent totum, quod significet forma, & addat aliquid amplius, ut albũ, quod supra albedinem addit inhęrentiam, seu unionem ad subiectum. Quarta, ut forma denominans non sit de essentia rei denominatę, quod verum est in denominativis, de quibus egit Aristoteles.

Dicendum primo. Aristoteles hic non definit denominativa denominantia, id est, vocabula; sed denominata, id est, concretum ex forma, & inhærentia in subiecto. Prob. quia eadem definiendi forma usus est Aristoteles in hac, & in superioribus definitionibus, sed in illis definit res, ut vidimus, & non vocabula, ergo & hic similiter.

Dicendum secundo. Definitio Aristotelis denominativorũ optima est. Probatur, nam conditiones omnes, quas denominativa requirunt in definitione Aristotelis exprimuntur, aut certe innuuntur. Prima, illis verbis, Denominativa sunt, quæ ab aliquo (intellige priori) derivantur secundum appellationem. Secunda, illis aliis, Habent appellationem solo differentia casu, id est, terminatione, ubi etiam tertia indicatur, nam ex eo habet denominativum appellationẽ formæ, quia illam significat, & ex eo habet diversam terminationem, quia variat modum significandi formam, scilicet in concreto, & in abstracto: ubi tamen denotetur ultima conditio, ex dicendis infra fiet perspicuum.

Dicendum tertio. Aristoteles hic solum definivit denominativa accidentaria, & non essentialia. Prob. 1. quia Aristoteles in hoc capite secernit univoca à denominativis; sed univoca apud Aristotelem, ut vidimus, solum sunt essentialia, ergo essentialia non erunt denominativa apud Aristotelem. 2. quia omnia exempla, quæ subiicit Aristoteles post definitionẽ, sunt accidẽtalia denominativa, ut à Grammatica Grammaticus, à fortitudine fortis. *Ita Ocham. quodlib. 4. q. 10. & alii multi.*

Dicendum quarto. Essentialia etiam sunt denominativa. Probatur, nam ea trahunt nominis appellationem ab aliquo, & sunt solo casu differentia, ut homo ab humanitate, corporeus à corpore, non minus quam nigrum à nigredine, ergo etiam sunt denominativa. Confirmatur contra quosdam Recentiores negantes; nam ipsi nobiscum sentiunt univoca posse esse accidentalia, tametsi Aristoteles solum essentialia sua definitione cõprehenderit, ergo similiter denominativa esse poterunt essentialia, *Caietan. hic, Hurtad. disp. 1. Log. §. 6. & alii communiter. hic, quæstione unica.*

tametsi Aristoteles accidentalia solum definierit. Et quidem multo melius accommodari potest definitio Aristotelica denominativorum essentialibus, quam univocorum definitio accidentalibus: nam quod aiunt definitionis illam particulam, denominativa sunt, (quæ ab aliquo) intelligendam esse ita, Quæ ab aliquo distincto in natura, licet ita possit accipi, nihil tamē est, quod ad id compellat.

Oppones primo contra secundum dictum. Denominativum dicit formam cum unione reali in subiecto, sed forma à qua fluit, non dicit istam unionem: non enim albedo includit inhærentiam in subiecto, quam dicit album, ergo denominativum in re significata, differt à forma, & non solo casu. Hac ratione præcipue ductus Hortado, fatetur se huiusmodi definitionē non percipere. *Disputat. 9. sect. 2. §. 5.*

Resp. Denominativa non dici solo casu differre à forma, quod nō dicat aliquid amplius, scilicet inhærentiam; imo enim id colligitur ex ipsis verbis, Ideo enim denominativum differt à forma, casu, & terminatione, quia significat rationem formæ diverso modo, scilicet in concreto; dicitur ergo differre solo casu, quia significat totū id quod forma, & nihil minus. Adde particulam (solo) in definitione Aristotelis non inveniri in textu Græco, nec in translatione Boetii.

Oppones secundo contra proprium dictum. Musica pro cātatrice est denominativum à musica, seu arte cantandi, & tamen non differt ab ea casu, aut terminatione, ergo denominativa nō sunt differentia casu. Resp. Adiectivum musica esse secundā vocē denominativi, & ita non differre terminatione: Aristoteles autem quando definit denominativum, definit primam, & præcipuam vocem, qualis est musicus.

Oppones tertio cōtra secundū dictum. Iustū est denominativū respectu iustitiæ, & tamen iustū non derivatur à iustitia, sed iustitia à iusto, (ut inter Grammaticos convenit) ergo denominativum non derivatur à forma denominante. Resp. Hic non sumi derivationem secundum etymologiam nominis; nam de hac cōsule Nebrissensem, sed de denominatione formali, & Logica, ut ab albedine album, à iustitia iustus, &c. quæ à forma denominante, & afficiente subiectum desumēda est, cùm res denominetur talis à forma, quæ prius natura convenit rei denominatæ, quam illam denominet cōcretum; prius enim natura est iustitia in homine, quam homo dicatur iustus.

DVBIVM V.

Quid, & quotuplex sit Analogum.

NOtandum primo, Analogiā esse nomen Græcum, & apud Latinos valere idem, ac proportionem, comparationem, aut convenientiam inter plura eodem nomine significata: quare analoga erunt illa, quæ habent similitudinem, aut proportionem, vel comparationē, prout eodem nomine significantur.

Notandum secundo. In analogis tria reperiri. Primo, nomen analo-

analogum, quod dici ſolet, analogum in ſignificãdo. Secundo, ratio illo nomine ſignificata, in qua inferiora conveniunt, quæ vocatur analogum in convenien do. Tertio, inferiora, quæ dici poſſunt analoga in participãdo, ſeu analogata: v.g. hoc nomen ſanum, eſt analogum in ſignificando, ſanitas eſt analoga in cõveniendo, animal vero pulſus, & medicamentum, ſunt analoga in participando, ſeu analogata.

Notandũ tertio. Analoga fuiſſe ab Ariſtotele cõprehenſa inter æquivoca, nam æquivoca à conſilio, cum habeant aliquam proportionẽ, & ſimilitudinem, non diſtinguntur ab analogis. Vnde Ariſtoteles in æquivocis à conſilio, adhibuit in exemplum animal, quod eſt analogũ ad vivum, & pictum, verum eſt æquivoca propter ſpem, & memoriã non eſſe proprie analoga, quia ſolum cogitatione proportionẽ habent, & ſimilitudinem.

Dico primo. Analogum in ſignificãdo, ita poteſt definiri, vox ſignificans rationem cõmunem, quæ in inferioribus partim eſt eadem, partim diverſa, ut vox ſanum in ordine ad animal, pulſum, & medicamentum.

Dico ſecundo. Analogum in conveniendo, eſt illa ratio, quæ in inferioribus partim eſt eadẽ, partim diverſa, ut ratio ſanitatis, quæ intrinſece ineſt animali, & extrinſece pulſui, & medicamẽto, & ita per comparationem ad ſanitatem animalis ſana dicuntur.

Dico tertio. Analogata ita cõmuniter definiuntur, Quorũ nomen eſt commune, ratio vero ſignificata per nomen partim eadem, & partim diverſa; eadem ſecundum quid, & diverſa ſimpliciter: v.g. Animal, pulſus, & medicamẽtum ſunt analoga ſub ſano, quia habent idem nomen; ſanitatem vero partim eandem, partim diverſam; eandem, quia omnia dicuntur ſana in ordine ad eandem ſanitatem animalis; diverſam vero, quia ſanitatem, à qua dicuntur ſana, diverſo modo habent: animal enim habet ſanitatem intrinſece, ut ſubiectum, cum habeat temperiem quatuor humorum, in qua ſanitas formaliter eſt conſtituta, pulſus extrinſece tanquam effectus ſanitatis, medicamentum vero extrinſece, etiam ut cauſa eiuſdẽ ſanitatis.

Collige, analoga eſſe medium inter univoca, & æquivoca, quia analoga habent idẽ nomen commune ſicut æquivoca, & aliquam rationem communem ſicut univoca: diſtinguntur tamen ab æquivocis, quia æquivoca ſolum habent nomen commune: differunt tamen ab univocis, quia univoca, præter nomen commune, habent rationẽ omnino eandem; at analoga partim eandem, & partim diverſam.

Quod ad diviſionem attinet, omiſſis aliis diviſionibus, quas dubiis ſequẽtibus referam, & refellam, ſuppono, Analogorũ diverſitatem ex duplici capite deduci poſſe. Primo, ex modo quo ratio analoga convenit inferioribus, ſive analogatis. Secundo, ex unitate illa ſecundum quid, quam analogata participant.

Dico primo. Ex parte modi conveniendi inferioribus, conſtituendũ eſt duplex analogum. Vnum eſſentiale conveniens inferioribus intra eſſentiã, ut ens cõmuniſsime ſumptum reſpectu ſubſtan-

substantiæ,& accidētis, & aliud accidentale conveniens inferioribus extra essentiam, vt sanum respectu pulsus hominis,& medicamenti. Probatur,quia solum reperiuntur hi duo modi conveniendi inferioribus;ergo solum sunt constituenda duo analoga, quæ distinguntur sicut univocū essentiale,& accidentale.

Dico secuudo. Ex parte unitatis secundū quid, tres sunt constituendę species analogorū,attributionis scilicet, proportionis, siue proportionalitatis, & transcendentiæ. Probatur, quia tot sunt species analogiæ, quot sunt unitates secundum quid, sed istę sunt tres, ergo & species. Minor patet,quia unitas secundum quid, vel cōsistit in attributione, & ordine ad unum, ratione cuius eodem nomine significantur, & constituit analogum attributionis; vel consistit in quadam similitudine,& constituit analogum proportionis, sive proportionalitatis; vel denique consistit in sola trāscendentia,& inclusione,quia scilicet ratio analoga includitur in differētiis inferiorum, & constituit analogum transcendentiæ, atqui non est imaginabilis aliqua alia unitas secundum quid;ergo species analogatorum solum sunt tres.

Exemplis illustratur. Exēplum analogiæ attributionis, sanū in in ordine ad animal,pulsum, & medicamentum. Exemplum analogiæ proportionis, Homo respectu vivi,& picti, ridere respectu ridere hominis, & ridere prati. Exemplum analogiæ transcendentiæ,ens collatum ad substantiam, & accidens.

Dices. Analogia,ut vidimus, idem est ac similitudo, sive proportio inter plura, quæ eodem nomine significantur,ergo ratio analogi solum convenit analogis proportionis. Resp. Analogiam si primā ūgnificationem, & vim nominis attendamus, solum convenire analogis proportionis, quia tamen impositum est prædictum nomen ad significandam quamcunque unitatem secundum quid,sive talis unitas sit proportionis, attributionis, vel transcendentiæ,ideo optime analogum in tres species à nobis traditas secatur.

DVBIVM VI.

Analoga,Physica,& Metaphysica refelluntur.

AB aliquibus Analoga dividuntur in Physica,& Metaphysica. Physica ea vocantur,quæ habent idem nomen,& materiam specie diversam: v.g. Cœlum,& quodvis aliud corpus sublunare,quæ habent idem nomen corporis naturalis,& materiam specie diversam in probabili opinione. Metaphysica ea dicuntur, quæ habent idem nomen,& rationem, participatam per differentias inæqualis perfectionis, ut animal ad hominē, & leonem contractum per differētias inæquales in perfectione.

Dicendum primo. Non dātur analoga physica vere,& proprie. Probatur, quia corpus naturale univoce, & generice prædicatur de cœlo,& homine, ergo homo, & cœlum non erunt analoga, sed univoca sub nomine, & ratione corporis naturalis. Secundo, quia licet materiæ primæ

cœli,

cœli, & hominis ſpecie diſcrepent; conveniunt tamen univoce, & generice in communi ratione materiæ, ergo non eſt cur homo, & cœlum ſint analoga. Confirm. Primo. Materiæ numero diverſæ non conſtituunt analogiã, ergo neque materiæ ſpeciẽ diverſæ. Confirm. ſecundo, quia homo, & leo non ſunt analoga phyſica ſub nomine corporis naturalis, licet habeant diverſas ſpecie formas, ergo neq. cœlum, & homo, licet habeant diverſas ſpecie materias: ſi enim diverſitas ſpecifica formarũ non inducit analogiam in ente naturali, neque diverſitas materiæ debet inducere.

Dicendum ſecundo. Analoga metaphyſica, quę à Caietano, inæqualitatis nominantur, à veris analogis ſunt pellenda. Probatur primo. Animal univoce, & generice enuntiatur de homine, & leone, ergo homo, & leo comparatione animalis, non ſunt analoga, ſed univoca. Probatur cõſequentia, nam analoga ab univocis eſſentialiter diſcriminantur, ergo quæ ſunt univoca comparatione alicuius rationis ſuperioris reſpectu eiuſdẽ, nequeunt eſſe analoga. Antecedens probatur, quia ſi animal non eſt univocum ad hominem, & leonẽ, quos reſpicit ut genus, quid poterit eſſe univocum? Dices cum quoddã Recentiore, quem refert Hurtadus ſuppreſſo nomine, dumtaxat ſpecies reſpectu individuorum, eſſe perfectiſsime univocas: quia ſpecies æqualiter contrahitur ad individua per differẽtias ſimiles, & æquales in perfectione. Sed contra, quia maxime probabile eſt, ſpeciem etiam contrahi ad indivídua per differentias inæqualiter perfectas, ergo etiam ſpecies non erit univoca ad individua, ſi genus non eſt univocum ad ſuas ſpecies.

Diſp. 9. Logi. ſect. 1. §. 3.

Secundo, quia animal participi pari inæqualiter imperfectione ab homine, & leone, non tollit quin animal participetur eodem pacto, cum illa inæqualitas proveniat à differentiis, & non à ratione ſuperiori, ergo non tollit univocationem. Dices: Hominẽ, & leonem non eſſe analoga præciſſe in ratione animalis, ſed in ea ut inæqualiter perfecta per differentias, nempe per rationalem, & rugibilem. Contra, quia ratio analoga debet ſignificari nomine analogo, ſed nomen animal ſolum ſignificat rationẽ animalis genericam, quæ eodem modo participatur, & non inæqualitatem, quæ provenit ex differentiis contrahentibus, ergo homo, & leo non ſunt analoga in ratione animalis, ut inæqualiter perfecta per differentias.

DVBIVM VII.

De Analogia attributionis.

ANaloga attributionis ea ſunt, quæ ſub eodem nomine habent eandem rationem ſecundum quid per habitudinem, & dependentiam unius ab alio: v.g. Animal, pulſus, & medicamentum ſunt analoga attributionis ſub nomine ſani: nã præter nomen ſani habent eandem rationem ſecundũ quid per habitudinem, cum participent ſanitatem, quæ eſt in animali, cum habitudine pulſus, & medicamẽti ab animali.

Analoga attributionis variæ

communiter distribuuntur. Alia enim sunt plurium ad unum tertium, non contentum sub communi analogo, ut cibus, & medicamentum dicitur salutaria per ordinem ad animal, cui afferunt salutem, cum tamen ipsum animal non gaudeat eo nomine, itē accidens ad quātitatem, & qualitatem, quæ ordinem habent ad substantiam. Alia quorū uni ratio inest intrinsece, cæteris vero exorinsece, ut ratio sanitatis, quę intrinsece est in animali, & extrinsece in medicamento, & pulsu. Alia sunt, quibus omnibus ratio analoga extrinsece cōvenit, ut esse liberū respectu actus voluntatis, & intellectus. Tandem alia sunt, quibus omnibus ratio analoga intrinsece convenit, ut ens ad substantiā, & ad accidēs.

Placitum primum. Cōmentitia sunt analoga plurium ad unum tertium non cōtentum sub communi analogo. Probatur primo à priori, quia analoga in cōmuni sunt, quæ habent idem nomen, & rationem, significatam per tale nomen partim eandem, & partim diversam; sed hæc analoga non habent rationē cum tertio, ad quod dicunt habitudinem, ut hæc opinio supponit, ergo non sunt analoga. Probatur secundo, quia aliàs nulla ratio esset univoca ad solas res creatas, cum hæ dependeant à Deo: ideoque animal etiam erit analogum ad hominem, & leonem per attributionē ad Deum. Tertio, ratio salutaris eodem modo convenit cibo, & medicamento, quatenus ambo habent vim innatam ad afferendam salutem animali; ergo eodem modo participant rationem salutis. Vnde participāt rationē omnino eandem, & consequenter erunt univoca, & non analoga.

Placitum secundum. Non sunt vera analoga attributionis ea, quibus ratio convenit omnibus extrinsece. Probatur primo, quia dependentia, ut probabitur sequenti placito, non sufficit ad analogiam in analogis intrinsecis, ergo neque in extrinsecis. Secundo, actum esse liberū consistit in eo, ut fiat cum advertentia rationis, & in differentia voluntatis, seu potentia ad operandum, & non operandum; sed utrunque convenit eodem modo actui voluntatis, & externo, nam uterque fit cum advertentia rationis, & in differentia voluntatis; ergo univoce conveniunt, & nō analogice. Tertio, quia actus externus non pendet ab interno in esse liberi absolutè, sed in esse talis liberi, externi, & secundarii, nam advertentia rationis, & indifferentia voluntatis, respectu utriusque, est eadem; ergo ratio communis liberi omnibus univoce convenit.

Placitum tertium. Ea, quibus ratio convenit omnibus intrinsece, non sunt vere analoga: unde substantia, & accidens univoca sunt in ratione entis, & Deus & creaturæ in ratione substantiæ. Hanc conclusionem latissime probabimus sequenti Disputatione, dubio ultimo, ubi etiam omnia adversariorum argumenta proponemus, & enodabimus. Nunc brevissime probatur, quia quando inferiora ita se habent, ut sub eodē nomine conveniant simpliciter, in eadem ratione significata, non conveniunt analogice, sed univoce; sed sic se habet ratio entis in ordine ad substantiam, & accidens, quamvis acci-

accidentia dicant dependentiam à subſtantia: accidens enim intrinſece, & ſimpliciter eſt ens: ergo erunt univoca, & non analoga. Secundo, qualitas eſt univoca ad potentiam, & actum, ad intellectum, v.g. & intellectionem: ſed actus intellectus pendet ab intellectu ea proportione, qua accidens à ſubſtantia: ergo talis dependentia non tollit univocationem.

Placitum quartum. Analoga, quorum uni ratio convenit intrinſece, & aliis extrinſece, ſunt vere, & proprie analoga. Probatur, quia analoga ſunt, quæ habent idem nomen, & rationem partim eandem, partim diverſam; ſed ita ſe habent illa, quorum uni ineſt ratio intrinſece, aliis vero extrinſece, ergo ſunt vera, & propria analoga. Minor patet, nam animal, pulſus, & medicamentũ habent idem nomen ſani, & rationem partim eandẽ, & partim diverſam, ut explicabimus dubio 5. huius diſputationis, ergo, &c.

Ita Suarez diſp. 28. ſect. 3 n. 14. Martiadiſp. 1. q. 2 Comm. in cap. de æquivoc. q. 1. art. 1.

Collige ex dictis, ut ſanum ſit analogum ad animal, medicamẽtum, & pulſum debere ſignificare ſanitatẽm, quæ eſt intrinſece in ipſo animali, & quę extrinſece denominat medicamentũ, & pulſum ſanum; etenim poteſt alio modo ſanum uſurpari, ita ut ſignificet ſanitatem animalis, & ſignificet medicamentũ ſanum, non propter ſanitatem animalis ipſi applicatam extrinſece, ſed propter vim, quam habet inſitam ad illam efficiendam, & ſimiliter poteſt ſignificare pulſum ſanum, quatenus habet in ſe talem modum, aut diſpoſitionem naturalem, qua eſt ſignum naturale ſanitatis, quod illi intrinſece convenit: quo pacto, ſanum erit æquivocum, quia ſignificat rationes ſanitatis omnino diverſas, quarum unaquæque intrinſece convenit ſuo inferiori.

DVBIVM VIII.

De Analogis proportionis.

ANaloga proportionis, vel proportionalitatis, ſunt, Quorum nomen eſt commune, & ratio partim eadem ſecundum proportionalitatem, vel ſimilitudinem; ut ridere reſpectu hominis, & prati. Quærimus nunc, quæ proportio ad iſtã analogiam requiratur. Ad quod adverte, proportionem, & proportionalitatem eſſe vocabula deſumpta ex Arithmetica, in qua proportio dicitur eſſe comparatio unius numeri ad alium: binarii, v.g. ad quaternarium; eſt enim inter ipſos proportio dupla: proportionalitas vero dicitur eſſe comparatio, vel ſimilitudo duarum comparationum inter ſe proportionis: v.g. inter quatuor ad octo, & octo ad ſexdecim: nam in utraque eſt dupla proportio; hinc ergo proportio in analogis eſt habitudo unius ad alterum, vel plurium ad unũ, ut amenitatis prati, vel ſplendoris auri ad lętitiam hominis ſub nomine riſus. Proportionalitas vero eſt, proportio duorum, vel plurium habitudinum, ut ſicut ſe habet homo ad riſum, ita pratum ad amenitatem, vel aurum ad fulgorem. Hinc patet in rigore, & frequentiore uſu proportionem, & proportionalitatem in præſenti idem prorſus valere, & tãtum eſſe differentiam in modo dicendi.

Dico primo. Proportionalitas, quæ metaphora caret, non inducit analogiam. Probatur, quia si quælibet proportionalitas sufficeret ad analogiam, univoca essent analoga proportionalitatis, quia in illis reperitur etiã proportionalitas aliqua: homo etenim, & leo sunt univoca in animali, & tamen sicut se habet homo ad suum esse animalis, ita leo ad suũ; ergo si quælibet proportionalitas ad analogiam sufficit univoca, sunt analoga, imo æquivoca etiam erunt analoga; habent enim aliquam proportionalitatem: nam quemadmodum se habet canis cœlestis ad suum esse, ita terrestris, & marinus ad suum.

Dico secundo. Proportio requisita ad hanc analogiam est similitudo per metaphoram, & trãslationem. Probatur primo, nam ratio huius analogiæ non convenit omnibus proprie, & æque, primo, quia sic potius esset univocatio, neque debet esse omnino diversa in analogatis, sic enim hæc potius esset æquivoca à casu; debet ergo uni cõvenire propter aliud, prout postulat ratio analogiæ: sed in metaphora, aut translatione sufficienter fundari potest hæc proportio, ita ut diversa sit ab analogia attributionis, ergo hoc pacto recte explicatur analogia proportionis. Secundo probatur exemplis. Ridere ideo est analogum proportionis ad ridere hominis, & prati, quia homini cõvenit proprie, prato vero per similitudinem, & metaphorã; idem est in animali in ordine ad vivum, & pictum in ente ad reale, & rationis, & etiã in nominibus, quæ in sacris literis Christo Domino tribuuntur: dicitur enim Vitis, Leo, Agnus, Petra, Lapis angularis, &c. quæ nomina aliquibus rebus proprie quadrant, at vero Christo Domino per similitudinem, & metaphorã. Vnde in his analogis, nomen analogum ex primaria impositione, solum significat præcipuum analogatum, deinde vero translatum est ad significandum minus præcipuum.

Collige primo, ut homo sit analogus ad verum, & pictum, debere sumi pro essentia hominis, quæ in vero intrinsece reperitur, & extrinsece afficit pictũ; nam in extrinseca delineatione simulacri, vel imaginis ob similitudinem colorum possunt univoce convenire.

Collige secundo. Analogum secundarium definiendum esse per ordinem ad primarium, & præcipuum; sic ridere in pratibus per illaritatẽ hominis, quam monstrat in facie, qui est nobilius, analogatum definitur, & sanitas medicamenti in ordine ad sanitatem, animalis, quod est præcipuum analogatum, & ratione cuius medicamini tribuitur, declaratur.

Collige ultimo. Analoga proportionis specie discriminari ab analogis attributionis, quia illa habent suam unitatẽ secundum quid per similitudinem, & metaphoram; ista vero per ordinem, & attributionem in ratione causæ, signi, vel effectus, ut constat exemplis adductis. Vrina enim, & medicamentum licet non sint intrinsece sana, sed talia dicantur per ordinem ad sanitatem, animalis tamen huiusmodi ordo non est in ratione similitudinis,

nis, & metaphoræ, ut est in analogis proportionis, sed in ratione causæ signi, vel effectus.

DVB. VLTIMVM.

De Analogis transcendētiæ.

PRædicatum transcendens illud appellatur, quod in intimis suorum inferiorum attributis includitur. Alia sunt simpliciter dicta, quæ in rebus omnibus, & attributis imbibuntur, ut unum, verum, bonum in omni ente. Alia sunt transcendentia secūdum quid appellata, quæ transcendunt omnes differētias unius generis, ut substantia cōmunissime sumpta divagatur per omnes substantias; item & accidens communissimum per omnia inferiora accidētalia. Supereſt nunc difficultas, An conceptus transcendens sit sufficiēs ad inferendam analogiam.

Ita Ferrariē sis 1. contra gentes, cap. 23. Noſter Blanch hic, ſect. 6. qui citat pro ſe D. Thom. & Ariſtotelem. Hurtadus diſput. 9. Logica, ſectio. 4. ſubſect. 5. §. 41.

Sit Assertio. Sola transcendentia, aut inclusio rationis superioris in differentiis inferiorū, sufficiens est ad causandam analogiam. Probatur ex definitione Analogorū ab omnibus admissa, Analoga sunt, quorum nomen est commune, & ratio partim eadem, & partim diversa, sed sola transcendentia habet rationem partim eandem, & partim diversam, ergo, &c. Minor probatur, quia tunc aliqua ratio est partim eadem, & partim diversa, quando inferiora partim cōveniunt in illa, & partim differunt; sed eo ipso, quod ratio sit transcendens, inferiora partim in ea conveniunt, & partim differunt, ergo, &c. Minor probatur in ratione entis respectu hominis, & leonis; nam eo ipso, quod talis ratio entis includitur essentialiter in differentiis hominis, & leonis, non possunt homo, & leo distingui per proprias differentias, quin etiam distinguantur per rationem entis, ut inclusam in differentiis; sicut non possunt homo, & leo convenire in ratione animalis, quin etiam necessario conveniant in ratione entis, ut inclusa in animali, quod aliter contingit in univocis: nam cum animal, v.g. non includatur formaliter in rationali, & rugibili, licet homo, & leo per suas differentias distinguantur, non tamen debent distingui per ipsum animal, quod est extra conceptū talium differentiarum, & ita homo, & leo conveniunt in ratione animalis, ita ut in ea nullo modo distinguantur.

Secundo probatur. Sola inclusio rationis superioris in differētiis inferiorum tollit rationem generis, ut expresse docet Aristoteles; ergo tollit rationē univoci. Probatur consequētia, quia inclusio in differentiis inferiorum repugnat generi, sed repugnat illi ut univocum est, & nō ut est genus, (si enim inclusio in differentiis repugnaret generi ut genus est, non repugnaret speciei cum non sit genus) ergo sola inclusio in differentiis inferiorum tollit rationem univoci. *3. Metaphy. cap. 3.*

Dices primo. Transcendentia non impedit abstractionē unius rationis, quæ sit una, & eadem in omnibus, ergo neque univocationem. Respondeo negando antecedens: nam ratio, & conceptus transcendētium est idem in statu abstractionis, & diver-

fus in statu cõtractionis: at univoce, v. g. animal, in utroque statu formaliter, & metaphysice habent eundem conceptum.

Dices secundo. Animal præcisum est omnino idem cum Petro, & Paulo, sicut ens; & animal, quod est in Petro, est omnino distinctum ab animali, quod est in Paulo, sicut ens Petri differt ab ente Pauli: ergo sicut ens est analogum, ita & animal. Respondeo negando consequentiã, quia animal in Petro, & Paulo eundem conceptum obiectivum retinet, quod precisũ, & sic semper est omnino idem: at ens in inferioribus non est idem conceptus obiectivus cum precisõ; & inde est partim idem, & partim diversus.

Dices tertio. Ex eo quod differentiæ sint diversę, ratio communis, & inclusa in illis est diversa, ergo etiam ex eo quod ratio cõmunis diverso modo participetur, erit etiam diversa, & analoga. Nego consequentiam, quia rationem participari diverso modo in univocis, solum dicit rationem communem univoci perfici per differentiam non formaliter, & intrinsece in suo cõceptu, quod contingit in trãscendentibus, sed extrinsecè per conceptum differentiæ, cui conjungitur, & extra quem manet, ut in exemplo materiæ primæ, & formæ declaratur.

Collige primo. Analogum adæquate dividi in analogum attributionis, proportionis, & trãscendentiæ. Hæc ultima species analogi consistit in hoc, quod ratio significata per nomen analogum, partim sit principium conveniendi, & partim distinguendi ex vi solius transcendentiæ, unde hæc analogia distincta est ab aliis, ut patet.

Collige secundo. Refellẽdam esse opinionem P. Iosephi Blãch citati, asserentis, si transcendentiæ addatur dependentia, variari speciem analogiæ, certe nõ video momentum; nam si dependentia ex suo conceptu non est analogia, ut ipse fatetur, necio quomodo possit variare speciem in esse analogo. Nec unquã ego vidi speciem sine genere: nec aliquam distinctionem analogam potest dare aliquis conceptus, qui in se non est analogus. Tandem & sit ultima ratio: Rationale coniunctum cum animali, nequit constituere nisi speciem animalis, ergo neque dependentia coniuncta cum transcendentia nequit constituere nisi speciem analogiæ transcendentiæ. Et quæro ab authore, cur albedo coniuncta cum animali rationali, non variat specie animal? Ratio in promptu est, quia non variat in ratione hominis: atqui nec dependentia variat in ratione analogiæ cum analogia non sit, ergo non cõsurgit nova species. Si ipse contenderet de quadam distinctione accidentali, libenter faterer, sicut differt homo albus ab homine nigro.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

De decem Prædicamentis.

NON eget longa enarratione, nec commentario hoc cap. nam quod in eo præstat Philosophus, nihil est aliud quam simplicia in decem Categorias dividere illas enumerando. Asserit præterea nullam vocem simplicem, qualia sunt Prædicamenta, esse veram, vel falsam, non ob simplicitatem: nam homo albus est vox complexa, & nec vera, nec falsa est, sed quia non continent affirmationem, vel negationem. Hoc sufficiat pro hoc cap. nam nihil ultra expositione dignum, quod non sequentibus dubiis attingatur.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Prædicamentis in communi, & de Divisione entis in decem Prædicamenta.

OMNIS multitudo suum cap. optinet, omnisque divisio ab unitate derivata est, sic opere pretium duximus, antequam ad sigillatim tractanda, & adamussim exponenda Prædicamenta aliquid de illis in generali disserere, sicque evitabitur fastidium eadem sæpius inculcando, sicque etiam debitum doctrinæ ordinem sectabimur. Et quia quæstiones Metaphysicę immiscendæ sunt inter Logicas, opus erit, ut hic (quod munibit maxime nobis viam ad prædicamenta) de conceptu entis obiectivo tractemus, eiusque divisionę genuinam inquiramus, quod iam præsto.

DVBIVM I.

Quid sit Prædicamentum, & quæ eius materia, & forma.

DICO primo. Prædicamentum cum communi sententia definitur, Dispositio naturalis alicuius generis supremi realis, & eorum omnium, quæ sub ipso continętur. Dicitur, dispositio, quia hic res omnes debito ordine sunt constituęę; additur naturalis, quia res disponuntur prout à natura, & rerum gradibus postulatur: in prædicamento enim prius collocatur prædicata communiora, & magis simplicia, deinde magis contracta, & composita, quibus tandem individua subiicitur, subditur

ditur, alicuius generis supremi, quia genera intellecta non efficiunt nova prædicamenta: additur demum, realis, quia hic entia realia dumtaxat sedem obtinét.

Nec instes. Entia rationis habere suam Prędicamentorú classem; nam hic institutum Aristotelis sectamur, qui solum entia realia ad seriem reduxit.

Dico secundo. Materia prædicamenti est ens reale, quia sunt naturæ reales, quæ hic summo cum ordine disponuntur, ut in prædicamento substantiæ: Substantia, corpus, mixtum, vivum, animal, homo, Franciscus.

Dico tertio. Forma prædicamenti est ens reale, quia forma ista est dispositio generum, specierum, & individuorú, sed ista dispositio est realis, ergo & forma. Minor patet, nam ista dispositio est denominatio extrinseca in naturis ab actu intellectus eas disponente, & cognoscente, & ab eisdem naturis se denominantibus, cum tali ordine colligatis, sed talis denominatio extrinseca est ens reale, ut probatum supra, ergo, &c.

Confirm. Disponere taliter actus, & obiecta in demõstratione, est denominatio extrinseca, ergo disponere naturas in prædicamento erit denominatio extrinseca.

Dico quarto. In naturis ita dispositis, potest intellectus ponere ordinem rationis: nam in omnibus demonstrationibus debite dispositis, potest ponere ordinem fictum prioris, & posterioris, ergo & in prædicamentis dispositis ordinem rationis superioris, & inferioris. Verum sicut ille ordo fictus necessarius non est ad id, ut obiecta demonstrationis sint, & dicantur recte dispositа, ita neque ad id, ut res prædicamentales recte dispositę censeantur.

Collige. Prædicamentum adæquate sumptum, esse aggregatum ex naturis, & extrinseca denominatione actus intellectus debite disponentis illas: unde non est unum unitate naturali, sed artificiali propter ordinem quo naturæ ordinantur, & disponuntur ad eum modum, quo exercitus Respublica: & sic de reliquis artificialibus compositis.

Rogas. Quomodo res collocentur in prædicamento? Ad respõsionem adverte, res sub triplici statu concipi posse. Primo ut possibiles, id est, ut possunt habere à causis exsistentiam. Secundo ut actuales, id est, ut exsistentes. Tertio, secundum suam essentiam ab vtroque statu pręcisam. Hoc posito, dico, in prædicamento res non collocantur ut exsistentes, nec ut possibiles, sed solum secundum suam essentiam præcise. Prima pars probatur, quia in prædicamento solũ collocantur illa, quæ sunt de essentia inferiorum, sed exsistentia, & negatio illa, quam addit possibilitas supra rem, non sunt de essentia inferiorum; ergo res nõ collocantur in prædicamentis ut exsistentes, neque ut possibiles. Secunda vero pars ex prima sequitur, quia res tantum sortiuntur hunc triplicem statũ possibilitatis exsistentiæ, & essentiæ, sed non ponũtur in duobus primis, ergo in ultimo iuxta essentiam.

Dices. Ens reale essentialiter est possibile, & potest exsistere, ergo

ergo ut posſibile collocatur in prædicamento. Reſpondeo: Poſſibilitatem eſſe ſtatum eſſentiarum, non tamen eſſe de eſſentia illarum, ſicque ut poſsibiles reduplicative non collocantur in prædicamento. At vero ſi ſpecificative ſumatur, id eſt, id cui nõ repugnat exſiſtere, ponitur in prædicamento, verum quidẽ eſt: nã eſſentia creata, eo ipſo quod creata eſt, habet non repugnantiam ad exſiſtendum extra cauſas.

Sed inſtabis. Ariſtoteles ſolũ confecit ſeriem prædicamentorum ex rebus creatis, ſed conceptus rei creatæ eſt per ſe pendere à Deo, ergo res ut poſsibiles, collocantur in prędicamẽto. Reſpondeo, Ariſtotelem egiſſe in prædicamentis de rebus creatis; conceptus vero rei creatæ eſt eſſe ens per participationem, abſtrahendo à ſtatu poſsibili, vel exiſtẽtiæ; nam quis dubitat poſſe abſtrahi conceptum creaturæ à poſsibili, & exiſtenti? At conceptus abſtractus nec eſt poſsibilis, nec exſiſtens, & nihilominus eſt creaturæ conceptus; ſemper tamen habet eſſe ens per participationem in ordine ad ideas divinas.

DVBIVM II.

Quænam entia collocentur in Categoriis.

SVppono primo, dupliciter aliquid poſſe in prædicamentis collocari. Primo directe, & per ſe, & eſt id, quod in recta ſerie ponitur. Secundo indirecte, & eſt id, quod pertinet ad conſtitutionem eius, quod in recta ſerie collocatur.

Suppono ſecundo. Hic ſolum agi de prædicamẽtis traditis ab Ariſtotele, non vero de aliis, quæ fingi poſſunt.

Dico primo. Voces non ponũtur in prædicamentis, quia quæ collocantur in prædicamẽto, ita ſe habent, ut unum ſit de eſſentia alterius; ſed voces non ita ſe habent, v.g. voces, animal, & homo non ſunt de eſſentia vocis Petri, ergo voces non ponuntur in prædicamento. Non tamen negamus voces, ſi ſumantur pro materiali, quatenus ſunt ſoni, & qualitates, non poſſe locari in prędicamentis; ſpectant enim eo pacto ad prædicamentum qualitatis; ſolum ergo contendimus, prædicamenta non coaleſcere ex vocibus ſignificantibus, ſed ex naturis in eſſendo.

Dico ſecũdo. Nec analoga, nec æquivoca collocantur. Probatur, quia quod in prædicamẽto collocatur, præter individuum, debet eſſe genus, vel ſpecies, ut patet in definitione prædicamenti in communi, ſed genus, & ſpecies ſunt univoca, ergo analoga, & homonyma non collocantur in prædicamento.

Dico tertio. Hic non ſolum locantur naturæ univerſales, genera ſcilicet, & ſpecies; ſed etiam individua. Poni genera, & ſpecies, eſt communis ſententia, & conſtat ex definitione Categoriæ. Poni vero individua, ſuadetur primo, quia individua ſunt entia phyſice completa, & habent cæteras conditiones, quas exigit ratio prædicamentalis, ergo collocantur. Secundo, quia prædicamentũ eſt ſtructura quędam prædicatorum, cuius fundamentum ſunt individua, ſed fundamentũ pertinet ad ſtructu-

ram, ergò etiam individua ad prædicamenti structuram pertinebunt directe tanquam fundamentum. Nec obstat individua esse infinita, nam etiam species alicuius generis infinitę esse possunt; nec ité officit Porphyrius assignans categoriarũ terminos, genus supremũ, & speciem infimam. Nec Aristoteles asserens, quæ statuuntur in categoriis, univoca esse debere: uterque enim locus fuit de terminis universalibus, at individuum non ingreditur categorias tanquam universale prædicatum, sed veluti basis, cui tota structuræ moles innititur.

Cap. de Specie.

Hic cap. 1.

Dico quarto. Entia per accidens complexa, & entia physice & realiter incompleta excludenda sunt à prædicamentis. Probatur primo de entibus per accidens, quia quod ponitur in prædicamento, debet esse unum ens, sed ens per accidens non est unũ ens, sed multiplex, quia constat multis entibus completis, ergo ens per accidens non ponitur in prædicamento. Probatur secundo de complexis, quia si est complexum accidentale, ut Homo albus, est ens per accidens, quod ut diximus, non collocatur in categoria; deinde quod ponitur in prædicamento, debet concipi per modum unius, complexum autem cõcipitur per modũ duorum, ergo &c. Probatur tertio de entibus physice incompletis, quia in prædicamento solũ collocantur entia perfecta, sed entia incompleta sunt imperfecta, ordinata ad componendũ aliud, ergo non ponuntur directe in prædicamento, sed dumtaxat reductive, quatenus in ente completo includuntur.

Dico quinto. Ens simpliciter infinitum in essentia, qualis est Deus, nequit collocari in prædicamẽto; bene vero infinitum secundum quid; seu in certo genere. Prima pars huius dicti probabitur inferius, dum disquiremus, An Deus in prædicamento substantiæ collocetur. Secunda probatur, quia quantitas infinita extensione univoce, & generice in ratione quantitatis cum finita conveniret, ergo utraque sub genere supremo quantitatis locaretur. Confirmatur, quia tota definitio, & essentia quantitatis generice abstrahens à finita, & infinita, prædicaretur univoce de illis, ergo univoce, & generice sub ea convenirent finita, & infinita; nec plane apparet quid possit impedire.

DVBIVM III.

An quæ in prædicamento ponuntur, esse debeant abstracta, vel concreta.

COncretum aliud est substãtiale, ut Homo, cuius abstractum est humanitas: aliud accidentale, ut Album, cuius abstractum est albedo.

Positio prima. Abstracta substantialia non admittuntur dirẽcte in prædicamento. Probatur, quia abstracta substantialia sunt physice, & realiter incompleta entia, sed entia incompleta non collocantur in prædicamentis, ergo neque abstracta substantialia. Maior probatur, quia concretum homo coalescit ex humanitate, & subsistẽtia, ergo eius abstractum, videlicet humanitas, est

Ita Suarez disp. 34. Metaph. sect. 8. n. 12. & 13. Rubius q. 2. n. 1. & 2. Noster Blãc hic, sect. 3.

est pars hominis,& quid incompletum.

Respondebis : Humanitatem, licet in esse suppositi, sit quid incompletum, esse tamen completam in esse cõpositi physici:nam de ratione huius solum est, quod componatur ex materia,& forma:sed contra est,nam neque in esse totius physici est completa humanitas, quia non componitur ex materia, & forma completis, & terminatis in suo genere per partiales subsistentias.

Positio secunda. Abstracta accidentalia non ponuntur directe in prædicamento. Probatur primo ex Aristotele, qui cap 4. de Anteprædicamentis recẽsuit, prædicamenta accidentium non in abstracto,sed in concreto. Secundo, accidens in abstracto ut quantitas,est in completum,ergo nequit directe locari in prædicamento. Antecedens probo, quia accidens in abstracto ordinatur natura sua ad componendum unum per se cum inhęrentia, tanquam cum complemento sui intrinseco,sed humanitas ex eo est quid incompletum, quia ordinatur natura sua ad componendum unum per se cum subsistentia tanquam cum complemẽto intrinseco, ergo accidens in abstracto similiter erit quid incompletum. Confirmatur. Sicut substantia completur per subsistentiam in ratione entis per se, ita accidens per inhærentiam in ratione entis in alio, ergo non minus accidens ordinatur ad cõponendũ cum inhęrentia unum per se, quã substantia cum subsistentia.

Ita P. Iosephus Blanch loco citato, qui pro contraria sentẽtia citat Suarez.

Respondent aliqui : Accidens non compleri per inhęrentiam, quia nõ petit illam ratione sui, sed ratione subiecti, ad quod perficiendum ordinatur ; bene vero substantiam per subsistentiam, quia illam postulat ratione sui, & per eam perficitur.

Sed contra primo, quia ideo substantia postulat ratione sui subsistentiam,quia per eam perficitur:neque sine ea potest naturaliter exsistere, sed accidens in abstracto non potest naturaliter exsistere sine inhęrentia, & per eam perficitur,ergo similiter ratione sui postulabit. Secundo, quia accidens abstractum potest petere inhęrentiam, & ratione sui,& subiecti : ratione sui,quatenus per illam perficitur:& ratione subiecti, quatenus illi coniungitur, ut ipsum perficiat,ergo &c. Confirmatur, quia substantia postulat subsistentiam,ut per illam completa possit elicere operationes extra se, & nihilominus etiam postulat illam ratione sui,ergo idẽ est in accidenti.

Positio tertia. Concreta substantialia, & accidentalia proprie sumpta,v.g. Homo,& albũ, prout constant albedine,& inhęrentia, directe, & per se in prædicamento collocantur. Probatur, quia huiusmodi concreta sunt entia realia per se completa, & participant genus supremum prædicamenti, ergo directe,& per se collocantur in prædicamento.

Deinde specialiter probatur de concreto accidentali, de quo poterat esse difficultas : quia album, v.g. componitur ex albedine, & inhærentia, quæ sunt entia incompleta eiusdem prædicamenti:nam inhærentia qualitatis reducitur ad qualitatem,

inhærentia quantitatis ad quantitatem, &c. Cum enim inhærentia sit complementum accidētis, reducitur ad prædicamentum accidentis, quod complet; sicut subsistentia, quia est complementum substātiæ, reducitur ad eius prædicamentum, ergo sicut ex subsistentia, & natura substantiali fit unum concretum substātiale per se positum in prædicamento, ita ex inhærentia, & forma accidentali constituetur unū concretum accidentale per se positum in prædicamento.

Notanter dixi, concreta accidentalia proprie sumpta, locari in prædicamentis, quale est accidens, cum inhærentia connotando subiectum, non illud includendo: nam aliquando concretum accidentale minus proprie sumitur pro aggregato ex subiecto, & accidenti, quo pacto non collocantur in prædicamento, quia sunt entia per accidens composita ex substantia, & accidenti. Et in hoc sensu intelligendus est Aristoteles, dum dixit, iustum non collocari in categoria; nomine ergo iusti intellexit aggregatum ex subiecto, & forma iustitiæ.

3. Topicorū, cap. 1.

Positio quarta. Si dantur aliqua accidētia, quæ per seipsa inhæreant, (ut multi de modis sentiunt) talia in abstracto ponuntur in prædicaméto, quia in abstracto sunt vnum per se, & completum, cum non ordinentur ad componendum unum cōcretum accidentale cum inhærentia à se distincta, ergo hæc etiam in abstracto ponuntur.

Positio ultima. Si accidentia existant per se, medio aliquo modo supernaturali, ut existit quantitas in Eucharistia, ex tali accidente, & tali modo fit unum per se directe pertinens ad Categoriam talis accidentis. Probatur, nam licet ille modus supernaturalis sit, est tamen proportionatus ipsi accidenti, nam etiam est accidens. Vnde sicut ex personalitate Verbi, & humanitate Christi media unione hypostatica, fit unum per se prædicamenti substantiæ (ut dicetur infra) quia licet unio sit supernaturalis, & personalitas increata, proportionatur tamen humanitati in ratione subsistentiæ, & termini, ita fit unum per se ex quantitate, v. g. Eucharistiæ, & modo per se essendi pertinens directe ad prædicamentum quantitatis.

Obiectabis tria argumenta contra secundā positionem. Primum argumentum. Accidens in abstracto in ratione formæ accidentalis, est forma integra, & totalis non ordinata ad componendum aliud accidens per se, ergo accidens in abstracto est completum, & ita collocabitur in prædicamento. Antecedens probatur, quia albedo, v.g. non ordinatur ad componēdum unū ens per se cū modo inhærētiæ, ergo est cōpleta. Antecedēs prob. nam albedo solum ordinatur ad faciendam compositionem cum subiecto, non vero cum inhærentia, nam hæc solum est veluti via, & nexus ad talem compositionem, ergo abstracta ponuntur per se. Resp. negando antecedēs, & ad probationē; iterū nego antecedens; & ad aliam vero probationem dico, albedinem ordinari ad subiectum, & ad inhærentiam, diverso tamen modo; ad illud enim ut efficiat cum illo ali-

aliquod ens per accidens; ad hác vero ut efficiat unum ens per se.

Secundum. Ex termino, & actione non fit unum per se, ergo nec ex albedine, & inhærentia. Respondetur, ex actione ut sic, & termino non fieri unum per se, quia actio est omnino extra rationem termini, nam sunt diversę categoriæ, at accidens, & inhærentia ad idem pertinent prædicamentum.

Tertium. Ex forma substãtiali, & unione præcise non fit unũ per se, ergo nec ex albedine, & inhærentia. Confirmatur, quia unio substantialis non complet formam substantialem in esse formæ, ergo neque unio accidentalis albedinem, v. g. in esse formæ. Respondetur, ex forma substantiali, & unione fieri unũ per se, non tamen completum, quia adhuc compleri potest per materiam, quæ etiam est substantia. Ad confirmationem respondeo: Vnionem substantialem cõplere formam substantialem in esse formæ informantis, licet illam non compleat, sive non cõstituat in ratione formæ potentis informare; idem est de unione accidentali respectu formæ accidentalis.

DVBIVM IV.

Quid sit ens, & an habeat unum conceptum formalem.

ADVERTE primo. Ens dupliciter accipi posse. Primo, ut participium verbi substantivi Sum, & significat rẽ actu existentem. Secundo, ut nomen, & significat id, quod habet essentiam realem, seu prædicata, quæ non habent repugnantiam ad existendum. Hic solum est sermo de ente ultimo modo accepto.

Adverte secundo, duplicé esse conceptũ. Vnum formalem, qui est actus, vel cognitio realis intellectus, qua obiectum intelligitur. Alterum obiectivum, qui est res intellecta per formalem.

Dico primo. Ens optime, & essentialiter definitur, Id quod potest realiter existere: quæ definitio constat primo ex communi omnium consensu, & modo ens concipiendi. Secundo, quia non tantum ea, quæ actu existunt, sunt entia realia, sed etiam quæ possunt existere, ergo ens est id, quod existere potest. Tertio, quia ideo chimera, & alia entia ficta, simpliciter sunt non entia realia, quia non possunt realiter existere, ergo ens erit id, quod potest existere; neque vero potest alia ratione entis essentia commodius explicari.

Dices. Posse existere, est essentia entis, ergo res existentes actu non habebunt essentiam entis. Patet consequẽtia, quia quod actu existit, non est in potentia ad existendum. Nego consequentiam. Ad probationem dico, maximum discrimen reperiri inter hoc, quod est, posse existere, & esse in potentia ad existendum: nam secundum includit negationem actualis existentiæ cum potentia ad illam obtinendam, quo pacto res possibilis est in potentia ad existentiam, quia caret illa, & eam potest habere, cum à suis causis produci possit; at posse existere solum dicit

potentiam Logicam, id eſt, rem, cui ex natura ſua non repugnat exſiſtere, quod etiam convenit rei actu exſiſtenti, & ita entis eſſentiam ſibi vendicat.

Collige primo. Deum tametſi non poſsit eſſe in potētia ad exſiſtendum, quia eſſentialiter, & neceſſario eſt actu exſiſtens, participare tamen eſſentiam entis, quia illi non repugnat exſiſtere cum actu exſiſtat.

Collige ſecundo. Ens ſecundum illam duplicem acceptionē explicatam notatu primo, non dicere duas rationes entis, dividentis aliquam rationem communem, ſeu conceptum, ſed ſignificare conceptum entis magis, vel minus præciſum: nam ens ut nomen, ſignificat id, quod habet eſſentiam realem, non excludendo, vel negando actualem exſiſtentiam, ſed preciſive ab ea tantum abſtrahendo: ens vero ut participium, ſignificat ipſum ens reale, vel habens eſſentiam realem cum exſiſtentia actuali, & ita magis contractum. Quare nequit præſcindi ratio entis ab actuali, & exſiſtenti, ita ut non ſit, ſaltem ens in vi nominis, id eſt, habens eſſentiam realem.

Dico ſecundo. Ens habet unū conceptum formalem. Probatur primo experientia. Audito namque nomine entis, experimur intellectum noſtrum non dividi, neque diſtrahi in plures conceptus formales; ſed colligi potius ad unum, & unam formare cognitionē, non aliter ac quando concipit animal, vel hominem; ergo ſicut quando concipit hominem format unum conceptum formalem, qui hominem in communi repreſentat, non Petrum, vel Paulum, ita proportione quadam quando cōcipit ens, non cognoſcit clare ſubſtantiā, & accidens in eius conceptu formali.

Secundo, quia ens ex vi ſuæ impoſitionis non ſignificat immediate naturam aliquam ſub determinata, & propria, ratione qua ab aliis diſtinguitur, neque ſignificat plura ut plura clare, quia non ſignificat illa quatenus differunt inter ſe, ſed quatenus conveniunt in hoc, quod eſt eſſe; ergo in mēte ſtatim reſpondet conceptus unus formalis repreſentans talē convenientiam in eſſe preciſe.

Confirmatur, quia ſubſtantia diverſo modo concipitur, quando ſuo proprio nomine concipitur, & quando cōcipitur ſub nomine entis; atqui ſub nomine ſubſtantiæ concipitur ſecundum propriam rationem, per quam differt ab accidenti; ergo ſub nomine entis non cōcipitur ſecundum propriam rationē, per quam diſtinguitur ab accidenti, ſed ſecūdum rationem communem entis, quæ eſt habere eſſe, in quo cum accidente convenit.

Tertio, quia ſi conceptus formalis entis non eſt unus, erunt ergo plures. Quot igitur erunt? non eſt maior ratio de duobus, quam de decem; quia ſi conceptus multiplicantur, neceſſe eſt multiplicentur iuxta diverſitatem entium, quæ vſque in infinitum multiplicari poteſt.

Dico tertio. Cōceptus formalis entis in cōmuni realiter eſt diſtinctus à conceptibus formalibus ſuorum inferiorum: v. g. Dei, & creaturæ ſubſtantiæ, & accidentis. Probatur primo, quia conceptus formalis entis in cō-

muni,

muni, est cognitio repræsentans ens ut sic, & alii conceptus formales sunt cognitiones repræsentãtes rationes peculiares entium inferiorum, sed istæ cognitiones realiter distinguntur, ergo & conceptus formalis entis in communi à formalibus conceptibus inferiorum. Secundo, conceptus formalis entis est unus, inferiorum est multiplex, ergo, &c.

Tertio, quia quæ possunt realiter separari, realiter differunt, sed conceptus formalis entis potest realiter separari à conceptibus formalibus particularium entium, ut si intellectus cõcipiat ens in communi, quin cognoscat particulares rationes entium, ergo conceptus entium, & inferiorum realiter distinguuntur.

Demum probatur, quia de his, quæ ratione distinguuntur, potest intellectus formare plures conceptus realiter distinctos, ut liquet in Iustitia, & Misericordia Divina, quæ ratione solum differunt, & cognoscuntur cognitionibus realiter distinctis; sed ens distinguitur ratione à substantia, & accidenti; ergo intellectus efformare potest distinctum conceptum formalem entis à conceptibus substantiæ, & accidentis.

DVBIVM V.

Detur ne unus conceptus obiectivus entis.

SVppono, Conceptum obiectivũ entis non differre realiter à conceptibus obiectivis inferiorum. Patet ex dictis de universalibus, ubi probavi, naturam universalem non discriminari realiter ab inferioribus; ergo à fortiori ratio entis, quæ magis intima est rebus particularibus, non discriminabitur realiter ab illis.

Dico primo. Ens communissime sumptum, habet unum conceptum obiectivum ratione distinctum à conceptibus obiectivis inferiorum. Huic sententiæ favet Divus Thomas. 1. parte, quæst. 9. artic. 3. ad 1. ubi ita habet: Substantia, quãtitas, & qualitas contrahunt ens, applicando ens ad aliquam quantitatem, & naturam; ergo si inferiora entis contrahunt ens, necessario debet supponi in ente unus conceptus communis, distinctus à conceptibus inferioribus, à quibus contrahitur. Item Aristoteles. 4. Metaphysicę, textu 7. ait: Metaphysicam considerare ens in quantum ens, sub quo alia genera continentur; ergo ens habet unum conceptum obiectivum, distinctum à conceptibus inferiorum entiũ, & generum, quæ sub ipso ente continentur.

Ita Scotus, Iavellus, Soto, Suarez citati, apud Blanch disp. 6. de divisione entis in 10. praedicamenta, sect. 1. Hurtadus disp. 9. Logica, sectio. 4. subsectio. 3. & disput. 1. Met. sect. 3. contra Sonzinã, Herveũ, Frãdrẽsem, Fonsecam citatos apud eundẽ Blãc.

Probatur primo ratione. Quia omnia entia habent inter se similitudinem, & convenientiam in ratione entis, scilicet in hoc, quod est habere esse, per quod discrepant à nihilo; ergo possunt concipi, & repræsentari sub ea præcisa ratione, in qua à parte rei similia sunt; ergo possunt sub ea ratione unum conceptum obiectivum constituere: sicut homo, & brutum, quia conueniunt in ratione communi animalis, secundum illam constituunt unum conceptum obiectivum animalis, distinctum à suis particularibus rationibus.

Secundo, aliqua concipimus certo,

certo,ut entia,& dubitamus, an ſint ſubſtantiæ, vel accidentia, ergo cognitio attingens illa certo ut entia percipit rationē entis,non cognita ratione ſubſtantiæ, vel accidentis. Antecedens patet,nam certo ſcimus dari intellectum,creativam actionem, & alia:non tamen certo ſcimus, an ſint hæc ſubſtantiæ,vel accidentia, in quo aliqui affirmant, aliqui negant;ergo cognitio horum certa eſt de ente ut ſic.

Tertio.Hęc propoſitio eſt idēptica, Subſtantia eſt ſubſtantia. Et hæc formalis, Subſtantia eſt ens, ergo ens debet dicere aliquid diſtinctum à ſubſtantia,vel aliquid diverſo modo cognitū: nam ſi nihil aliud diceret, idem eſſet ens, ac ſubſtantia, & iſta ſubſtantia eſt ens,eſſet idemptica, dicit ergo ens rationem cōmunem diſtinctam.

Cōfirmatur primo, quia tametſi ens imbibatur in differētiis ſubſtantiæ,& accidentis,huiuſmodi tamen differētiæ non claudantur eſſentialiter in ente,(ens enim non conſtituitur per eſſe per ſe, vel in alio, ſed per hoc, quod eſt habere eſſe) ſed poteſt ens cognoſci prçciſe ſecundum quod eſſentialiter includit; ergo ſecūdum rationem communem entis, ut diſtinctam à rationibus particularibus, poteſt habere unum conceptum obiectivum.

Confirmatur ſecūdo.Subſtantia communiſsime ſumpta, includitur in differentiis inferiorum,& tamen habet unum conceptum obiectivum, diſtinctum à conceptibus obiectivis particularium ſubſtantiarum,ſcilicet ens per ſe exiſtens, ergo idem erit in ente cōmuniſsimo,quamquam unus conceptus includatur in alio, non debet eſſe idem cum illo,imopotius eo ipſo quo unus includitur in alio,debet diſtingui ab illo diſtinctione includentis ab incluſo.

Dico ſecundo. Conceptus obiectivus entis non includit in ſe clare, aut confuſe differentias particularium entium, ſcilicet ſubſtantiæ, & accidentis. Non eſt intelligēdum dictum de ente,quatenus eſt totum potentiale; ſic enim certiſsimum eſt dicere differentias ſubſtantiæ, & accidentis; ſicut animal ut totū potentiale dicit differentias hominis,& leonis,nempe rationale,& irrationale;ſed ſolum ſenſus eſt, Sicut hoc, non obſtante rationale, vel irrationale, non ſunt partes actuales, quæ clare, vel confuſe includantur in ratione eſſentiali,& conceptu obiectivo animalis, ſed tota ratio animalis præintelligitur conſtituta ante huiuſmodi differētias, ita ſimiliter eſſe per ſe, & in alio,quæ ſunt differentiæ ſubſtantiæ, & accidentis, non ſint partes actuales, quæ clare, vel confuſe actu claudantur in conceptu obiectivo entis: ſed potius talis conceptus præintelligatur conſtitutus per hoc, quod eſt habere eſſe ante huiuſmodi differētias.Suadetur primo,quia nullæ differentiæ dividentes aliquam rationem ſuperiorem,& conſtituentes illius inferiora,actu, & formaliter clauduntur in tali ratione ſuperiori,adhuc in confuſo,ut inductione probari poteſt: ſemper enim differentiæ addunt aliquam rationem, ratione diſtinctam ab eſſentia ſuperioris, & in eam nullo modo incluſam, ut rationale, & irrationale reſpectu

ſpectu animalis, ſed differentiæ ſubſtantiæ, & accidentis dividunt ens in communi, ergo nullo modo imbibuntur in illo.

Reſpondebis, diverſam eſſe rationem, nam rationale, & irrationale formaliter non ſunt animalia; at vero differētiæ ſubſtantiæ, & accidētis formaliter ſunt entia. Non arridet reſponſio, nā ex eo, quod differentiæ ſubſtantiæ, & accidentis entia ſint, ſolū deducitur in illis ens eſſentialiter includi, non tamen è converſo: ſicut quia homo eſſentialiter eſt animal, ſolum colligitur, animal includi in homine, non vero hominem in animali.

Secundo, quia integra eſſentia entis includitur in quolibet inferiori ipſius entis: v. g. in ſubſtantia, & accidenti, atqui in ſubſtantia non reperitur differentia accidentis, neque in accidenti differentia ſubſtantiæ, ergo differentiæ ſubſtantiæ non includuntur eſſentialiter in ente; ſicut neque rationale, & irrationale includuntur in animali; quia in leone reperitur integra ratio animalis, & non reperitur rationale, & in homine reperitur integra ratio animalis, & non reperitur irrationale.

Tertio, quia ſi differētiæ ſubſtantiæ, & accidentis includerentur in ente, ſubſtantia eſſet ens in alio, & accidens ens per ſe: & iſtæ prædicationes, Subſtantia eſt ens, Accidens eſt ens, redderēt hos ſenſus, Subſtantia eſt ens per ſe, & in alio: Accidens eſt ens in alio, & per ſe: ſicut ſi rationale, & irrationale includerentur in animali. Iſtæ propoſitiones, Homo eſt animal, Leo eſt animal, redderēt hos ſenſus, Homo eſt rationalis, & irrationalis: Leo eſt irrationalis, & rationalis, ſed hoc eſt abſurdum, ergo, &c.

Confirmatur hæc ratio: quia iuxta oppoſitam ſententiam, conceptus entis, & conceptus ſubſtantiæ, & accidentis dumtaxat diſcrepant tanquā unus, & idem conceptus, magis vel minus expreſſus, & ita ſe habent ſicut homo, & animal rationale; ergo quemadmodū de quocunque effertur homo, effertur animal rationale, pariter de quocunque enuntiabitur ens, enuntiabitur ſubſtantia, & accidens.

Quarto. Si differētiæ ſubſtantiæ, & accidentis includerentur in conceptu eſſentiali entis, vel ergo includerētur in illo, ut conſtituentes talem conceptum, vel ut dividētes. Non primum, quia idem conceptus nequit conſtitui per rationes omnino oppoſitas, ut ſunt eſſe per ſe, & in alio. Non ſecundum, nam differētiæ dividentes nunquam ſunt in toto diviſo, ſed in inferioribus diviſis, conſtitutis ex ipſo diviſo, & differentiis dividentibus, ergo tales differentiæ nullo modo includuntur in conceptu eſſentiali entis.

Collige, conceptum obiectivum entis, & conceptus obiectivos ſubſtantiæ, & accidētis diſcriminari, ratione dumtaxat, ut incluſum ab includente, quia omne quod reperitur in ente, reperitur in ſubſtantia, & accidente, non vero è converſo; nam in ſubſtantia, & accidēti includuntur modi eſſendi per ſe, & in alio, minime vero in ente ut ſic.

Oppones primo contra primā dictum. D. Thom. aſſerit, vocibus, quæ de Deo, & creaturis dicuntur, non reſponder eunam ratio- 1. p. q. 13. art. 5.

tionem significatam, sed plures; ergo nomen ens, quod de Deo, & creaturis dicitur, non significat unam rationem obiectivam. Respondeo, divum Thomam nõ negare vocibus, quæ de Deo, & creaturis dicuntur, respondere unam rationem quomodocunque communem, sed rationem propriè genericã, ne Deum cum creaturis in eodem prædicamento collocet: conceptus enim entis, licet unus sit Deo, & creaturis cõmunis, non tamen est proprie genericus, ut constabit ex infra dicendis.

Oppones secundo contra proprium dictum. Aristoteles docet, 8. Met. c. 6. Ens statim esse substantiã, quantitatem, qualitatem, &c. ergo nõ habet unum conceptum obiectivum distinctum á conceptibus particularium entium. Respondeo. Aristotelem solũ velle ens in cõmuni statim dividi in substantiam, quantitatem, qualitatem, &c. ex quo potius sequitur habere unum conceptum obiectivum ratione distinctum à conceptibus inferiorum. Quãdo vero aliis in locis dixit, ens non significare aliquid unum, solum intendit, ens communissimum non significare aliquid univocũ.

Oppones tertio. Ens est analogum ad substantiam, & accidẽs, ergo non habet unũ conceptum obiectivum. Patet consequentia, quia analogum necessario includit plures conceptus, dicit enim idea nomen, & rationem significatam simpliciter diversam, ergo ratio significata per nomen ens, simpliciter erit diversa, atq. ita non significat unam rationẽ, & conceptum obiectivum. Respondeo, in analogis, quæ conveniunt omnibus intrinsece, nomen analogum non significare immediate plura ut plura sunt, sed potius formam illam intrinsecam omnibus communem. Vnde quando communiter dicitur nomen analogũ, significare plura cum aliqua unitate secundum quid, non est sensus, omne analogũ significare immediate plura diversa cum aliqua unitate secundum quid; sed solum nomen analogum significare rationem, quæ in inferioribus sit simpliciter diversa, & inæqualiter participata. Dixi, in analogis, quæ conveniunt omnibus intrinsece, nam analoga, quæ conveniunt uni intrinsece, & aliis extrinsece, immediate significãt plura cum aliqua unitate secundum quid, ut constat in sano respectu animalis, urinæ, & medicamenti.

Oppones quarto contra secundum dictum. Modus essendi per se claudit rationem entis, per quam convenit cum modo essendi in alio, & rationem talis entis, per quam secernitur ab illo, ergo non solum substantia est resolubilis in duos conceptus, sed etiam eius differentia, seu modus. Rursus, illa alia particularis ratio, per quam discrepat modus essendi per se à modo essendi in alio, claudit etiam alios duos conceptus, scilicet rationẽ entis, & rationem talis entis, & similiter hæc alia, & sic in infinitum, ergo ex nostra doctrina, sequitur processus in infinitum, quod videtur absurdum. Respondeo, nullum esse inconveniens in his formalitatibus partialibus, & incompletis, unam rationem totalem integrantibus admittere processum in infinitum.

Collige primo ex dictis. Conceptum

ceptum ſubſtantiæ, vel accidentis non eſſe reſolubilem in duos conceptus adæquate diſtinctos, quia caret cõpoſitione duarum partium ſeſe mutuo excludentium.

Collige ſecundo. Ens non cõtrahi, & determinari proprie ad ſubſtantiam, & ad accidés, quia non contrahitur per aliam partem formalem, in qua non imbibatur: eodé modo philoſophandum eſt de aliorum tranſcendẽtium contractione, ut de individuo in cõmuni ad hoc, & illud, & aliis ſimilibus.

DVBIVM VI.

Num ens habeat unum conceptum obiectivum ad intrinſecum, & extrinſecum.

DICO breviter, ens intrinſecum, & extrinſecum non habent unum conceptũ obiectivum. Probatur primo, quia ens extrinſecum nõ eſt aliquod ens diſtinctum ab intrinſeco, ergo non habet convenientiã cum illo in una ratione entis præciſa ab utroque. Conſequẽtia liquett Convenientia inter duas res ſupponit earum diſtinctionem. Antecedens probatur: Denominatio extrinſeca (ut probavi Diſp. 1. de Ente rationis, dubio 2.) non eſt quid diſtinctum à forma denominante: nam eſſe viſum nihil eſt diſtinctum à viſione denominante. Secundo: Denominatio intrinſeca non eſt quid diſtinctum ab ipſa forma intrinſeca eſſentialiter, vel accidentario applicata, & ex conſequenti non convenit cum forma in aliqua ratione entis; ergo etiam extrinſeca denominatio non eſt ens diſtinctum ab ipſa forma applicata, neque conveniet cum illa in aliquo eſſe.

Ita D. Tho. in 1. d. 19. q. 5. art. 3. ad 2. Suarez di ſp. 2. Met. ſect. 1. n. 14. Conim. q. 1. art. 3. de Analogia.

Inſurgis primo. Sæpe cognoſcimus aliqua eſſe entia, dubitãtes, an ſint intrinſeca, vel extrinſeca; ergo obiectum talis actus nequit ens eſſe intrinſecum, aut extrinſecũ, ſed aliquid ſuperius his. Antecedens probatur. Eſſe viſum, intellectum, amatum, agens, præſens, durans, veſtitum, dubitatur, ſit ne quid intrinſecum, an extrinſecum; ergo quãdo hæc cognoſcũtur eſſe entia, & ignoratur, an ſint intrinſeca, vel extrinſeca, aliqua ratio entis abſtrahi cognoſcitur. Reſpond. nimium probare, quia ſæpe concipimus aliqua ut entia, cum dubio ſintne entia realia, vel rationis, & tamen non datur ratio communis enti reali, & rationis; in illo ergo eventu cognoſcitur aliquid intrinſecum, & aliquid extrinſecum: dubiumque eſſe quodnam ex illis tale appelletur, v. g. cum certo ſcimus rem eſſe præſentem, cognoſcimus certe corpus, & correſpõdentiam illius, & dubitamus, an id quod nomine præſentiæ ſignificatur, ſit corpus ut extrinſecum loco, & propinquũm an vero modus intrinſecus, ratione cuius res ſit præſens in ſpatio. Vnde non concipitur ratio communis enti intrinſeco, & extrinſeco, aliàs eodem fundaméto probaret præſentiam præſcindi ab intrinſeca, & extrinſeca. Scio enim certo dari præſentiam, nõ tamen, an intrinſeca, vel extrinſeca ſit.

Inſurgis ſecundo. Ens intrinſecum,

secum,& extrinsecum habent aliquam convenientiam realem in hoc,quod est habere esse realiter independens ab intellectu, ergo si præcisè cõsiderentur secundum istam convenientiam, cognoscetur una ratio communis. Consequentia patet,quia in hac convenientia nulla est dissimilitudo,sed ratio non est multiplex in intellectu, nisi cognita aliqua dissimilitudine,ergo hæc ratio convenientię,ut sic cognita,erit una. Respondeo,non dari propriam convenientiam, & similitudinẽ,quia non datur propria distinctio cum ens extrinsecum,ut dixi, non differat ab intrinseco ; semper ergo concipitur idem ens intrinsecum, licet respectu diversorum dicatur intrinsecum,& extrinsecum; semper autem forma realis, tam respectu termini intrinseci, quam extrinseci, dependens est ab intellectu.

Insurgis tertio. Ab omnibus entibus dependentibus obiective ab intellectu, abstrahitur unica ratio entis, dependentis ab intellectu, quæ est ens rationis; ergo ab omnibus entibus independentibus ab intellectu, abstrahi poterit ratio entis indepẽdẽtis ab intellectu, quæ erit ens reale,sed hęc ratio competit enti intrinseco,& extrinseco, ergo est ab utroque præcisa. Respondeo concedendo cõsequentiam: Ea tamen entia independentia ab intellectu proprie, solũ sunt intrinseca.

Dices. Has solutiones elevare vim similium argumentorum, quibus superiori dubio stabilivimus, conceptum unum entis substantiæ, & accidenti, verum si recte perpendantur, nec tantillum eorũ infringunt robur: nam substantia,& accidẽs entia sunt distincta,& realia,ideoque concipi possunt ut convenientia, & similia in ea ratione, quod non reperitur in ente intrinseco, & extrinseco,item cum substantia, & accidens distincta sint inter se eo ipso, quod clare,& certe non cognoscam differentiam substantiæ, & accidentis, imo de illis ambigam attingo certe rationẽ entis abstractam, quia non aliter abstrahitur,quam non attingendo clare differentias.

DVBIVM VII.

An sit admittendus unus conceptus obiectivus entis physice completi.

SVppono,ens completũ physice esse illud, quod per se ad constituendum aliquod compositum physicum minime ordinatur,ut homo. Ens physice incompletum est, quod per se ad tale compositum conflandum ordinatur, ut materia, & forma substantialis.

Sit assertio. Supra decem prędicamẽta communiter assignata, admittendus est communis conceptus entis physice completi. Probatur primo. Decem prædicamenta sunt entia physice cõpleta,ergo conveniunt in ratione entis completi,ergo datur unus conceptus entis physice cõpleti communis illis. Hæc ultima consequẽtia liquet,quia ideo datur unus conceptus animalis cõmunis homini, & leoni, quia conveniunt in ratione animalis;

lis; & ideo datur unus cõceptus entis cõmunissime sumpti, quia omnia entia conveniunt in illo, sed decem prædicamenta similiter conveniunt in ratione entis completi physice, ergo datur unus conceptus entis physice completi communis illis. Roboratur, quia corpus, & spiritus conveniunt in ratione substantiæ completæ, datur unus communis conceptus substãtiæ physice completæ; & quia quantitas, & qualitas, quæ ponũtur in prædicamẽtis, conveniunt in ratione accidentis completi physice, datur unus conceptus accidentis physice cõpleti; ergo quia substantia cõpleta, & accidens completũ conveniunt in ratione entis completi physice, dabitur etiam una ratio entis physice cõpleti.

Respondebit quispiam, diversam esse rationem, quia substantia, & quãtitas habẽt aliquid, per quod compleantur, nempe subsistentiam, & inhærentiam; at vero ratio entis in communi caret complemento, cum nequeat compleri per inhærentiã, vel subsistentiam, quæ sunt cõplemẽta substãtiæ, & accidẽtis, à quibus abstrahitur. Sed contra manifestissime, quia tamẽtsi ratio communis entis non compleatur per aliquod complementum particulare inhærentiæ, & subsistentiæ, completur tamen per complementum in communi sibi proportionaliter respondens: quia sicut ipsa ratio entis non est substantia, neque accidens, sed abstrahit ab utroque, & est quid commune illis, ita complementum entis neque est subsistentia, neque inhærentia, sed abstrahit ab utroque, & est modus utrique communis, ergo, &c.

Dari autem complementum in communi, patet, quia substantia, & accidens conveniunt in ratione entis, datur ratio entis communis substantiæ, & accidẽtis; ergo quia subsistentia, & inhærentia conveniunt in ratione complementi, dabitur complementum in communi, per quod compleatur ens in cõmuni. Confirmatur: ab omnibus subsistentiis abstrahitur subsistentia in communi, per quam substantia in communi completur, & ab omnibus inhærentiis inhærentia in communi, per quam accidens in communi completur; ergo similiter ab omnibus complementis, scilicet à subsistentiis, & inhærentiis abstrahitur complementum in communi, per quod completur ens ut sic, abstrahens ab omnibus entibus physice, & realiter completis.

Collige in fine primo, huiusmodi conceptum entis physice completi, claudi in differentiis entiũ physice completorũ. Aliqui Recentiores hoc probãt, quia differentia, exempli causa rationale, sumitur à tota entitate physica hominis; ergo formaliter includet totam rationem entis physice completi. Hęc ratio solum probat, meo iudicio, differentiam rationale realiter includere rationem entis physice completi, non tamẽ formaliter: nam in simili forma probarem, rationale esse substãtiam subsistentem complete, & vivens, ac sentiens, quia sumitur à tota entitate physica hominis, quæ est substantia complete subsistens, & vivẽs, ac sentiens: quod tamen respuent isti

authores; probandum ergo est ita, quia ens physice completū, dicit id, quod potest existere realiter, & non ordinatur per se ad physicum compositum; sed totum id habet rationale ut est manifestum, ergo est formaliter ens physice completum.

Collige secundo. Ab omnibus entibus physice completis, & per se stantibus, posse abstrahi unam rationem communem entis physice completi per se stantis. Enodatur, quia in entibus completis, genera, species, & individua non solum sunt entia completa, sed etiam per se stantia, quod consistit in hoc, quod concipiātur per se, & non per modum alteri adhærentis ad distinctionem differentiarū, quæ quamquam sint entia physice completa, non sunt tamen per se stantia, sed alteri adhærentia, scilicet generi quod contrahunt; ergo sicut ab omibus entibus physice completis potest abstrahi una ratio entis physice completi, ita ab omnibus entibus completis per se stantibus, potest abstrahi una ratio entis physice completi per se stantis.

DVBIVM VIII.

Num conceptus obiectivus entis, sit præcisus à differentiis inferiorum.

PRæmoneo. Longe diversum esse rem aliquam habere conceptum obiectivum ratione diversum, vel ratione præcisū ab aliis rebus. Ad primū enim sufficit, posse unā rem agnosci alia non cognita, & quod non constituatur per differentiā alterius, hoc pacto se habent animal, & homo: potest enim cognosci animal homine non cognito, & non constituitur animal per rationale, per quod homo conflatur. Ad secundū verò amplius requiritur, nempe ut mens separet, & excludat unam rem ab alia, ita ut non maneat imbibita in illa, à qua separatur: v.g. Animal habet conceptū obiectivum præcisum à rationali, quia ita per intellectū abstrahitur, & separatur ab illo, ut non maneat formaliter inclusum in illo, imo potius integra rationalis essentia maneat, etiam si animal per rationem ab illo excludatur. Hoc declarari potest in separatione, & distinctione reali; nam aliud est, unam rem discriminari realiter ab alia, & aliud separari, & præscindi realiter ab illa: anima enim est realiter distincta à corpore, etiam si nō sit realiter separata ab illo; ergo pariter aliud erit unam rem esse ratione diversam ab alia, & aliud esse separatam, vel præcisam ratione ab illa. Item sicut tunc una res separatur realiter ab alia, quando non manet realiter in illa, à qua separatur: v. g. tunc corpus quoddam separatur ab aliquo loco, quando non manet in illo, ita tunc unus conceptus erit præcisus, & abstractus ab alio ratione, quādo non manebit inclusus in illo, à quo præscinderur, & abstrahetur.

Placitum primum. Ens communissime sumptum nō habet unum conceptum præcisum à differentiis inferiorum. Probatur, quia quod imbibitur in differentiis inferiorum, non habet

conce-

conceptum præcisum ab illis, sed communissima ratio entis intime clauditur in differentiis inferiorũ, ergo non habet conceptum obiectivũ ratione præcisum ab illis. Idem dicendum est de ente completo physice, nam ut vidimus superiori dubio, etiam imbibitur in differentiis suorum inferiorum.

Placitum secundum. Ens completum physice per se stans, habet conceptũ præcisum ratione à differentiis substantiæ, & accidétis. Prob. quia quãquam differentiæ substantiæ, & accidentis sint entia physice completa, tamen non sunt per se stantia, sed adhærentia superiori, quod contrahunt; ergo ens completũ physice per se stans, habet conceptũ præcisum ratione à differentiis substantiæ, & accidentis.

Dices primo. Conceptus entis completi per se stantis nequit convenire accidẽtibus, quæ sunt alteri adhærentia; ergo à substantia, & accidenti nequit abstrahi communis conceptus entis cõpleti per se stantis. Respondeo, accidentia esse formas alteri adnærentes, tanquã subiecto cui adveniunt; non vero tanquam superiori, quod contrahunt eo modo quo differentiæ; in præsenti autem per se stans, accipitur prout significat non adhærere alteri tanquam superiori quod contrahat, quod accidentibus etiam convenit nam de omni genere, & specie tam substantiali, quam accidentali verificatur, quod efferatur, & prædicetur in quid, & per modum per se stantis, ut liquet in colorato respectu albi, & nigri; & in nigro respectu huius, & illius nigri.

Dices secũdo. De ratione entis per se stantis est, ut non contrahat rationem aliquam superiorem, sed quod sit contrahibile per suas differentias; sed individuum est contrahibile per aliquas differentias, cum sit ultimate contractum, ergo individuum non participat rationẽ entis per se stantis. Respondeo negãdo maiorem. Ad hoc enim ut aliquid sit per se stans, non debet esse aliquid contrahibile, sed sufficit ut non adhæreat alteri, quod contrahat, sicut differentia individuum autem, licet non possit contrahi per differentias aliquas, tamen non adhæret alteri, quod contrahat, & ita est per se stans.

DVB. VLTIMVM.

An conceptus obiectivus entis sit univocus, vel analogus.

ENS ad tria comparari potest. Primo, ad ens reale, & rationis. Secundo, ad Deum, & creaturas. Tertio, ad substantiam, & accidens.

Præmitto primo: ens non esse æquivocum ad reale, & rationis, quia quæ significantur nomine æquivoco, non dicunt aliquam habitudinem, & proportionem; sed ens rationis dicitur ens per habitudinem, & proportionem ad ens reale, ergo ens ad reale, & rationis non est æquivocum.

Præmitto secundo: ens ad reale, & rationis non esse univocũ, sed analogũ proportionis, quia illud est analogum proportionis, cuius ratio propria est in

uno

uno analogato, in alio verò im proprie per metaphoram, & similitudinem ad aliud; sed ratio entis proprie dumtaxat, convenit enti reali, & rationis impro prie, & per metaphoram ad ens reale, ad cuius similitudiné effi citur; ergo ens ad reale, & rationis est analogum proportionis.

Præmitto tertio. Ens communissime sumptũ, esse analogum transcendentiæ, quia includitur in differẽtiis inferiorum. Idem dicendum est de ente, dumtaxat physice completo, quia etiam transcendit differẽtias inferiorũ. Modo supereſt exponamus, an ens physice completum, & per se stans, collatum ad sua inferiora, nimirũ ad substantiam, & accidens ex una parte, & ad Deum, & creaturas ex alia, sit univocum, vel analogum. Difficultas præsens nobilissimũ occupat locum inter graviores, eam aliqui moderni conantur expedire, sed aliqui eam maximis difficultatibus involvunt, nos pro nostro captu eam enodare conabimur.

Sit placitum primũ. Ens completum per se stans ad accidẽs, & substantiam abstractã à creata, & increata, univocum est. In hanc conclusionem forte veniẽt cõtrarii, cum tollatur ratio dependentiæ, quę obstat in eorum sententia. Sic probo: quia licet in eorum sententia, ens ad substantiã, & ad accidens non possit gaudere ratione univoca, quia accidens dependet à substantia, & ubi datur dependentia, datur analogia; atqui accidens non dicit dependentiam à substantia abstracta à creata, & increata; ergo saltem respectu illorum non militat ratio, quæ illos movet. Minor mihi evidenter probatur, quia substãtia abstracta à creata, & increata non est receptiva accidentium, ergo cõceptus entis respectu substantiæ sic abstractę, & accidentis, non se habet in uno dependenter, & in alio independenter.

Placitum secũdum. Ens completum per se stans ad substantiam creatam, & accidẽs est etiam univocũ. Probatur primo, quia conceptus entis per se stãtis, non imbibitur indifferẽtiis substantiæ, & accidentis, ut superiori dubio vberrime remanet probatum. Differẽtiæ namque cum sint quasi formæ generis, quamvis sint entia physice completa, non sunt per se stantia, sed alteri adiacentia, scilicet generi; neque cõvenit substantiæ proprie, & accidenti improprie; nec substantiæ intrinsece, & accidenti extrinsece, ut liquet; ergo conceptus entis completi per se stãtis est univocus.

Dices. Rationem entis completi per se stantis, participari ab accidenti per dependentiam à substantia, nam est ens in alio, & dependentiam causare analogiã attributionis. Sed contra; quia actus vitalis intellectus est qualitas dependens à potentia intellectiva, sicut accidens est dependens à substãtia; atqui hæc dependentia non obstante, ratio qualitatis est univoca ad potentiam intellectivam, & actum ipsius; ergo non obstante eadem depẽdentia, ens erit univocum ad substantiam, & accidẽs. Maior probatur, quia ideo accidens depẽdet à substantia, quia educitur cum depẽdentia ab illa tanquam à causa materiali,

Pro hoc placito stat Scotus in 1. distin. 3. q. 1. & in 3. distin. 8. q. 1. cuius sectator extitit magister meus Blach, qui hanc opinionem Scotică illustravit, & iam fere temporis oblivione exti neratam illã ex integro stabilivit, firmavit, solidavit.

teriali, & illi adhæret, sed similiter actus vitalis intellectus educitur cum dependētia ab intellectu tanquam à causa materiali, & illi adhæret; ergo sicut accidens dependet à substantia, ita actus intellectus à potentia intellectiva.

Respondebis, fortasse magnū esse discrimen, nā accidens pendet à substantia in ratione entis, actus vero intellectus non pendet ab intellectu in ratione qualitatis, sed talis qualitatis. Sed instō ulterius, quia etiam accidens non pendet à substantia in ratione entis communi, sed talis entis: nam quemadmodum ut actus intellectus intelligatur pendens à potentia intellectiva, debet considerari secundum rationem particularem qualitatis, scilicet actus, ita ad hoc ut accidens intelligatur pendens à substantia, debet concipi secundum particularem rationem talis entis, scilicet accidētis, siquidem ut sic solum est ens pendens ab alio; si vero accidens concipiatur prœcisè ut ens, non cōcipitur ut pendens à substantia; sicut si actus concipiatur prœcisè ut qualitas, non concipitur ut pendens à potentia.

Respondent nonnulli, actum dependere à potentia, sed etiam potentiam depēdere ab actibus à posteriori, sicut causa ab effectu pendet à posteriori, & hoc sufficere ut inter potentiam, & actum non sit analogia, quia est mutua dependentia. Sed cōtra, quia etiam inter substātiam, & accidens datur mutua dependentia, nam non solum accidēs dependet à substantia, sed etiam substantia dependet ab accidente à posteriori; sicut omnis causa dependet à suo effectu, nam substantia est causa saltem receptiva accidentis. Confirmatur. Materia prima dependet à formis, & intellectus ab intellectionibus, à posteriori ergo pariter substantia ab accidentibus, cum non minus substantia sit causa materialis accidentiū, quam materia, & intellectus formarum, & intellectionum.

Respondēt communiter Recentiores, dependentiam actus à potentia non causare analogiam in qualitate, bene vero dependentiam accidētis à substantia in ente, quia qualitatem participari prius à potentia, quam ab actu, provenit ratione differentiarum inferiorum, non vero ratione qualitatis in communi, nam ista ex se æqualiter postulat descendere ad sua inferiora; at vero ratione entis participari prius à substātia, quam ab accidenti, provenit ratione entis, quæ quantū est ex se postulat prius descendere ad substantiam, quam ad accidens. Si autem quis roget: Vnde deducant ens ex se postulare prius descendere ad substantiā, quam ad accidens, & non qualitatem ad potentiam, quam ad actum. Respondent, deduci ex eo, quod intra limites entis omnia inferiora pendent ab uno, scilicet omnia accidentia à substantia; at vero intra limites qualitatis, non omnes qualitates depēdent ab una, licet actus dependeāt à potentia. Quando autem inferiora alicuius superioris ita se habent inter se, ut detur unum, à quo alia omnia pēdeant, tunc ratio superior ex se postulat prius descēdere ad illud unum,

quam ad cætera inferiora, & ita tunc talis dependentia univerſalis omnium inferiorũ ab uno cauſat analogiam; quando vero inferiora ita ſe habent, ut non detur unum, à quo alia omnia dependeãt, ſed ſolum aliqua ab aliis, tunc ratio ſuperior nõ poſtulat ex ſe deſcendere ad unum prius quam ad aliud, & ita talis dependentia particularis non cauſat analogiam. Sed contra. Primo, quia licet ſub qualitate in communi, præter potentiam, & actum contineantur plura inferiora, inter quæ non detur dependentia, tamen ſub qualitate vitali ſolum continentur actus, & potentia; atqui omnes actus pendent à potẽtia, & tamen qualitas vitalis ad potentiã, & actum non eſt analoga, ſed univoca, & generica; ergo etiam quãdo omnia inferiora alicuius ſuperioris ita ſe habent, ut ab uno reliqua pendeant, adhuc talis ratio ſuperior non erit analoga.

Reſpondebis iterum. Dependentiam omnium actuum à potentia eſſe intra eandem categoriam qualitatis, & ideo non cauſare analogiam; dependentiam vero omnium accidẽtium à ſubſtantia illam cauſare, quia eſt extra, cum accidens, & ſubſtantia ſpectent ad diverſas categorias. Sed contra, quia dependentia univerſalis omnium inferiorum ab uno poteſt reperiri inter res pertinentes ad eandem categoriã; ergo dependentia univerſalis omniũ accidentium à ſubſtantia, non obſtabit quo minus ſubſtantia, & accidens pertineant ad eandem categoriam entis, & conſequenter non tollet rationem entis eſſe univocã, & genericam ad ſubſtantiam, & accidens.

Secundo impugnatur penultima reſponſio, quia omnes formæ materiales dependent à materia, & nihilominus ſubſtantia univoce de illis enuntiatur; ergo tametſi omnia accidentia dependeant à ſubſtantia, ratio entis univoce de illis prædicabitur.

Tertio, dependentia accidentium à ſubſtantia non eſt univerſalis, quia non omnia accidẽtia habent dependere à ſubſtantia; nam modus eſſendi per ſe, quantitatis in Euchariſtia, & cuiuſcunque alterius accidentis, quod divinitus exiſtere poteſt extra ſubiectum, eſt accidentalis, & tantum abeſt ut depẽdeat à ſubſtantia, ut habeat omnimodam repugnantiam dependendi ab illa; ergo adhuc iuxta regulam ab illis adductam, ens non poſtulabit deſcẽdere prius ad ſubſtantiam, quam ad accidens. Nec obſtat quod depẽdeat à Deo, quia nunc non comparamus ens reſpectu Dei, & creaturæ, ſed ſolum reſpectu ſubſtãtiæ, & accidentis creati.

Poſtremo impugnatur efficaciſſime reſponſio Antagoniſtarum, quia ut dicemus in libris de generatione, & admittunt cõtrariæ partis propugnatores, accidentia non ſubiectantur in ſubſtantia completa, ſed in materia prima; atque adeo accidentia non dicunt dependentiam à ſubſtantia completa ut ſic, ſed à ſubſtantia incompleta, ſcilicet à materia prima; atqui in præſenti conferimus ens completum ad ſubſtantiam completam ut ſic, & ad accidẽs completum ut ſic; ergo cum inter iſta inferiora non detur dependentia,

non

non dabitur pariter analogia.

Vrgent demum adversarii, dicendo, quod tametsi accidentia recipiantur, & subiectentur in materia prima, pendent tamen à toto composito, scilicet à substantia completa tanquã à subiecto denominationis, ut liquet in quantitate, quæ licet inhæreat materiæ primę, denominat substantiam completam quantam. Sed hoc refellitur ex doctrina tradita ab ipsis, meo iudicio, evidenter, quia ad hoc ut aliqua dependentia causet analogiam, debet esse universalis, scilicet omnium inferiorum ab uno; atqui omnia accidẽtia non pendent à substantia completa, adhuc tanquam à subiecto denominationis, quia multa accidentia non denominant substantiã completam, ut patet in accidentibus modalibus, quæ recipiuntur in materia prima, qualia sunt præsentia, & relatio, quæ non denominant præsentem, & relatam substantiam cõpletam, sed solum materiam primam, quod clarius liquet in relatione distinctionis, & diversitatis realis, quam dicit materia prima respectu substantiæ complętę, siquidem hæc relatio nullo modo potest denominare ipsam substantiam completam diversam realiter ab ipsa; ergo accidens completum non dicit universalem dependentiam à substantia completa ut sic, adhuc ut à subiecto denominationis, & consequẽter ens completum per se stans univocum erit ad substantiam, & accidens.

4. *Metaph. cap. 2, in initio.* Oppones primo. Aristoteles asserit, sic se habere ens ad entia, sicut sanum ad animal, urinam, & medicamentum, sed ad hæc sanum est analogum, ergo & ens ad entia. Respondeo, Aristotelem hic conferre ens cum ente reali, & rationis; nam inter entia enumerat etiam privationes, quas appellat aliquo modo entia: quod interpretatur Fõseca cum Alberto, & D. Thoma, de privationibus quatenus entia rationis sunt; at ens respectu realis, & rationis est analogum. Vel respondeo, Aristotelem vocasse ens analogum improprie, propter dependentiam accidentis à substantia. Vnde non debet comparari ens in omnibus cum sano, nam revera ens convenit intrinsece substantię, & accidenti, & sanum solum animali convenit intrinsece urinę, & medicamento extrinsece; similitudo igitur in hoc solum posita est, ut sicut medicamentum, & urina dicuntur sana per habitudinem ad animal, ita accidens dicatur ens per habitudinem ad substantiam, & ita sicut illud est analogum, ita & istud aliquo modo, scilicet improprie.

Oppones secundo. Quando aliqua univoce conveniunt unũ per aliud, minime definitur, ut docet Aristoteles, atqui accidẽs per substantiam definitur, ergò non conveniunt in ratione entis tanquam univoca ipsis. Respondeo, Aristotelẽ solum velle ea quæ conveniunt univoce, rõ posse unum per alterum definiri in illa ratione, in qua univoce conveniunt: unde neque accidens in ratione entis per substantiam, ut est notum, definitur, sed in ratione accidentis, in qua univoce non convenit cum illa, sicut actus in ratione qualitatis, in qua univoce convenit

5. *Metaph. cap. 1.*

cum potentiâ, non definitur per potentiâ, neque è converso; bene vero secundum particulares rationes, in quibus non conveniunt univoce.

Oppones tertio. Terminus univocus significat immediate unam aliquam rationem præcisam, & communem inferioribus; atqui ens non significat unam rationem, sed plures, ergo non est univocum. Minor patet, nam ens immediate dicitur de substantia, & accidenti, ergo dicit immediate substantiam, & accidens, quę sunt plures rationes, & non una cõmunis præcisa. Nego minorem. Ad probationem admisso antecedẽti, nego consequẽtiam: nam licet ens immediate prædicetur de substantia, & accidenti, non inde efficitur ea immediate significare, sed rationem aliquam communem entis, quæ illis immediate conveniat; sicut animal immediate solum significat rationem abstractam animalis, & nihilominus quia hæc ratio cõvenit immediate homini, & leoni immediate, de illis quoque prædicatur.

Oppones quarto. Si ens completum physice, & per se stans, esset univocum ad substantiam & accidens, etiam esset genus, eum esset pars materialis contrahibilis per differentias specie distinctas, substantiæ scilicet, & accidentis, sed hoc est absurdũ: quia daretur dum taxat unum genus supremum, & cõsequenter unum prædicamentũ, cum tot sint prædicamẽta, quot sunt genera suprema, quod est contra Aristotelem, assignantẽ in hoc loco, & in aliis decem prædicamenta, ergo ens completum per se stans non est univocum ad substantiam, & accidens. Respondeo cum nostro Blanch, cõcedendo ens completum, & per se stans esse genus, & unicum dum taxat cõstituere prædicamentum. Ad Aristotelem autem dico, potius attendisse ad diversos effectus, quos tribuunt accidentia substantię, quam denominant quantã qualem relatam, &c. quam ad univocam, & genericam convenientiam substantiæ, & accidentium in ente, ut clarius enodaret has entitates tam distãtes, ideoque decem constituit classes, claritatis gratia, non negando aliquod supra ipsas posse supremum genus reperiri. Nos vero strictius loquentes, tametsi de his omnibus, ac si decem classes essent simus disputaturi, etiam claritati studentes, probabilius tamẽ sentimus hæc omnia convenire univoce, & generice in ratione entis cõpleti per se stantis, constituentis simpliciter unicum prædicamentum. Quod dictum in prædicamentis realibus, similiter intẽtum habemus in prædicamentis rationis. *Disp. 6. sect. ultima.*

Quæres primo. An ens completum physice, & per se stans, sit univocum ad Deum, & creaturas? Respondeo affirmative, quia nõ includitur in illorum differentiis, quæ semper concipiuntur alteri adiacentes; tum etiam quia dependentia creaturæ à creatore nõ obstat ad univocationem, ut vidimus supra.

Dices: Ergo in Deo datur metaphysica compositio ex ente completo per se stante abstracto à finito, & infinito, & propria differentia, quæ obstat divinæ simplicitati. Respondeo conce-

concedendo talem metaphysicam compositionem, & negando obstare divinæ simplicitati: sicut enim simplicitati divinæ non obstat attributa virtualiter inter se discriminari, & relationes ab essentia, ita neque illi obstabit huiusmodi compositio rationis.

Quæres secũdo. An ens, quod est univocum ad Deum, & creaturas, sit genus. Et, An Deus possit collocari in prædicamento entis completi cum creaturis. Ad primum respondeo, Si quis dicat genus non requirere plures species, admittere poterit esse genus; si vero asserat cũ patre Blanch, indigere pluribus speciebus, (quod existimo probabilius) & Deus species non sit, nihil mirum quod non sit genus. Et hoc admisso, nihil video quod obstet, quo minus Deus collocetur in eodem prædicamẽto cum creaturis, siquidem eadem ratio de utrisque prædicatur. Hęc satis sint pro re tam difficili, & subtili.

CAPVT QVINTVM.

De Substantia.

SVMMA CAPITIS.

SVPPOSITA partitione substantiæ in primam, & secundam. Primo, utramque definit Aristoteles in hoc capite. Secundo, confert primas substantias cum secundis. Tertio, attributa, & proprietates substantiæ enumerat. Totum hoc elucido explanatione textus.

EXPLICATVR Textus.

SVbstantia autem, &c. Iam in particulari de Prædicamentis disserit, & primo loco de substantia, quæ nobilius est, & præstantius, & altior sedes maioribus exhibenda. Substantia quatuor appellationes habet. Prima est pro essentia. Secunda pro eo, quod non est accidens. Tertia pro substantia cõpleta prædicamentali, & hęc est propria. Quarta, ens per se existens, & hæc valde propria est.

Post divisionem substantiæ in primam, & secundam illas definit. Prima est, quæ nec de subiecto aliquo dicitur, nec in subiecto est. Hic dici de subiecto, sumitur pro prædicari de inferioribus, qua ratione naturę universales nõ sunt prima substantia.

Secunda vero substantia, &c. Secundas substantias definit in hunc modum. Secundæ substantiæ sunt genera, & species, in quibus insunt primæ, id est, sub

quibus primæ ut inferiora continentur: unde quodlibet singulare non est secunda substãtia.

Manifestum autem, &c. Rationem reddit ex allata doctrina explicans, dici de subiecto esse de illo prædicari, & cum hoc habeant secundæ substantię respectu inferiorum, hinc est ut dicat esse genera, species, &c. Esse autem in subiecto, est illi inhærere, qualiter inhærent accidentia; sic affirmamus hominem esse coloratum.

Alia vero omnia, &c. In hac secunda parte capitis confert, primas substantias cum secundis, & primas vocat maxime substãtias, nam quę ponuntur in prædicamentis sunt in primis, sic animal in homine exsistit, &c. & color in subiecto singulari. Nota tamen, dici magis substantias, quia magis substant aliis, quia quo magis alia sunt in alio, aliud magis est per se.

Secundarum vero substantiarum, &c. Confert secundas substantias inter se, & ait, species esse magis substantias, quam genera, quia viciniores sunt primis substantiis, genera vero remotiores; & species magis explicãt naturam primarum substantiarum, quam genera: si enim naturam Petri explanare velimus, melius id prestabimus per hominem, quam per animal.

Ipsarum vero specierum, &c. Comparatis speciebus infimis inter se, docet primas esse æqualiter substantias, quia omnes æque independentes sunt in exsistendo, cum nulla egeat subiecto inhæsionis, vel prædicationis, & omnia in illis sunt.

Commune autem, &c. Hæc est ultima pars capitis, proprietates numerat substãtiæ; primam non esse in subiecto, quæ quadrat cum utraque substantia: & licet secunda substantia de prima dicatur, non dicitur de ea tanquam de subiecto inhæsionis, quod est proprium accidentium, sed ut de inferiori.

Inest autem, &c. Secunda proprietas, vel attributum substantiæ est univocę prædicari, & rectę; nam omnis substantia aut prædicatur ut species de individuo, aut genus, aut differentia de speciebus, quæ prædicationes sunt univoce: ut enim supradictũ est, solæ secundæ substantiæ sunt prædicabiles: hæc autem iam probabimus esse genera, vel species, &c. Primæ de nullis efferuntur. Hoc attributum non cõvenit omni substantiæ.

Omnis autem substantia, &c. Tertia proprietas est, significare hoc aliquid, id est, rem certam, & determinatam. Hæc solum convenit primis substantiis, nã secundæ substãtiæ quale quid, potius significant, id est, gradus superiores, & universales primis substantiis, & ita sunt veluti formæ, & qualitates respectu inferiorum, de quibus efferuntur.

Competit præterea, &c. Quarta proprietas est, non habere contrarium. Convenit primis, & secundis substantiis, intelligitur tamen de contrarietate propria, quæ dumtaxat in qualitatibus reperitur: quare licet ignis aquæ contrarietur, hoc tamen non contingit ratione substantiarum, sed ratione qualitatum. Hæc proprietas etiã quantitati convenit.

At vero substantia, &c. Quinta pro-

proprietas est, nõ suscipere magis, & minus, nam idem homo non dicitur magis homo quam alter. At quando Aristoteles ait, unam substantiam esse magis substantiam quam aliam, sumit illam non in esse substantiæ, sed in esse subsistentis; idque verum est, nam quædam subsistit, quædam non subsistit.

Maxime vero, &c. Sexta proprietas, quam vocat Aristoteles Maximepropriam, est susceptivam esse contrariorum, id solis substantiis competere, probat Philosophus: nam idem homo modo est calidus, modo frigidus in eadem numero substantia. Dices: Oratio est vera modo, & postea falsa; atqui Oratio est accidens, ergo accidens etiam est susceptivum contrariorum. Respõdet Aristoteles, orationem suscipere contraria accidentia diverso modo ac substãtia illa recipit; nam substantia recipit contraria cum sui mutatione, oratio vero per mutationem factam in alio: nam hæc oratio, Petrus currit, recipit cõtraria per mutationem factam in Petro, oratio enim non mutatur, sed res; nam ex eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa.

DISPVTATIO TERTIA.

De essentia, & partitione substantiæ.

NObilius membrum entis substantia iudicatur, ipsaque iure optimo sedem tenet cum præcellentia ad accidens; ideoque prius de illa egit Philosophus, nam nobilitas in potiori loco adhibenda est: & quia cum ipsa sit omnium accidentium vehiculum, & quasi fulcrum, nihil mirum prius de fundamentis cogitemus, quam de iis, qui in illis innituntur: quod si accidentia substãtiæ innitũtur, res ipsa exigit, ut prius de substantia incidat sermo.

DVBIVM I.

De quidditate Substantiæ.

NOta primo. Nomen substãtia tria significare. Primo, essentiam cuiusque rei, vel conceptum quidditativum; quo pacto accidentia dicuntur habere substantiam, quia suam cohibent essentiam. Secundo, significat id, quod non est accidens, sive sit substantia completa, ut Petrus; sive incompleta, ut Materia prima, unio, & subsistẽtia. Tertio, significat substantiam completam per se subsistẽtem, ut Animal, Petrus. Hic tantum disseritur de substantia in duplici posteriori significato.

Nota secundo. Substantiam trahere suæ vocis originem, vel à subsistendo accidentibus, ut vult Aristoteles, vel à subsistendo, ut placuit Augustino, & Isidoro. Si à subsistendo est id, quod subsistat accidentibus; sicut enim substantiæ accidentia insunt ei innitendo ut subiecto, ita substantia illis subest, recipiendo, & sustentando quod soli convenit substantiæ creatæ, nam in creata nulli substat accidenti; si vero ducatur à subsistẽdo, erit ens per se exsistẽs, vel subsistens.

Aristot. hoc cap. & 4. Metaph. c. 8 Augustin. 7. de Trivit. c. 4. in fine. Isidor. lib. 1. Differẽtiar. cap. 4.

Nota

Nota tertio. Substare accidẽtibus, vel esse subiectum, dupliciter capi posse, vel ut quo, vel ut quod. Illud subsstat accidentibus, vel habet rationem subiecti quod, seu principaliter, quod ita sustat accidentibus, ut non egeat alio, veluti sustentaculo, quo fulciatur, quod soli substantiæ creatæ convenit. Illud vero subsstat ut quo, seu habet rationem subiecti quo, seu minus principaliter, quod ita sustẽtat immediate accidentia, ut indigeat subiecto quod, cui innitatur: qua ratione aliqua accidentia sustentant alia, ut quantitas, quæ subsstat qualitatibus immediate.

Nota quarto. Subsistere, seu esse per se duobus modis sumi posse. Primo, proxime, & actu. Secundo, remote, & radicaliter. Subsistere proxime nihil aliud est, quam habere modum quendam substantialem, ratione cuius res sit independens ab alio ut à supposito: unde hoc modo subsistere erit, habere subsistentiam; subsistentia enim modus quidã positivus est naturæ substantiali additus. Subsistere vero radicaliter, seu remote nihil aliud est, quam esse naturam talis conditionis, ut debeatur illi subsistẽtia: unde homo est substantia subsistens primo modo, humanitas vero secundo modo.

Assertio prima. Essentia substantiæ communissime non est posse subsstare accidẽtibus, nam Deus est essentialiter substantia, & nulli potest accidenti reali subsstare.

Assertio secunda. Neque id est de essentia substantiæ creatæ, sed solũ proprietas. Prima pars probatur, quia posse subsstare accidẽtibus, supponit iam substantiam creatam essentialiter constitutam, & per se existentem; ergo nõ erit eius essentia. Antecedens probatur, nam ut substantia possit subsstare, vel sustentare aliud, necesse est ut ipsa prius sit in se constituta, & per se exsistat, aliter enim quomodo posset aliud sustentare? Secundo, quia si subsstare accidentibus esset de essentia substantiæ, sequeretur substantiam definiendam esse per ordinem ad accidentia, quod est falsum; nam accidentia per ordinem ad substantiam definitur, substantia vero absolute per esse per se. Tertio. Si Deus produceret aliquam substãtiam incapacem accidentium, adhuc illa obtineret essentiam substantiæ, & nequiret accidentibus subsstare; ergo id non est substantiæ essentia. Antecedẽs liquet, quia Deus est incapax accidentium, & tamen est particeps essentiæ substantiæ.

Secunda pars ostenditur ex eo, quod subsstãtia creata sit ens per se exsistens, & egens accidentibus, ut perficiatur oritur, ut possit illis subsstare, & semper hoc illam comitatur, ergo erit proprietas.

Assertio tertia. De essentia substantiæ creatæ non est esse per se subsistentem. Probatur, quia substantia non est subsistens per suam essentiam, sed per modum superadditum substantiæ, qui potest separari ab illa, salva manente integra substantiç essentia, ut est perspicuũ in humanitate Christi Domini, quæ propria subsistentia caret, & est substantia.

Confirmatur. Subsistentia est pro-

proprietas substantialis naturæ, fluës ab illa; ergo supponit substantialem naturam in ratione formali substantiæ constitutam, quemadmodum effectus suam causam supponit.

Assertio ultima. Essentia substantiæ in communi sita est in esse per se, prout esse per se dicit independentiam ab alio tanquam à subiecto, cum quo efficiat unum per accidens. Probatur primo: nam hic conceptus convenit omni substantiæ, etiã modali, & per hoc contra distinguitur ab accidenti, cuius essentia est esse in alio, cum quo efficiat unum per accidẽs; ergo hęc est essentia substãtiæ, siquidem essentiæ accidentis, & substantiæ explicandæ sunt per conceptus sibi immediate oppositos. Secundo, quia esse per se, & in alio sunt duo conceptus differentiales, dividentes ens reale, & contrahẽtes illud ad substantiam, & ad accidens; sed esse in alio, ita contrahit ens reale ad accidens, ut sit constitutivum essentiale illius; ergo esse per se debet contrahere ens reale ad substantiam, ita ut sit constitutivum essentiale illius: differentiæ enim contrahentes aliquod superius, sunt constitutivæ inferiorum. Nota, licet conceptus substantiæ explicetur per non esse in alio, non tamen esse negationem, sed id in quo illa fundatur; nobis autem deficiunt voces ad explicãdas naturas, quas noscimus.

Collige. Subsistere radicaliter, seu esse radicem subsistentiæ non esse de essentia substantiæ cõmunissime sumptæ, nam subsistentia est substantia, & tamen non est radix subsistentię, ut constat, tum quia in probabili opinione, substantiæ incõplerę non sunt radices subsistentiarum.

Obiicies primo contra secundam assertionem. Quantitas etiam substat accidentibus materialibus, quia ea media in substantia recipiuntur, ergo non erit proprietas substãtiæ in quarto modo cum aliis conveniat. Respondeo, substare ut quod, & ita ut non egeat alio quo sustẽtetur, convenire soli substãtiæ, & non alteri; nam quantitati, & aliis accidentibus dũtaxat convenit, posse substare ut quo, & ita ut ipsa egeant alio, quo sustententur.

Obiicies secundo contra secundam, & tertiam assertionẽ. Substantia dicitur à substando accidentibus, vel à subsistendo, ergo essentia illius erit substare, vel subsistere. Nego consequentiam, nam nomen imponitur ex re magis nota; non tamẽ essentiali, ut patet in animalibus, quibus nomina imponimus ab actionibus nobis notioribus.

Obiicies tertio contra quartam assertionem. Essentia alicuius rei non potest alteri convenire, atqui esse per se convenit quantitati in mysterio Eucharistiæ, ergo, &c. Respondeo, esse per se, quod est de essentia substantiæ, nullo modo communicari quantitati; nã essentia substantiæ est esse per se per suam propriam entitatẽ, & ex natura sua, ita ut repugnet esse in alio tanquam in subiecto; at quantitas in Eucharistiæ mysterio non est per se ex natura sua, & per suammet entitatatem, sed per modum superadditum, &

habet aptitudinem ad essendum in alio, in quo eius essentia cõsistit.

Obiicies quarto contra eandem assertionem. Formæ materiales, v.g. formæ leonis, & æqui, sunt substantiæ, & tamen sunt in materia tãquam in subiecto, ergo de essentia substantiæ non est esse per se. Respondeo, formas substantiales non esse in materia tãquam in subiecto inhæsionis, sed tanquam in subiecto informationis substantialis, nam ex materia, & forma coalescit unum ens per se, & non per accidens, sicut ex subiecto, & accidente; quare esse per se constitutivum substãtiæ est illud, quod opponitur modo essendi in alio tanquam in subiecto inhæsionis.

DVBIVM II.

Num substantia prædicamentalis sit completa, vel incompleta.

SVbstantia prædicamentalis dicitur illa, quæ est genus supremũ prędicamenti substantiæ. Primo, certum est omnem substantiam collocabilem in prædicamento, debere esse physice, & realiter completam; quia ut vidimus in Anteprædicamentis, dumtaxat in prędicamento sedem habent entia physice completa, & per se stantia. Dubium igitur est, An substantia, quæ est genus huius prædicamenti, sit metaphysice incompleta, vel completa. Substantia completa metaphysice est, quæ non ordinatur ad conflandum metaphysicum compõsitum, ut Socrates. Incompleta vero, quæ ad tale compositum constituendum ordinatur, ut animal rationale.

Sit primum theorema. Substantia prædicamentalis considerata essentialiter, & ut quo, non est completa, nec incompleta metaphysice, sed ab vtraque præscindit. Probatur, quia ratio abstracta, & præcisa ab aliquibus inferioribus, non claudit aliquam differentiam inferiorũ, ut liquet exemplis, sed substantia prædicamentalis præscindit à substantia completa, & incompleta metaphysice; ergo ipsa ut sic neque erit completa, neque incompleta metaphysice. Minor probatur, quia in categoria substantiæ locãtur genera, species, & individua, ex quibus genera, & species ut sic sunt substantiæ metaphysice incompletę, individua vero completa; atqui substantia prædicamentalis abstrahit ab his omnibus, & dumtaxat dicit id, in quo genera, species, & individua conveniunt; ergo abstrahit à substantia completa, & incompleta metaphysice.

Firmatur primo. Substantia prædicamentalis debet participari ab omnibus inferioribus; sed ratio substantiæ prædicamentalis, si sit completa metaphysice, nequit participari à generibus, & speciebus; & si sit incompleta, ab individuis, cum illa sint incompleta, & ista completa; ergo debet abstrahi à cõpleta, & incompleta.

Firmatur secundo. Substantia, quæ est genus supremum, quia abstrahitur à prima, & secunda essentialiter, & ut quo

neque

neque est prima, neque secũda, sed ab utraque abstrahens quáquam considerata ut quod, & ut est genus, sit secunda substantia; ergo pariter eadem prædicamentalis substantia, cum abstrahatur à substantia physice completa, & incõpleta ut quo, & essentialiter, neque erit completa, neque incompleta, sed ab ambabus præscindens, tametsi ut quod, & ut genus sit substantia incompleta, ut enodabitur placito sequenti.

Theorema secundũ. Prædicamentalis substantia ut quod, & ut genus, seu pars materialis inferiorum, est metaphysice incõpleta. Probatur. Illud est metaphysice imcompletum, quod ad metaphysicum compositum constituẽdum ordinatur; atqui substantia, quæ est caput prædicamenti, ordinatur simul cum differentia corporeitatis ad conflandum corpus, ergo est metaphysice incompleta. Confirmatur. Ideo corporeum, v. g. est substantia metaphysice incompleta, quia concipitur per modũ formæ, & actus determinantis substantiam ad componendum corpus, sed similiter substantia concipitur per modum potẽtię, & materię contrahibilis, & determinabilis per corporeum ad constituendum corpus, ergo erit metaphysice incompleta.

Confirmatur secundo. Individuum est substantia metaphysice completa, ergo partes ex quibus componitur debẽt esse metaphysice incompletę, sicut partes ex quibus constituitur substantia physice completa, sunt physice incompletę; sed individuum coalescit ex genere supremo, & aliis intermediis simul cum differentia individuali; ergo genus supremum, & alia intermedia sunt metaphysice incompleta.

Collige primo. Individuum dumtaxat esse substantiam metaphysice completam, quia est ita absolutũ, & consummatum in ratione substantiæ, ut non indigeat ulteriori complemento substantiali.

Collige secundo. Non solum differentiam esse substantiam metaphysice incompletam, sed etiam genus, cum ambo ordinẽtur ad metaphysicum compositum constituendum. Quod enim nonnulli dicunt, ideo genus esse substantiã metaphysice completam, quia includit inconfuso omnia sua inferiora, nullius momenti est, nam etiam differentia claudit inconfuso omnia sua inferiora.

Dices. Substantia, quæ est genus supremum, tametsi sit physice completa, est metaphysice incompleta; ergo imbibitur in differentiis suorum inferiorũ, quæ etiam sunt substantiæ physice completę, & metaphysice incompletę, & consequẽrer non esset genus. Respondeo negando sequelam, quia substantia prædicamentalis, quãvis sit metaphysice incompleta, habet se ad modum per se stantis; quo pacto nequit claudi indifferentiis, quæ concipiuntur ad modũ alteri adhærentis, ut in simili dictum est de conceptu entis completi physice, & per se stantis.

(:)

DVBIVM III.

De partitione ſubſtantiæ in primam, & ſecundam.

SVppono, diviſionẽ eſſe adæquatam, nam in categoria ſubſtantiæ ſolum collocantur genera, ſpecies, & individua; ergo nulla eſt ſubſtantia, quæ non ſit prima, vel ſecunda.

Sit prima concluſio. Diviſum iuxta Ariſtotelis mentem, eſt ſubſtantia prout ſubſiſtit actu per ſe, & ſubſtat accidentibus: unde ſenſus erit, Subſtantia, id eſt, ſubſtans accidentibus, alia eſt prima, id eſt, alia primo ſubſtat accidentibus ut ſubſtantiæ ſingulares: alia ſecunda, id eſt, alia ſubſtat ſecundo, ut ſubſtantiæ univerſales: & idem eſt de ſubſiſtente. Probatur concluſio ex Ariſtotele, qui poſtquam diſtribuit ſubſtãtiam in primam, & ſecundam, ſubdit primam ſubſtantiã eſſe maxime, & principaliter ſubſtantiam quam ſecundam, quia prima primo, & per ſe ſubſtat accidentibus, & ſubſiſtit in actu exercito per ſe immediate, & ratione ſui: ſecũda in actu ſignato mediate, & ratione ſecundæ; ergo diviſum iuxta Ariſtotelis mentem, erit ſubſtantia actu ſubſiſtẽs, & ſubſtans; in primam, quæ primario ſubſiſtit, & ſubſtat; & in ſecundam, quæ ſecundario id exercet. Confirmatur, quia nihil aliud fingi poteſt, quod ſit diviſum, & magis participetur à prima quam ſecunda, ergo, &c.

Oppones. Proprietas prius cõvenit naturæ ſuperiori, quam individuis, ut riſibile prius convenit homini, quam Petro, ergo ſubſiſtere, & accidentibus ſubſtare, prius convenient ſubſtantiis ſecundis, quam primis, cum ſint proprietates. Reſpondeo, proprietatem ſecundum emanationem, & neceſſariam connexionem prius convenire naturę ſuperiori, à qua fluit, quam individuis illius naturę; at vero ſecundum actualem exiſtentiam, & convenientiã actualem, prius convenire individuis, quam naturæ ſuperiori; nam ſicut individua prius exiſtũt, ita & proprietates in illis prius exiſtũt.

Secunda concluſio. Diviſum iuxta mentem Ariſtotelis, non eſt ſubſtantia prædicamentalis ſecundum ſuam eſſentiam. Probatur, iuxta Ariſtotelem, id ſecatur in hac diviſione, quod primo, & per ſe convenit primæ ſubſtantiæ, & ſecundario ſecundæ, ſed ſubſtantia prædicamentalis ſecũdum ſuam eſſentiam potius convenit ſuis inferioribus contrario modo, ſcilicet primo, & per ſe ſecundæ ſubſtantiæ, & ſecũdario, & ratione ſecundæ primæ ſubſtantiæ, ergo, &c. Minor patet, quia ſicut ratio animalis prius convenit homini quam Petro, ita ratio ſubſtantię prius convenit animali, & homini, quæ ſunt ſecundæ ſubſtantiæ, quam Petro, qui eſt prima ſubſtantia.

Tertia concluſio. Membra huius diviſionis, iuxta mentẽ Ariſtotelis, non poſſunt intelligi ſecundo intentionaliter, ita ut nomine ſubſtantiæ primæ, & ſecundæ, intelligantur relationes rationis ſingularitatis, & univerſalitatis. Probatur, quia Ariſtoteles non explicavit mẽbra diviſionis præfatæ per tales relationes, ſed potius per reales pro-

proprietates subsistẽdi, & subsistandi accidentibus. Tum etiã quia si Aristoteles nomine primæ, & secundæ substantiæ intellexisset aliquas relationes, rationis, subiecti, & prædicati, vel superioris, & inferioris, substãtia prima nequiret dici magis substantia quam secunda, quia relatio rationis in cõmuni æque primo illis convenit.

Conclusio quarta. Si loquamur de hac divisione secundum se sumpta, divisum illius potest esse substantia secundum suam essentiam, & potest esse divisio subiecti in accidentia rationis, ita ut per primam, & secundam substantiam intelligamus relationes singularitatis, & universalitatis. Probatur, quia quando aliqua membra accidunt toti diviso, poterit fieri divisio in illa membra subiecti in accidentia, ut est perspicuum in divisione hominis in album, & nigrum; atqui relatio singularitatis, & universalitatis accidunt substantiæ secundũ se sumptæ: substantiæ enim secundũ se, accidit esse primã, vel secundam, singularem, vel universalem; ergo substãtia secundum se sumpta, partiri potest in primam, & secundam divisione subiecti in accidentia.

Collige primo. Substantiam prædicamentalem duobus modis usurpari posse. Vno modo ut est genus, & ut sic non potest distribui in primam, & secundam, quia coincidit cum uno ex membris dividentibus, scilicet cum secunda substantia. Secundo modo secundum suam essentiam præcise: qua ratione neque est universalis, neque singularis, neque prima, neque secunda substantia, sed indifferens ad utramque, & ita potest dividi in primam, & secundam.

Collige secundo. Divisionem substantiæ in primam, & secundam, esse proprie divisionem; & non solum enumerationem eorum, quæ in recta serie prædicamentali collocantur, quam per nomen substantiæ significetur aliqua communis ratio, (ut vidimus) quæ participatur à prima, & secunda substantia.

Oppones. Substantia secundum se dividitur in primam, & secundam substantiam, ergo & homo secundum se in primum, & secundũ, qualitas in primam, & secundam, & materia similiter. Respondeo, inspecta veritate, & proprietate sermonis, licere dividi hominem in primum & secundum, & qualitatem in primam, & secundam, &c. si nomine primi, & secundi intelligamus hominem singularem, & universalem, qualitatem singularem, & universalem: verum divisio ista non est in usu apud Dialecticos.

DVBIVM IIII.

An sit ista divisio univoca, vel analoga.

Ita Suarez disp. 33. sect. 1. num 21. Noster Iosephus Blanch hic, sect. 8.

DIco primo. Divisio substantiæ ut substiens, vel substans in primam, & secundam, non est analoga, sed univoca. Prob. 1. quia in nostra sententia, dependentia inter inferiora, etiam si realis sit, non est sufficiens ad causanda n analogiam; ergo propter dependentiam secundarum substãtiarum

DVBIVM III.

De partitione substantiæ in primam, & secundam.

SVppono, divisionē esse adæquatam, nam in categoria substantiæ solum collocantur genera, species, & individua; ergo nulla est substantia, quæ non sit prima, vel secunda.

Sit prima conclusio. Divisum iuxta Aristotelis mentem, est substantia prout subsistit actu per se, & substat accidentibus: unde sensus erit, Substantia, id est, substans accidentibus, alia est prima, id est, alia primo substat accidentibus ut substantiæ singulares: alia secunda, id est, alia substat secundo, ut substantiæ universales: & idem est de subsistente. Probatur conclusio ex Aristotele, qui postquam distribuit substātiam in primam, & secundam, subdit primam substantiā esse maxime, & principaliter substantiam quam secundam, quia prima primo, & per se substat accidentibus, & subsistit in actu exercito per se immediate, & ratione sui: secūda in actu signato mediate, & ratione secundæ; ergo divisum iuxta Aristotelis mentem, erit substantia actu subsistēs, & substans; in primam, quæ primario subsistit, & substat; & in secundam, quæ secundario id exercet. Confirmatur, quia nihil aliud fingi potest, quod sit divisum, & magis participetur à prima quam secunda, ergo, &c.

Oppones. Proprietas prius cōvenit naturæ superiori, quam individuis, ut risibile prius convenit homini, quam Petro, ergo subsistere, & accidentibus substare, prius convenient substantiis secundis, quam primis, cum sint proprietates. Respondeo, proprietatem secundum emanationem, & necessariam connexionem prius cōvenire naturę superiori, à qua fluit, quam individuis illius naturę; at vero secundum actualem existentiam, & convenientiā actualem, prius convenire individuis, quam naturæ superiori; nam sicut individua prius exsistūt, ita & proprietates in illis prius exsistūt.

Secunda conclusio. Divisum iuxta mentem Aristotelis, non est substantia prædicamentalis secundum suam essentiam. Probatur, iuxta Aristotelem, id secatur in hac divisione, quod primo, & per se convenit primæ substantiæ, & secundario secundæ, sed substantia prædicamentalis secūdum suam essentiam potius convenit suis inferioribus contrario modo, scilicet primo, & per se secundæ substantiæ, & secūdario, & ratione secundæ primæ substantiæ, ergo, &c. Minor patet, quia sicut ratio animalis prius convenit homini quam Petro, ita ratio substantię prius convenit animali, & homini, quæ sunt secundæ substantiæ, quam Petro, qui est prima substantia.

Tertia conclusio. Membra huius divisionis, iuxta mentē Aristotelis, non possunt intelligi secundo intentionaliter, ita ut nomine substantiæ primæ, & secundæ, intelligantur relationes rationis singularitatis, & universalitatis. Probatur, quia Aristoteles non explicavit mēbra divisionis præfatæ per tales relationes, sed potius per reales pro-

proprietates subsistẽdi, & subsistandi accidentibus. Tum etiã quia si Aristoteles nomine primæ, & secundæ substantiæ intellexisset aliquas relationes, rationis, subiecti, & prædicati, vel superioris, & inferioris, substãtia prima nequiret dici magis substantia quam secunda, quia relatio rationis in cõmuni ęque primo illis convenit.

Conclusio quarta. Si loquamur de hac divisione secundum se sumpta, divisum illius potest esse substantia secundum suam essentiam, & potest esse divisio subiecti in accidentia rationis, ita ut per primam, & secundam substantiam intelligamus relationes singularitatis, & universalitatis. Probatur, quia quando aliqua membra accidunt toti diviso, poterit fieri divisio in illa membra subiecti in accidentia, ut est perspicuum in divisione hominis in album, & nigrum; atqui relatio singularitatis, & universalitatis accidunt substantiæ secundũ se sumptæ: substantię enim secundũ se, accidit esse primã, vel secundam, singularem, vel universalem; ergo substãtia secundum se sumpta, partiri potest in primam, & secundam divisione subiecti in accidentia.

Collige primo. Substantiam prædicamentalem duobus modis usurpari posse. Vno modo ut est genus, & ut sic non potest distribui in primam, & secundam, quia coincidit cum uno ex membris dividentibus, scilicet cum secunda substantia. Secundo modo secundum suam essentiam præcisę quæ ratione neque est universalis, neque singularis, neque prima, neque secunda substantia, sed indifferens ad utramque, & ita potest dividi in primam, & secundam.

Collige secundo. Divisionem substantiæ in primam, & secundam, esse proprie divisionem; & non solum enumerationem eorum, quæ in recta serie prædicamentali collocantur, quam per nomen substantiæ significetur aliqua communis ratio, (ut vidimus) quæ participatur à prima, & secunda substantia.

Oppones. Substantia secundum se dividitur in primam, & secundam substantiam, ergo & homo secundum se in primum, & secundũ, qualitas in primam, & secundam, & materia similiter. Respondeo, inspecta veritate, & proprietate sermonis, licere dividi hominem in primum & secundum, & qualitatem in primam, & secundam, &c. si nomine primi, & secundi intelligamus hominem singularem, & universalem, qualitatem singularem, & universalem: verum divisio ista non est in usu apud Dialecticos.

DVBIVM IIII.

An sit ista divisio univoca, vel analoga.

Ita Suarez disp. 33. sect. 2. num 21. Noster Iosephus Blanc. hic, sect. 8.

DIco primo. Divisio substantiæ ut subsistens, vel substans in primam, & secundam, non est analoga, sed univoca. Prob. 1. quia in nostra sententia, dependentia inter inferiora, etiam si realis sit, non est sufficiens ad causanda n analogiam; ergo propter dependentiam secundarum substãtiarum

à primis in ratione subsistẽdi, vel substandi accidentibus, hæc divisio non erit analoga. Secundo in contraria sententia ostenditur, quia si propter aliquam rationem divisio esset analoga, ex eo esset, quia subsistere, & substare prius conveniunt primæ substantiæ, quam secundæ, sed id non obstat, ergo, &c. Probatur minor, quia animal prius cõvenit homini, & leoni, & horum ratione individuis, & tamen divisio animalis in hominem, & leonem, Paulum, & hũc leonem, non est analoga, sed univoca. Tertio, quia accidens commune reale intrinsecum, prius cõvenit individuis, quam speciebus; & tamen de omnibus illis univoce prædicatur, & præterea proprietas prius convenit speciei, & deinde individuis, & tamen univoce dicitur de utrisque, ergo, &c.

Dico secundo. Præfata divisio substantiæ est univoca univocatione indivisionis. Probatur, quia proprietates subsistendi, & substandi non multiplicantur realiter in prima, & secunda substantia, nam per eandem numero subsistentiam, per quam subsistit Petrus, subsistit homo, & similiter per eandem capacitatem, & virtutem qua Petrus substat accidẽtibus, etiã substat homo, licet secundario; ergo hæc divisio est univoca univocatione indivisionis. Consequentia liquet, nam ad univocationem divisionis, & universalitatis requiritur, ut ratio superior multiplicetur realiter in inferioribus.

Queres. An ista divisio sit realis, vel rationis. Respondeo, dici posse aliquo modo realem, simpliciter tamen esse rationis. Prima pars probatur, nam divisum est, quid reale reipsa conveniens primæ, & secundæ substantiæ: divisio autem dupliciter dici potest realis. Primo, quando divisum, & membra dividentia sunt realia, & realiter distincta. Secundo, quando sunt realia, licet realiter non distinguãtur. Secunda pars probatur, quia licet divisum sit quid reale, ut visum est, reipsa cõveniens substantiæ primæ, & secundæ; membra tamen dividẽtia sola ratione differunt, & plerunque includunt aliquid rationis, præsertim si sumantur formaliter, & relate, licet itaque subsistere, & substare realiter cõveniant substantiæ, tamen quod uni conveniat primo, & alteri secũdo, est quid rationis: nam à parte rei, prima, & secunda substãtia non sunt unum, & alterum, cum nõ differant.

DVBIVM V.

Quid sit prima substantia.

PRimam substantiam Aristoteles definivit, quę neque est in subiecto, neque de subiecto aliquo dicitur, ut Paulus.

Dico primo contra Scotum, & Oña. Definitur ab Aristotele hic, natura realis substãtię, non vero notio. Probatur. Id definitur, quod ponitur in prædicamẽto substantiæ, sed id non est notio, sed natura realis substãtiæ, ergo definitum est natura substantiæ.

Scotus hic, q. uni. art. 1. Oña quæst. 1. art. 2.

Dico secundo. Assignata definitio absolute sumpta, convenire potest substantiæ creatæ, & in-

& increatæ. Probatur: nam sicut prima substãtia creata, Paulus, v.g. non est, neque esse potest in aliquo subiecto, neque de eo prædicatione formali, & univer sali prædicari, ita neque prima substantia increata, ergo utriq. convenire potest definitio.

Dico tertio. Ea definitio, ut ab Aristotele est tradita, solum cadit in primam substantiam creatam, quia hic solum voluit Aristoteles definire primam substantiam, quæ ponitur in prædicamento, & subest secundis, scilicet speciebus, & generibus: sed prima substantia increata neque ponitur in prædicamento, neque subest secundis, ut est apertum, ergo ea definitio, ut tradita ab Arist. solũ cadit in primam substantiam creatam. Maior patet ex definitione secundarum substantiarũ, quas Aristoteles ait, esse genera, & species, sub quibus insunt primæ substantiæ.

Dico 4. Optima est ista definitio. Prob. quia recte explicat naturam primæ substantiæ creatæ: nam per illam negationem (quæ neque est in subiecto) significatur integrũ complementum naturæ substantialis, quod est subsistẽtia completa, & quid positivum; sicut enim per esse in subiecto, declaramus positivum modum, ratione cuius accidens alteri inhæret, ita per nõ esse in subiecto, explicamus modum positivum, & complementum, ratione cuius substãtia est per se, unde oritur ut substantia prima non sit in subiecto. Præterea secunda illa negatio (neque dicitur de subiecto) declarat differentiam individualem, propter quam repugnat primæ substãtiæ prędicari formaliter, in quo differt à secundis, quæ non solum idemptice, sed etiam formaliter efferũtur de primis. Vnde sensus huius definitionis est, Prima substãtia est substantia completa per se primo subsistens. Hoc voluit Arist. exponere illis duabus negationibus.

Dices 1. Hæc definitio traditur per negationes, nẽpe per non esse in subiecto, neque dici de subiecto; ergo non est accurata, nã res positiva nequit definiri per solas negationes. Respondemus, positivas res posse definiri per negationes, si sufficienter exprimant integrã essentiã positivam, quod reperiturin negationibus memoratis.

Dices secũdo. Illud quod definitur in definitione primę substantiæ, est aliquid commune omnibus primis substantiis, & effertur de illis, ut liquet in his prædicationibus, Petrus est prima substantia, Paulus est prima substantia; ergo iam quod definitur non est prima substantia, cum hæc nequeat esse communis multis, nec enũtiari de multis. Respondeprimam substantiam bifariam capi posse. Primo ut quo, & essentialiter; qua ratione non dicit aliquid commune multis, sed potius id, quod non potest convenire multis. Secundo modo accidentaliter, & ut quod, quatenus hæc ratio denominatur communis in ordine ad omnes primas substantias: nam hoc, quod est non esse in subiecto, neq. dici de subiecto accidentaliter, & ut quod, denominatur commune in ordine ad omnia, quæ nec sunt in subiecto, nec dicuntur de subiecto: unde hæc ratio denomina-

tive,

tive,& ut quod,dicitur de subiecto, & consequêter definitum illius definitionis erit prima substantia, cum denominative & ut quod possit esse communis omnibus primis substâtiis.

Collige primo. Substantiam, & individuum distingui,ut includens,& incluſum;nam omnis prima substantia includit differẽtiam individualem, quia est singularis,addit tamen ulterius integram subsistentiam, per quam fit omnino incommunicabilis ; non tamen è contra omne individuũ est prima substâtia, nam hæc humanitas individuum est, cum constet differentia singulari ; non tamen est prima substantia,quia caret subsistentia.

Collige secundo . Partiales substantias, & individuas posse dici substantias primas incompletas , nam non sunt in alio tanquam in subiecto inhæsionis,nec enuntiantur de multis, ut constat in materia, & forma substantiali.

DVBIVM VI.

Quid sit secunda substantia.

SEcundæ substâtiæ definiuntur ab Aristotele , Genera, & Species , in quibus insunt primæ, hoc est,quibus primæ subilciũtur subiectione essentialis convenientiæ,vel prędicationis. De definitione ista multa Conimbricenses. Circa eam solum adverto,non definiri notionem aliquam, quia Aristoteles ait , secundas substantias essentialiter primis convenire,& ratione illarum accidentibus substare,quæ omnia solis naturis realibus conveniunt,& non notionibus ; neque obest quod appellẽtur genera, & species ab Aristotele , nam solum intendit esse genera , & species fundamentaliter.

Hic quæst. 2.

Melior tamen est hæc definitio,quæ ex Aristotelis doctrina colligitur: Secunda substantia est, quæ non est in subiecto,dicitur tamen de subiecto, id est, substantia completa secundario subsistens, dicitur secundario subsistens , ut differat à prima , quæ primo exercet actum subsistendi.

Dices. Homo est secũda substantia, atqui non subsistit, ergo secunda substantia non subsistit. Minor patet,nam effectus subsistẽtiæ est reddere rem incommunicabilem , atqui homo est communicabilis multis individuis,ergo nõ subsistit. Nego minorem. Ad probationem respondeo cum Suario : De ratione subsistentiæ esse ut reddat rem incommunicabilem alteri ut suppositio,vel ut termino intrinseco naturæ substantialis, quod habet homo , & ita subsistit;at nõ esse de ratione illius, ut reddat rem incommunicabilem per rationem multis inferioribus à se non realiter discrepantibus.

Disput. 34. sect. 8. num. 3.

Postulabis primo. An destructis primis substantiis, secundæ evanescant, quod hic Aristoteles pronuntiavit. Respondeo primo : Destructis primis substantiis quoad exsistentiam secundas perire. Probatur primo, nam substantiæ secundæ solum exsistunt in primis , & ad productionem primarum producũtur: v.g. Homo à parte rei solũ exsistit

exsistit in Petro, & Paulo, & ad horum productionem producitur non enim produci potest in rerum natura homo in communi, ergo destructis primis substantiis quoad exsistentiam, pariter & secundæ evanescūt. Confirmatur. Secundæ substantiæ sunt idem realiter cùm primis, ergo his pereūtibus, necesse est quoque ut illę pereant. Respondeo secundo. Pereūtibus primis quoad actualē exsistentiam permansuras primas, & secundas quoad essentiā; neutiquam vero si perirent quoad exsistentiam possibilem. Prima pars constat, quia etsi nullus exsisteret homo, permaneret tamen connexio essentialis attributorū, verum enim esset dicere, Homo est animal, ubi verbum, Est, nō indicaret actualem exsistētiam, sed solum necessariam connexionem inter attributū, & subiectum, quæ sita est in hoc, ut quotiescunque homo exsistat, debeat esse animal per idemptitatem realem; in proprietatibus vero sita est in eo, quod necessario fluant ab essentia, de qua re iam supra, & alibi infra Secunda pars ostenditur, quia si exsistentia esset impossibilis, etiam essentia impossibilis esset, nam illa essentia realis est, quæ exsistentiam realem habere potest, ergo si exsistentia impossibilis sit, essentia item erit. Confirm. in entibus impossibilibus, quæ ideo reali carent essentia, quia eorum exsistentia realis impossibilis est.

Postulabis secundo. Quomodo intelligēdum sit illud aliud Aristotelis pronuntiatum, Primas substantias esse magis substantias, quam secundas. Respondeo, id dictum fuisse ab Aristotele, quia primæ substantiæ primo exercent actum subsistēdi, vel quia accidentibus primario substant, vel quia substant pluribus prędicatis substātialibus.

DVBIVM VII.

An Deus locum habeat in prædicamento substantiæ.

THeorema primum. Deus Opt. Max. locari non potest in hoc prædicamento: ita communiter Theologi, & Logici, inter quos magnum est in probatione dissidium. *Ita D. Tho. 1 p. q. 3. art. 5. Molina ibidem. Vazquez 1. p. q. 22. Suarez disp. 33. sect. 4. nu. 8. Fonseca cap. 7. q. 7. sect. 1. Christoph. Gillius 1. p. lib. 2. tract. 4. c. 9. Conimb. hic. q. 1. ar. 2. Hurtadus disp. 9. Metaphy. sect. 4. Noster Blanch disput. 7. de subst. sect 3. Contra nominales apud Conimbric.*

Gillius ita probat. Nullum genus potest Deo convenire, ergo nequit sub ullo genere etiam substantiæ poni. Probatur antecedēs, quia genus habet secum admixtam potētialitatem, sed potentialitas Deo repugnat, cum sit purissimus actus, ergo nullum Deo potest convenire genus. Probatur maior, quia genus est contrahibile per differentias, quæ neque ipsum continent, nec ab ipso formaliter continētur, ergo genus erit in potentia, ut per eas contrahatur: unde dicet aliquā potentialitatem ad ulteriorē perfectionem differentiæ recipiendam, & erit imperfectum.

Sed hæc ratio non bene probat institutum, nam genus non repugnat Deo ex vi potentialitatis præcisę, quia ista est per rationem *t* nam licet vera, & realis potentia in ordine ad propria attributa Deo pugnet, neutiquam tamen per intellectum,

nam cõcipere possumus in Deo essentiam formalissimã esse radicem aliorũ attributorum, atque ut sic formaliter non dicere eorundem perfectiones, ergo ratio generica ut distincta per rationem à propria differentia Dei, poterit nostro modo intelligendi concipi in potentia ad perfectionem talis differentiæ. Ad illud autem quod additur, genus ex eo quod habeat potentialitatem in Deo fore quid imperfectum: Dico, fore imperfectum, negative solum, non positive, quia sub ratione generica non diceret perfectionem differentiæ, quod Deo nihil repugnat.

Recentiores vero cõmuniter cũ Suario ita probant: Quia in Deo nequit esse compositio ex genere, & differentia, ergo non potest poni in categoria. Antecedẽs probatur, quia genus non debet claudi in differentiis, sed in Deo non potest dari attributum aliquod superius, quod nõ imbibatur in differentia, seu ratione formali cõstitutiva Dei, cum sit infinita, ergo, &c.

Sed contra, quia ut vidimus supra, ratio entis completi per se stantis non imbibitur in differentia Dei, cum concipiatur ut adiacens enti, ergo idem dicendum est in præsenti de ratione substantiæ. Nec obest differentiam esse infinitam, nam solum est infinita in aliquo genere, sicut quodlibet attributũ divinum est infinitũ in suo genere: v. g. Omnipotentia Divina est infinita, quia est effectiva cuiuscunque rei non implicantis contradictionem, licet non claudat formaliter sapientiam. Nec refert differẽtiam esse perfectionem simpliciter simplicẽ, unde enim colligi potest, perfectionem simpliciter simplicem esse infinitam in omni genere? nam à Theologis omnibus ita definitur, Quæ semper est melior ipsa, quam non ipsa: at Sapientia, v. g. etsi ponamus excludere à suo formali, & adæquato conceptu Omnipotentiam, melior erit ipsa, quam non ipsa; ergo de ratione perfectionis simpliciter simplicis non erit comprehendere formaliter reliquas omnes perfectiones.

Hurtadus plures aliorũ probationes fuse refellit, & concludit, si res metaphysice expendatur, Deũ non esse expungendum à prædicamento substantiæ, verum quia Scholastici, & sancti Patres id negant, illorum esse vestigiis insistendum, quod efficiunt eo unico fundamento, ut sic exponant Deum à creaturis infinite distare: dividunt enim, inquit, ens in decem classes, extra quas volunt esse Deũ, ut ostendant quam sit in superiori ordine, verum hæc ratio potius est moralis, quam metaphysica, & cum hæc non desit ad illam, minime est confugiendum.

Vera ergo, & metaphysica probatio, quam adducit Vasquez ita habet: Quod est sub aliquo genere, vel est species subalterna, vel infima, vel individuum, sed Deus non est species subalterna, quia non coërcet sub se plures infimas; neque infima, quia non sunt plures Dii numero diversi, nec esse possunt; neque item nomine individui esse potest in prædicamento

mento, nam omne individuum prædicamenti convenit cum aliis individuis essentialiter in ratione speciei, Deus autem cum nulla re potest taliter convenire, diceretur enim eiusdem speciei, & essentiæ cum creatura, & numero tantum ab ea distingui, quod iure reputatur absurdum; ergo Deus non est sub aliquo genere etiam substantiæ.

Gillius existimat hoc argumento nihil convinci, nam posset responderi, Deum collocari ut speciem infimã subiicibilem, licet habere nequeat plura individua eiusdem speciei, ut patet in Gabriele in opinione Thomistarum: hæc tamen instantia fundatur in opinione, quę includit pugnantiã in Dialectica, ut supra vidimus, itaque vim non infert.

Alii dicunt, responderi posse, Deum collocari ut individuũ: nam de ratione individui non est posse habere alia individua eiusdem speciei: nam negari non potest, Deum esse vere individuum, sive collocetur sub genere, sive non, & tamen habere nequit plura individua similia eiusdem speciei. Sed respondeo, de ratione individui simpliciter non esse habere plura similia in specie, bene tamen de ratione individui prædicamentalis, de quo signate loquimur. Hoc enim in probabiliori sententia non potest immediate contineri sub aliquo genere, ita ut genus ut sic illi immediate conveniat: unde necessario debebit prius contineri sub aliqua specie, cui plura non repugnet habere individua similia. Ita que si Deus ut individuum collocatur, debebit immediate contineri sub aliqua specie communi Deo, & creaturis, quod repugnat.

Roboratur cõclusio iuxta dicta dub. ult. quia ens cõpletum physice per se stans etsi univoce conveniat Deo, & creaturis, non tamen est verum genus respectu illorum, quia nullum genus constituitur per ordinem immediatum ad aliquod individuũ, & singulare, & ideo Deus non locatur in prædicamento entis; ergo idem omnino dicendum erit de substantia completa physice per se stante respectu Dei, & creaturarum; atque adeò sola substantia creata cõstituet hoc prædicamentum, in quo Deus minime collocabitur.

Theorema secundum. Deus post Incarnationis mysterium, per communicationem idiomatum dici potest directe poni in categoria substantiæ. Probatur, quia Christus collocatur directe, ut dicam dubio sequẽti, sed Christus est Deus, ergo Deus directe collocatur. Confirmatur, quia maiorem videtur adferre imperfectionem, esse mortuum genitum, &c. quam poni directe in prædicamento, sed ista attributa per cõmunicationem idiomatum affirmãtur de Deo, ergo & esse in hoc prædicamento, ex quo non sequitur componi Deum ex genere, & differentia, sicut nec in se esse mortuum, sed dumtaxat naturã assumptam.

Insurgis primo contra primũ Theorema. Boetius, & Augustinus docent, aliqua prædicamenta dici proprie de Deo ut substã- *Augustin. 5. de Trinit. c. 8.*

tiam, relationem, & actionem, ergo si substantiæ prædicamentum proprie dicitur de Deo, sub illo collocabitur. Respondeo, Patres solum voluisse hæc nomina substantiã, relationem, & actionẽ proprie dici de Deo; non quatenus significãt aliquod genus prædicamenti, sed tantũ quatenus dicunt aliquam rationem abstractam à creata, & increata, quamuis illa non sit genus. Et certe Augustinus expresse negat variis locis, Deũ prædicamento circumscribi.

4. Topicorũ, cap. 2. Insurgis secundo. Aristoteles asserit, Deũ esse in prædicamẽto substantiæ sub genere animalis, & separari ab homine per differentiam immortalis, ergo, &c. Respondeo, Aristotelem locutum fuisse de Angelis, vel de Diis fictis; à Philosophis Gẽtilibus, qui sicut in Dei unitate erraverũt, ita in illius essentia.

Insurgis tertio. Christus ponitur directe, sed Christus est Deus, ergo Deus ponitur. Con-
10. Metaph. firmatur ex Aristotele: Quod est mensura omnium, quę collocãtur in aliquo genere, pertinet ad illud genus, sed Deus est mẽsura omnium substantiarũ, cum sit horum perfectissima, ergo ponitur sub genere substãtiæ. Respondetur, hoc argumentum solum probare nostrum secũdum Theorema. Ad confirmationem respondeo, Aristotelem solum contendere ut mensura finita aliquo modo, & non proprie revocetur ad genus mensurati, non tamen ut proprie sub eo contineatur, quod constat exẽplo, quod ibi subiicit: ait enim, unitatem, quæ est numerorum mensura, ad numerum reduci, cum tamen proprie sub numero non contineatur.

DVBIVM VIII.

An Christus Dominus locetur in hoc prædicamento.

NOn est dubium de Christo ut Deo, sic enim decisum manet ex dubio præcedenti, sed de Christo ut homine. Pro quo notandum primo est, hoc nomen, homo, esse nomen naturæ in concreto, significans naturam subsistentem, ita ut directe, & immediate significet naturam humanam: secundario tamen connotet subsistẽtiam, vel suppositum.

Notandum secundo. Rationẽ formalem, ut aliqua substantia locetur in prædicamento, esse naturam, & essentiam talis substantiæ, subsistentiam vero esse conditionem dumtaxat requisitam, quia est complementum naturę, cum enim natura in abstracto incõpleta sit, ut in prædicamento locari valeat, debet compleri per subsistentiam.

Notandũ 3. Christum Dominum esse hominem eiusdẽ speciei, & essentiæ cum aliis, est de fide: nã in Concilio Lateranensi, sub Martino primo, cano. 4. statuitur, Christus verus Deus, & verus homo, nobiscum consubstantialis, id est, eiusdẽ speciei, essentiæ, ac substantiæ nobiscum: Quod ita ratione declaratur, quia homo essentialiter cõstituitur ex humanitate subsistente, quamvis subsistentia sit propria, vel aliena, sed Christus Domi-

Dominus constat ex humanitate eiusdem speciei cum nostra, & ex subsistētia, ergo est homo eiusdem speciei nobiscum. Vnde si humanitas Petri habere posset subsistētiam Angelicam, esset idem homo specie, & essentia, ac si haberet humanā: quod docuit D. Thomas testo huic doctrinæ repugnet Hurtadus.

D. Tho. 3. p. q. 2. artic. 3. ad 3. Hurta. disp. 11. Metaph. §. 81. & 84

Sit cōclusio. Christus Dominus ponitur in recta serie substantiæ. Probatur, quia homo univoce, & essentialiter effertur de Petro, & Christo Domino, ergo & animal vivens corpus, & substantia; (hæc enim attributa sunt de essentia hominis) sed quia Petrus directe subiicitur in prædicatione substantiæ, ponitur in recta serie, ergo & Christus. Maior propositio perspicua est ex tertia notatione: nam Christus est nobis consubstantialis. Secundo, quia si non collocaretur, maxime quia subsistentia Christi est distincta à subsistentia aliorum hominum, sed hæc ratio est nulla, ergo collocatur. Minor probatur, quia ut homo collocetur in categoria substātiæ, solum postulat essentiam humanitatis formaliter, & subsistentiam, quęvis illa sit, ut complemētum, & terminum humanitatis, sed Christus habet humanitatem, & subsistentiam, ergo ponitur. Confirmatur, quia Christus est ens completum, & ex parte humanitatis finitum per se; ergo in ipso reperitur verum genus, & vera differentia, ergo ponitur in categoria.

Colligo, tametsi suppositum Christi Domini, & suppositum aliorum hominum diserepent plusquam specie, quia suppositum Christi est increatum, suppositum vero aliorū hominum creatum, constitutum per propriam, & creatam subsistētiam; tamen concretum naturæ, scilicet hominem, eiusdem speciei esse in Christo, & in aliis hominibus, cum humanitas sit eiusdem speciei in illis.

Dices. Humanitas Christi sola nō ponitur in categoria, quia est ens incompletum, ergo debet poni cum aliqua subsistentia, atqui non habet aliam nisi Verbi divini, ergo subsistentia Verbi divini collocabitur reductive saltem, quod videtur absurdū. Responderi potest, concedendo subsistentiā divini Verbi collocari reductive in categoria substantiæ, quatenus de facto est conditio necessaria ut humanitas collocetur, quod nō involvit imperfectionem; non enim exigitur, ut aliquid ponatur reductive in categoria, ut sit pars, & entitas incompleta, sed sufficit ut sit aliquid inclusum in alio, quod directe ponitur, vel conditio ut aliquid ponatur.

Hæc solutio satis probabilis est, tamen cum posimus alia via arguméto occurere, non videtur concedendum Verbi divini subsistentiam collocari reductive in categoria: unde respondeo, naturā humanam Christi poni in prædicamēto ut subsistentem vage, & indeterminate, minime vero ut subsistentem subsistentia Verbi ut fic: ex quo solum sequitur collocari reductive in categoria subsistētiam vage, & indeterminate, non tamen subsistentiam Verbi ut sic: nā licet humanitas Christi Domini solum subsistat subsisten-

tia Verbi divini, hæc tamen non est necessaria, ut humanitas ponatur in prædicamento substantiæ, quatenus subsistentia divina est, sed quatenus est subsistentia vage, & indeterminate, cuius signum est, quia eodem modo poneretur humanitas Christi in prædicamento, si compleretur per subsistentiam creatam; nam licet nomen homo significet certam formam, nempe humanitatem, non tamen significat certum suppositum, sed vage, & indeterminate, sive humanum, sive divinū, sicut album, tametsi significet certā formā, scilicet albedinem, subiectum tamen indeterminate, & vage significat, sive sit paries, sive lac, sive homo.

Dices contra solutionem. Humanitas Christi Domini nequit compleri per subsistentiam Verbi divini, ut subsistentia vage, & indeterminate, ergo completur per subsistentiam Verbi divini, ut divina est. Antecedens probatur, nā si humanitas Christi Domini in ratione hominis posset compleri per subsistentiā Verbi divini, ut subsistentia est vage, & indeterminate, sequeretur etiam cōpleri posse per subsistentiam leoninam, sed hoc est impossibile, ergo illud ex quo sequitur. Sequela probatur. Ex eo potest humanitas Christi Domini compleri per subsistentiam Verbi divini, ut subsistentia vage, & indeterminate, quia non petit terminari nisi per subsistentiam, sive hāc, sive illam, & ratio essentialis subsistentiæ reperitur in subsistentia divina, sed pariter ratio essentialis subsistentiæ reperiatur in subsistentia leonina, ergo etiam poterit humanitas cōpleri in ratione hominis per subsistentiam leonis, ut subsistentia vage, & indeterminate.

Ad responsionem noto, subsistentiam duplicem esse: aliam naturæ rationalis, quæ personalitas vocitatur, alterā vero irrationalis naturæ, quæ suppositalitas dicitur. Hoc posito, respondeo, humanitatē Christi Dñi, ut compleatur in ratione hominis, debere terminari, & compleri per subsistentiam, quæ sit personalitas, qualis est divina subsistentia; minime vero per subsistentiam, quæ sit suppositalitas, ideoque compleri non posse per leoninam subsistentiam.

DVBIVM IX.

An Angeli, & cœli collocentur in hoc prædicamento.

POsitio prima. Angeli, & cœli per se collocantur in recta linea huius prædicamenti. Probatur, quia ab omni substantia creata, corporea, & spirituali, corruptibili, & incorruptibili potest abstrahi communis ratio substantiæ creatæ physice complete, & per se stantis, sed ista est genus ad illas, & formaliter de illis prædicatur, ergo Angeli, qui sunt substantiæ immateriales, & cœli, qui sunt incorruptibiles, directe collocātur sub genere supremo substantiæ ab omnibus abstracto. Probatur maior, quia substātiæ omnes sive capaces, sive expertes corruptionis, sive materiales, sive

sive immateriales, sunt similes in ratione substãtiæ creatæ physice completæ, & per se stantis, ergo potest abstrahi ista ratio, in qua conveniunt. Minor est perspicua, nam ratio abstracta talis substantiæ non includeretur in differentiis inferiorum, ergo esset genus.

Roboratur. Omnes actiones, tã spirituales, quam corporeę, constituuntur directe sub genere summo actionis, & omnes qualitates, tam spirituales, quã corporeę, sub genere summo qualitatis, ergo & omnes substantiæ tam spirituales, quam corporeę, tam corruptibiles, quam incorruptibiles sub uno genere supremo substantiæ.

2 O. *Metaph. cap. ultim.* Dices primo. Aristoteles docet, corruptibile, & incorruptibile differre genere; sed quæ differunt genere, non possunt collocari in eodẽ prædicamento; ergo Angeli, & cœli, qui sũt incorruptibiles, & cæterę substantiæ corruptibiles nequeunt sub eodem genere substantiæ collocari. Respondeo, Philosophum locutum fuisse vel de genere physico, id est, materia quasi dicat corpus cœleste, & sublunare habere materias specie diversas, quod est verũ; vel de genere proximo, non remoto.

Dices secundo. Illa substantia ponitur in prædicamento, cui cõvenit ultima proprietas substantiæ, scilicet susceipere contraria accidentia; sed hæc proprietas non cõvenit corpori cœlesti, quia incorruptibile est, ergo corpus cœleste non ponitur in hoc prædicamento. Respondeo, prędictam proprietatem etiam convenire corpori cœlesti; hoc enim, licet non possit recipere cõtraria accidentia destructiva, potest tamen recipere contraria accidẽtia perfectiva, v. g. contrarios motus, & diversas præsentias.

Positio secũda. Si aliqua substantia supernaturalis produci posset, etiã collocaretur in recta serie categoriæ substantiæ, quia esset physice completa, & per se stans, & constaret genere, & differentia, ergo poneretur in recta serie. Confirmatur, quia qualitas supernaturalis, qualis est gratia, ponitur in prædicamento qualitatis, ergo idem erit in substantia supernaturali, si à Deo creari posset.

Positio tertia. Si esset creabilis substantia, quę per suam entitatem, & per modum ex natura rei distinctum subsisteret, etiam directe spectaret ad hoc prædicamentum, nam esset substantia physice completa, & per se stans composita ex vero genere, & vera differentia, ergo directe spectaret, & tunc substantia quæ esset genus supremum, abstraheret à subsistentia distincta ex natura rei, & non distincta.

DVBIVM X.

An partes essentiales physice ponantur in prædicamento.

ADverte primo, partes physicas esse materiam, & formam, ex quibus totũ physicum, & naturale essentialiter conflatur.

Dico primo, huiusmodi par-

tes

tes non collocentur directe in prædicamento, sed solum reductive. Probatur primo, quia in prædicamento solum collocantur directe, & per se entia physice completa, sed partes physicę, scilicet materia, & forma, sunt physice incompletę, cum ordinentur ex natura sua ad componendum ens naturale, ergo non possunt collocari directe, & per se. Secundo, quia anima rationalis, v.g. & Angelus non possunt convenire in aliquo genere, ergo neque contineri sub eodem prædicamento. Probatur antecedens, nam substantia, in qua generice convenirent, vel esset physice incõpleta, vel completa, vel abstracta ab utrisque, sed nihil horum potest esse genus, ergo &c. Probatur minor, nam non esset substantia incompleta physice, quia non conveniret Angelo, qui est completus physice: præterea neque completa, quia non conveniret animæ rationali, quæ est physice incõpleta. Tandem neque abstrahês, quia clauderetur in ultimis differentiis Angeli, & animæ, quæ sunt substantiæ incompletę, ergo &c. Ex hoc infertur indirecte collocari, ut clauduntur in toto physico, quod componunt: Idem iudicium ferẽdum est de omni modo substantiali, v.g. de unione inter materiam, & formam, quia modi substantialis cum ad compositionem totius ordinentur, etiam sunt substantiæ physice incompletæ.

Dico secundo. Constitui potest aliud prædicamentum ex partibus physicis essentialibus, cuius caput sit substantia partialis, & hęc primo dispergatur in substantiam partialem, materialem, & spiritalem; materialis præterea in materiam, & formam, & hæc demum in alia membra usque ad individua. Roboratur, quia utvidimus, entia incompleta possunt affici notionibus, generis, & speciei, ergo ex his constari potest aliquod prædicamentum.

DVBIVM XI.

An partes integrantes, similares, & dissimilares locentur per se in prædicamento.

Observandum primo. Inter partes integrãtes, quæ etiam entitative vocitãtur, ut discrepent ab essentialibus, alias esse similares, vel homogeneas; alias vero dissimilares, & ætherogeneas. Homogeneæ sunt eiusdem rationis, quę ideo dicuntur similares, ut duæ partes aquæ, vel carnis. Aeterogeneæ sunt inter se diversę rationis, quæ idcirco dissimilares vocantur, ut caput, cor, manus.

Obsérvandũ secundo. In partibus integrantibus sive similaribus, sive dissimilaribus, duo posse considerari. Primo partes ipsas, quoad entitatem intrinsecam, & substantialem præcise. Secundo, quoad entitatem intrinsecam, & simul accidentia extrinseca: v.g. in brachio, & manu hominis possumus considerare primo præcise rationẽ entitatis substantialis, quod videlicet constet materia, & forma partialiter vnitis, & hoc modo manus, & brachium, caput, & pedes sunt similares partes,

tes, quia sicut brachium constat materia, anima rationali, & unione, ita manus, caput, & pedes; & sicut homo constituitur essentialiter ex materia, anima rationali, & unione, ita etiam quælibet eius pars. Secúdo possumus considerare accidentia extrinseca, scilicet figuram, organa, & alia huiusmodi, & quo ad hoc dici possunt aliquo modo dissimilares, quia cõstituuntur ex diversa figura, organis, & aliis accidentibus diversis, eo pacto quo aliquæ partes similares dicuntur, quia constant eisdem, vel similibus accidẽtibus, sicque duobus modis possunt dici aliquæ partes similares; primo essentialiter solum; secundo essentialiter, & accidentaliter.

Assertio prima. Partes similares à toto separatæ per se, in prædicamento collocãtur. Probatur, quia si aqua dividatur in duas partes, illæ duæ aquæ quæ resultant ex divisione totius, sunt physice completæ, ergo directe in categoria ponũtur. Probatur antecedens, quia illę actu non componunt aliam aquam, neque ordinantur natura sua ad illam componendam, ergo sunt physice completæ.

Oppones. Anima rationalis etiam separata, est physice incõpleta, quia tametsi actu non cõponat, habet tamẽ aptitudinem ad componẽdum hominem, sed duæ aquæ separatæ, licet actu non componant, habent tamen aptitudinem ad componẽdam, & integrandam unam totalem aquam, ergo etiã separatæ erunt incompletę physice. Respõdeo, disparem esse rationem, nam anima rationalis separata, cum sit forma hominis positive, & essentialiter, ordinatur ad componendum hominem, & ideo est entitas incompleta; at vero partes similares separatæ, etiam si habeant non repugnantiam, ut componant unam totalem aquam, non tamen essentialiter, & positive ordinantur ad illam componendã, (aliter enim omnes aquæ ordinarentur ad componendam aliam aquam, cum habeant non repugnantiam ad illam componendam, quia prædictæ partes separatæ habent veram rationem totius compositi, & suppositi, & ita sunt substantiæ totales, & incompletę.

Assertio secunda. Partes physicę similares adhuc unitę, directe ponuntur in prædicamento. Probatur 1. Partes aquæ, etiam unitę, sunt cõpletę, ergo etiam per se collocantur in prædicamento substantię. Probatur antecedens. Partes physicę essentiales ut materia, & forma, quia natura sua ordinantur ad componendum totum, licet sumantur separatę, sunt incompletę, licet ut sic non componant, ergo partes aquæ erunt etiam completæ adhuc quando cõponunt, quia ex sua natura non ordinantur ad componendum. Confirmatur, quia anima rationalis tã incompleta est separata ab homine, ac illi coniuncta, quia dũtaxat facit illam incompletam positivã, & naturalis inclinatio ad componendum, ergo cum pars aquæ careat ista positiva, & naturali inclinatione, etiã dum actu componit, erit completa.

Secundo, quia si pars aquæ non locaretur per se, & directe in prędicamẽto substantiæ, non participaret essentiam substantiæ prædicamentalis, sed illam

participat, ergo collocatur. Maior est clara, nam si eius essentiam participat, non est cur excludatur à prædicamento substantiæ. Minor vero probatur, quia tota aqua, & pars aquæ sunt eiusdem speciei, nam utraque continet materiam, & formam, & complementum subsistentiæ eiusdem rationis, ergo participat totam rationem specificam, quam participat tota aqua, ergo participat etiam omnia genera superiora toti aquæ. Hæc ultima consequētia liquet, quia quæ specie conveniunt, multo magis & in genere supremo.

Tertio. Tota essentia metaphysica aquæ est imbibita in omnibus illius partibus, ergo quælibet pars participabit totā essentiam metaphysicam aquæ.

Quarto. Si pars aquæ unita non constitueretur si nul cum tota aqua sub eadem substantia prædicamētali, sequeretur partem aquæ, & totam aquam esse primo diversas, & consequenter specie, quia quæ genere supremo discrepāt, à fortiori specie discrepare debent, sed hoc est absurdum: nam inde fieret partem aquæ unitam specie, distingui à seipsa à toto separata, cum tamen in ea sit in utroque statu eadem essentia physica, & metaphysica, ergo, &c.

Respondebit quispiam. Partem aquæ unitam non differre à tota aqua, vel à seipsa, ut separata ratione essentiæ physice, vel metaphysice, sed quia pars aquæ unita habet superficiem continuantem, at separata habet superficiem terminātem. Verum contra, quia superficies terminans, & continuans, ut probabilis fert opinio, non differunt specie, deinde summo postremam partem aquæ, hæc etiam habet superficiem terminantem, & ex alia parte superficies continuans simul se tenet ex parte ipsius, & potest eā terminare, & quasi cōplete, si egeat complemento, ergo non differunt specie à tota aqua, & sic pertinebit directe ad substantię prædicamentum.

Oppones. Partes similares actu unitę componunt unum totum integrale, & completū per se, ergo sunt incompletę physice. Probatur consequentia, quia ideo materia, & forma sunt physice completę, quia componunt totum physicum per se completum, ergo &c. Cōfirmatur, quia ex multis entibus cōpletis nequit fieri unum ens per se, sed per accidens, sed conflatum ex partibus similaribus est unum ens per se, ergo partes similares non sunt entia completa, sed incompleta. Respondeo negando consequētiam. Ad probationem dico, materiam, & formam esse incompleta entia, non quia componunt, sed quia essentialiter ordinantur ad componendū totum physicum essentiale; at cum partes similares, v.g. partes aquæ, non ordinentur natura sua ad componendam aliam aquam essentialiter, sed accidentaliter, ideo sive unitę, sive separatę sunt completa entia physice. Ad confirmationē respondeo, ex multis entibus completis non unitis inter se, non posse fieri unum ens per se, bene vero si medio quodam vinculo copulentur, & uniantur.

Assertio tertia. Partes integrantes dissimilares sumptæ, iuxta

iuxta ea quæ dicunt essentialiter separatæ, & unitæ, collocantur directe in hoc prædicamento. Probatur, quia brachium hominis tam unitum, quam separatum, constituitur directe in prædicamento, ergo &c. Probatur antecedens quoad primam partem, quia brachium unitum aliis partibus participat totam essentiam metaphysicam hominis, ergo est animal vivens, corpus, &c. quæ collocantur directe in categoria substantiæ. Antecedens probatur, quia brachiũ est compositũ quoddam ex materia prima, & anima rationali, ergo participat totã essentiam metaphysicam hominis. Antecedens est certum, quia anima rationalis informat omnes partes corporis, & cõsequenter brachium. Consequentia est certa, quia essentia metaphysica hominis, physice considerata, sita est in hoc, ut sit compositum quoddam ex materia prima, & anima rationali. Confirmatur primo, quia si propter aliquid brachium essentiam metaphysicam hominis non participaret, maxime quia caret organis ad videndum, & intelligendum, ergo si Deus infunderet brachio, eadem anima rationali manente, organa ad videndum, & intelligendum, revera hominis essentiam participaret. Sed dato hoc brachium non participaret essentiam hominis propter organa, sed propter cõpositionem ex materia, & forma, (organa enim non sunt de essentia hominis, sed accidẽtia) ergo si brachium habens organa, participaret essentiam hominis, etiam modo illam participabit, licet organis careat. Confirmatur secundo, quia si in brachio abscisso à corpore, Deus conservaret animam rationalem unitam materiæ, aut aliam similem infunderet, ut potest, etiam si non haberet organa, revera participaret essentiam hominis, ergo & modo unitum. Nec refert quod tunc esset veluti completum, & per se, modo vero quia unitum est incompletum, quia rem aliquam esse unitam præcise non efficit esse alterius speciei, ut patet in partibus aquæ.

Oppones primo. In brachio separato invenitur tota essentia hominis, ergo poterit dici homo. Nego consequentiam, quia hominis absoluta appellatio in vulgari locutione, non solum exigit essentiam, sed & certa quædam accidentia extrinseca: unde quia in pueris, & fœminis desiderantur, non gaudet hominis appellatione, esto gaudeant integra essentia.

Oppones secundo. Quælibet pars hominis est homo essentialiter, ergo in uno homine sunt multi homines essentialiter. Nego consequentiam, nam etiam in una aqua sunt multæ partes, & quælibet illarũ est aqua essentialiter, & tamen multæ non sunt aquæ absolute, quia non sunt separatæ, quod necessarium est, ut absolute dicantur multæ aquæ.

Oppones tertio. Datur organizatio substantialis, ergo dantur partes substantiales dissimilares. Nego antecedens. Organizatio enim essentialiter includit aliqua accidentia. Lege Suarez tomo 3. 3 partis, quæstione 76. artic. 1. disput. 51. sect. 5. 9. ad rationem dubitandi, quo in loco hoc probabilius censet, li-

cet oppositũ censeat probabile.

Secunda pars illius antecedentis, utpote brachium hominis, collocari separate in prædicamento, suadetur: nam vel in brachio remanet eadem anima rationalis, vel introducitur nova forma cadaveris, sed quocũque modo ponitur directe in prædicamento substantiæ, ergo, &c. Probatur minor, quia in primis, si remaneret anima rationalis, erit essentialiter homo, & ita si unitum collocatur, multo magis separatum. Confirmatur primo, quia non obstat esse aliquo modo imperfectum, cum non sit unitũ aliis partibus corporis, quas naturaliter petit: nã licet homini præscindantur pedes, & manus, & alia huiusmodi, si tamen conservetur homo, pertinebit directe ad categoriã, etiam si sit imperfectus, quia caret partibus quas naturaliter petit, ut optime Suarez philosophatur in simili disput. 33. sect. 1. num. 13. & fere omnes adversarii fatentur, & expresse Conimbricenses hic quæst. 1. art. 2. in fine; ergo licet brachium esset imperfectum, posset pertinere ad prædicamentum substantiæ directe. Præterea si forma cadaveris introducatur, etiam pertinebit ad eandem categoriam, nam ex tali forma, & materia fit unum per se physice, & metaphysice completum, ergo, &c. Cõfirmatur, quia licet possit componere cum aliis partibus aliquod totum, v. g. integrum cadaver; at ex hoc præcise non sequitur esse quid incompletũ, ut patet in partibus aquæ separatis, neque est peculiaris ratio in partibus cadaveris: nã etiam probari potest partes illas esse similares quoad essentiam, licet quoad accidẽtia sint dissimilares, ut ostendimus in partibus hominis.

Oppones. Forma rationalis prout est in brachio, naturaliter postulat informare alias partes materiæ, ergo brachium est pars incompleta, petit enim uniri aliis partibus. Nego consequentiam, nam etiam homo detruncatis brachiis, vel pedibus, petit uniri illis partibus, & anima rationalis naturaliter postulat eas informare, & nihilominus homo, vel corpus humanum in eo statu esset totum completum physice, & essentialiter, & sederet in recta linea categoriæ.

Assertio quarta. Partes integrantes dissimilares, si sumantur reduplicative, neque unitæ, neque separatę spectant ad prędicamenta. Probatur, quia sic sunt entia per accidens composita ex rebus diversorum prædicamentorum, scilicet ex figura, forma, situ, &c.

DVB. VLTIMVM.

An partes metaphysicæ sedem habeant in prædicamento substantiæ, & de serie illius.

PArtes metaphysicę in duplici sunt differentia: aliæ enim componunt per modum materiæ, ut genera, & species: aliæ per modum formæ, ut differentiæ. Certum est, partes Metaphysicas, quæ sunt genera, vel species, directe collocari, ut vidimus disputatione 2. dubio 2.

huius

huius Tractatus, contentio solum est de differentiis, quas in recta linea ponit Hurtadus, sequutus Ammonium.

Hurtadus disp. 9. sect. 3. §. 26.

Ammonius cap. de substantia.

Sit conclusio. Differentiæ excludendæ sunt à recta linea prædicamentali. Probatur, quia recta series prædicamenti est ordo prædicatorum, quæ inter se formaliter, & essentialiter connectuntur tanquam superiora, & inferiora, sed differētiæ non connectuntur ita cum generibus superioribus, ergo nō pertinent ad rectam seriem. Minor probatur, quia illa formaliter, & essentialiter ut inferiora cū genere superiore connectuntur, quæ illud includunt essentialiter, & de quibus ipsum eodem modo prædicatur, sed differentiæ non includunt essentialiter genus, neque de eis essentialiter prędicatur, quia est deratione generis esse extra differentiarū rationem, ergo non connectuntur cum eo essentialiter tanquā inferiora ipsius.

Ita communiter Dialectici.

Dices primo cum Hurtado citato. Species collocatur directe, ergo & differentia, quia per hāc illa constituitur. Nego consequentiam, nam etiam homo directe collocatur in prædicamento substantiæ, & tamen anima rationalis, per quam illæ constituitur, non collocatur directe, sed indirecte tantum: idem plane solum de differentia concludit argumentum.

Dices secundo. Hæc est directa prædicatio, Petrus est rationalis, sicut hæc alia, est animal, sed hoc sufficit ad directam collocationem, ergo differentia directe sicut genus collocatur. Nego minorem, nam ad directam collocationem alicuius non satis est ut directe de individuo prædicetur, nisi etiam de ipso genus supremum efferatur directe, quod non inuenies indifferentia.

Circa secundum coordinandum est hoc prædicamentum, ita ut primum obtineat locum substantia finita physice completa per se stans, quæ finditur in corpoream, & incorpoream, seu spiritualem. Ex substantia, & spirituali constituitur spiritus, qui partiri potest in varias species Angelorum, & has in varia individua Angelica, si ea cum Scoto admittas cōtra Thomistas. Ex substantia, & corporea fit corpus, quod secatur incorruptibile, in quo continentur cœlestes orbes, & incorruptibile, quod subsecatur in simplex complectens quatuor mundi elementa Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, & in mixtum quod deinceps dispergitur, in non vivens continens metalla, lapides, gemmas, &c. & in vivens quod distribuitur in non sentiens, ut planta, arbores, harumque infinita genera, species, & individua; & in sentiēs constituens animal; animal vero abit in rationale, quod cōstituit hominem, & irrationale quod constituit brutum, & hoc defluit in varia genera, species, & individua animantium; homo vero immediate in individua descendit, ut in Franciscum, Petrum, & Christophorum.

Aliis modis distribui poterant hæc genera, homo enim, & Angelus conveniunt in substantia intellectuali; vivens corporeum cum incorporeo in viventē ab utroque præciso; elementales orbes cum cœlestibus in

corpore simplici, sicque variæ convenientiæ erui poterant, nihilominus non est propterea proposita divisio improbanda, quia illo modo tradita optime pandit rerum naturas satis clare, & commode ad scientias parandas, & ad definitiones, & divisiones pro Logicę munere fabricandas, cuius rei gratia excogitata est.

Adverte. Omnia genera supra memorata, species, & individua, directe poni sub genere substantiæ supremo; differentias vero indirecte, & ad latus tantum, ut liquet in Tabella in nostra Synopsi tradita.

DISPVTATIO QVARTA.

De Accidente in communi.

PRIVSQVAM de novem Accidentium prædicamentis in particulari differam, operepretium duxi, accidētis communissimi obiectivum conceptum, & divisionem genuinam investigare, eiusque naturam quasi adumbrare, ut facilior pateat aditus ad singula prædicamenta exponenda.

DVBIVM I.

Quæ sit essentia Accidentis in communi.

ACcidens cōmuniter ita exponitur, ens in alio, id est, inhærens subiecto: modo videndum est, quænam inhærentia sit de essentia accidentis, an actualis, vel aptitudinalis. Pro cuius elucidatione notandum primo est, Accidens aliud esse extrinsecum, quod scilicet extrinsece tantum subiectum denominat, ut actio, quæ denominat agens. Aliud intrinsecum, quod scilicet intrinsece subiectum afficit. Porro accidens intrinsecum vel est entitas à subiecto realiter distincta, ut quantitas, albedo, vel modus ex natura rei ab illo diversus, ut ubi.

Notandū secundo. Subiectum aliud esse inhæsionis, & est illud, cui accidens unitur per unionem superadditam, hoc modo quantitas unitur materiæ. Aliud adhæsionis, cui accidens unitur per se absq. unione media, ita accidens modale unitur subiecto. Aliud postremo est subiectum denominationis, & est illud, quod denominatur ab aliqua forma accidentali absq. aliqua adhæsione, vel inhærentia talis formæ, hac ratione agens est subiectum actionis.

Notandum ultimo. Inhærentiam esse duplicē. Aliam actualem, & est illa unio media, qua entitas accidentis actu unitur subiecto. Alteram vero aptitudinalem, & est illa aptitudo, seu potentia, quam dicit accidens ad inhærendum.

Ethnici philosophi, essentiā accidentis cōstituunt in actuali inhærentia. Nos tamen fide docti contrarium tuemur, quippe in Euchari. reperiuntur accidentia sine subiecto.

Alii arbitrati sunt nullā inhærentiam actualem, vel aptitudinalem esse de essentia accidētis. Fundanturque primo, quia Mathematici contēplantur quāti-

Ita Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. & 7. Metaphy. quæstione 1.

titatem sine subiecto, ergo potest concipi sine inhærentia, sed hæc ratio frivola est: nam Mathematici non contemplantur quãtitatem secundũ essentiam, sed secundum figuram, & alias proportiones quæ sunt eius obiectum, & supponũt essentiam. Fundantur secundo, quia accidens est ens absolutum, at inhærentia est relatio ad subiectum, ergo non est de essentia entis absoluti: sed isti distinguant obsecro de relationibus, nam inhærẽtia est relatio trãscendentaliter respiciens subiectum; at relatio transcendentalis imbibitur in essentia cuiusvis rei absolute creatæ.

Ibidem Antonius Andreas, Trombeta, Sonzinas quæst. 1. & alii.

Novissime Hurtadus de Mendoça sic definit: Accidens, quod supponit substantiam, ipsamque perficit; sed Hurtado meminerit se asserere actiones creativas substantiarum esse accidentia, quæ nec supponunt rem, imo faciunt, nec illam perficiunt, cum sæpissime res incompletæ, & imperfectę substãtię creari possint, qualis est anima leonis, in sententia Hurtado, ergo prædicta ratio accidentis non competit creationibus.

Disput. 13. Met. sect. 1.

His positis, assero primo. De essentia accidentis extrinseci non est proprie inhærere subiecto, sed illud extrinsece denominare. Probatur, quia actio v. g. non inhæret agenti, ut calefactio non inhæret igni. Nec refert quod hæc inhæreat alteri, v. g. lignotum quia hoc non est universale omni actioni, ut liquet in creatione, quæ nulli subiecto inhæret; tum etiam quia est quasi materialiter, & non secundum propriam rationem actionis, quæ sumenda est in ordine ad agens, quod denominat, ergo de essentia accidentis extrinseci non est intrinsece inhærere, sed solum extrinsece denominare.

Assero secundo. De essentia accidentis realis intrinseci est aptitudinalis inhærentia, seu quod idem est, ex se postulare inhærentiã. Probatur, quia nullum est accidens reale absolutum, quod non possit inhærere, ergo de essentia illius erit aptitudo inhærendi. Consequentia probatur, quia aptitudo inhærendi non est proprietas, neque accidens cõmune respectu accidentis realis intrinseci, ergo erit de illius essentia. Antecedẽs probatur, quia in primis nõ est accidens commune, neque proprietas realiter distincta, quia alioqui posset esse tota essentia illius accidentis sine tali potentia, quod est falsum. Deinde neque esset ratione distincta, quia frustra distingueretur hoc modo ab illa, nam illa proprietas ratione distincta est accidens, ergo habet inhærentiam aptitudinalem. Modo interrogo, An talis inhærentia aptitudinalis sit illius proprietas, vel essentiæ? si primum, ergo datur processus in infinitum. Si secundum, potiori iure dicitur, primã inhærentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis realis absoluti.

Ita D. Tho. Caietan. Iabellus. Aegidius, Iandũnus, Herveus, Capreolus, Suarez, Vasser Cartudo inhærendi. Consequentia melita Diprobatur, quia aptitudo inhæ dacus à Ierendi non est proprietas, neque fu, Murcia accidens cõmune respectu acci- de la Llana dentis realis intrinseci, ergo e- apud Blãch rit de illius essentia. Antecedẽs hic, sect. 1.

Assero tertio. Accidens intrinsecum modale essentialiter claudit actualem actionem, sive inhærentiam cum te, cuius est modus. Probatur primo, quia ex reali separatione accidentis realis à subiecto, colligimus actualem inhærentiam non esse de essentia illius, ergo è converso

ex

ex reali inseparabilitate accidē tis modalis à re, cuius est modus, deduci poterit de essentia illius esse actualē affectionem, & coniunctionem cum subiecto, siquidem accidens modale, adhuc divina virtute spectata, nequit separari à subiecto, v.g. præsentia, & figura à quantitate. Secundo probatur, destruendo fundamentum contrarium: quia tota ratio, propter quam quidam Recentiores autumant, actualem inhærentiam non esse de essentia accidentis, modalis est, quia cogitant accidens modale inhærere subiecto per aliquid realiter superadditum, videlicet per actionem eductivam, per quam fit. Isti enim authores arbitrantur per eandē eductivam actionem, per quam aliquid fit, inniri subiecto, & pē rdere ab illo, quod est falsum, ut late ostendam, Deo dante, in libris de Generatione; & modo patet hac ratione. Quia si accidēs per eandem actionē per quā fit, uniretur subiecto, sequeretur accidens in concreto, prout dicit formam accidentalem, & inhærentiam, v.g. album, prout dicit albedinem, & unionem ad subiectum, esse ens per accidens constans ex rebus diversarum categoriarum; nam album, v.g. dicit albedinem, quæ spectat ad categoriam qualitatis, & diceret in doctrina opposita actionem eductiuam, quæ ut passio pertinet ad categoriā passionis; sed hoc est absurdū, cum omnia accidentia in concreto sint entia per se, & directe ponantur in suis prædicamentis, ergo accidens modale nō inhæret subiecto per actionem per quam fit, sed per suam met essentiam; & consequenter de essentia accidentis modalis erit actualis affectio, seu unio cum subiecto.

Assero quarto. De essentia cuiuscunque accidentis ponibilis in prædicamento, est actualis inhærentia. Probatur, quia in prædicamento solum ponuntur entia completa; atqui inhærentia est essentialiter requisita ad complementū accidentium, sicut subsistentia ad complementum substantiæ, ergo, &c. Vnde quantitas separata à subiecto ut sic, non est ponibilis in prædicamento, quia caret complemento.

Collige primo. Accidens in communi ita posse definiri, Forma aliquo modo afficiens, seu denominās subiectum: sub quā definitione accidentia intrinseca, & extrinseca, realia, & modalia comprehenduntur: nam accidens extrinsecum tametsi non inhæreat, proprie tamen aliquo modo afficit, & denominat subiectū, ut liquet in actione respectu agentis. Deinde pēt illam particulam, afficiens, distinguitur accidēs ab omni forma, & modo substantiali, qui non afficiunt, sed complent, & constituunt rem in suo genere.

Collige secundo. Inhærentiā latissime acceptā, prout abstrahit ab actuali, & aptitudinali, ab intrinseca, & extrinseca subiecti affectione, esse de essentia accidentis communissime sumpti; de essentia vero accidē tis intrinseci abstracti à reale, & modale inhærentiam propriè sumptam, abstractam ab actuali, & aptitudinali. Patet, quia istæ rationes abstrahunt à particularibus accidentibus, ergo etiam

etiam debēt abstrahi à suis particularibus differentiis, & solum dicere rationes, in quibus inferiora conveniunt.

Collige demum. Actualem inhærentiam non esse accidentis exsistentiam, quia exsistentia (ut videbitur in primo physico) est propria entitas rei, posita extra causas; ergo existētia accidentis erit propria entitas illius extra causas posita, & non inhærentia actualis, quę realiter, discrepat ab entitate accidentis. Ex hoc etiam habemus exsistentiam accidentis diversam esse realiter ab exsistentia substantiæ, nam cum essentia, & exsistentia non discrepēt realiter, à fortiori, quæ diversas entitates habent, debent habere distinctas exsistentias.

DVB. VLTIMVM.

An divisio accidentis in 9. genera sit mediata, vel immediata, univoca, vel analoga.

SVppono primo. Accidens cō munissime sumptum habere unum conceptum obiectivum distinctum à conceptibus accidentium, non tamen præcisum, quia 9. prædicamenta accidentium conveniunt in communissima ratione accidentis, & differunt per suas differentias, ergo possum concipere rationem, in qua conveniunt nempe esse in alio absque eo, quod concipiam quantitatem, qualitatem, &c. Quod talis conceptus non sit præcisus, patet, quia imbibitur in differentiis quantitatis, qualitatis, &c. quæ etiam sunt accidētia. Idem dicimus de accidente physice completo.

Suppono secundo. Accidens physice completum, & per se stans habere unum conceptum obiectivum præcisum à conceptibus accidentium, nam talis conceptus non clauditur in inferiorum differentiis; differentiæ namque accidentium, licet sint accidentia completa, non sunt tamen per se stantia, sed alteri adiacentia.

Dico primo. Divisio accidentis in 9. genera non est immediata. Ratio est clara ex dictis, quia potest immediate dividi in illud quod est res, & in illud quod est modus; quod est res in quantitatē, & qualitatem; quod est modus in intrinsecum, ut ubi, relatio, &c. & extrinsecum, ut actio; intrinsecum in absolutum, ut ubi, figura, &c. & relativum, ut relatio prædicamentalis. *Ita Suarez disput. 19. Met. sect. 1. & 3. ac multi recentiores.*

Dico secundo. Conceptus obiectivus accidētis completi physice, & per se stantis, univocus est ad novem genera accidentium. Probatur, quia quando aliquis gradus convenit omnibus inferioribus proprie, & intrinsece, præscinditque à differentiis illorum, est conceptus univocus, sed conceptus accidentis completi physice per se stantis, convenit omnibus accidentibus proprie, & intrinsece, & in eorum differentiis non includitur, ergo est conceptus univocus. Minor probatur, quia novē genera accidentium proprie, & intrinsece participant rationē accidentis completi physice per se stantis; & ex alia parte hæc

ratio nõ imbibitur in eorũ differentiis, ergo nulla ratio analogiæ potest in illo excogitari, quod enim aliqua accidentia dependeant ab aliis, ut figura à quantitate, non sat est ut conveniant analogice, ut probatum est.

Obiectabis. Accidens completum physice per se stans, est cõmune ad intrinsecum, & extrinsecum, ergo non est univocum, sed analogum. Probatur, quia quando ratio aliqua uni convenit intrinsece, & alijs extrinsece, non est univoca, sed analoga, ut liquet in ratione sani, quæ ex eo analoga est ad animal, urinam, & medicamẽtum, quia animali convenit intrinsece, urinæ, & medicamẽto extrinsece; atqui accidens intrinsecũ, v. g. quantitas intrinsece, participat rationem accidentis, accidens vero extrinsecum, ut actio extrinsece, ergo ratio accidentis in ordine ad illa nequit esse univoca, sed analoga. Respondeo negando consequentiam, & ad eius probationem dico, esse quid diuersum accidens esse extrinsecum respectu subiecti, & esse extrinsece accidens: nam quamvis actio, v. g. sit extrinseca agenti, & ita dicatur accidens extrinsece, cum tamen in se essentialiter claudat rationem accidentis, est intrinsece accidens, actio enim intrinsecæ, & essentialiter est ens, ergo est intrinsece substantia, vel accidens, non substantia ut est certum, ergo intrinsece accidẽs, tametsi respectu subiecti, quod extrinsece denominat, dicatur accidens extrinsecum, sicut visio, v. g. licet in se sit accidens intrinsece, est tamẽ accidens extrinsecum respectu rei visæ: quare non valet exemplum adductum de sano respectu animalis, urinæ, & medicamenti, cum non reperiatur in omnibus proprie, & intrinsece, sed dumtaxat in animali.

Ex dictis deducitur, accidens physice completum, & per se stans, esse genus ad novem genera accidentium, nam cum univocum sit, erit universum, & cum efferatur de inferioribus plusquam specie distinctis, nihil illi deerit ad veram rationẽ generis.

CAPVT SEXTVM.

De Quantitate.

SVMMA CAPITIS.

BIPARTITA est huius capitis doctrina. In prima enim parte traduntur duæ quantitatis divisiones. Prima, in continuam, & discretam. Continua est illa, cuius partes termino aliquo communi copulantur, ut partes lineæ punctis, partes superficiei lineis, sub hac numerantur li-

neæ,

nea, superficies, corpus, locus, tempus. Discreta est, cuius partes nullo termino communi copulantur: sub ea recensentur numerus, & oratio: nam partes numeri, v. g. ternarii, quæ sunt unitates, non copulantur aliqua unione. Secunda est, in quantitatem, cuius partes habent positionem in continuo, & in eam, cuius partes talem positionem non habent. In secunda parte tres enumerantur proprietates quantitatis. Primã, non habere contrarium. Secundam, non suscipere magis, & minus. Tertiam, ut à quantitate res dicantur æquales, & inæquales.

EXPONITVR textus.

Quarum autem, &c. Quod magis sustentat accidentia, magis accedit ad substantiam, authore Boetio; ideoque à Philosopho præponitur quantitas ad qualitatem. Prima divisio quãtitatis est in continuam, & discretam: utitur autem Aristoteles nomine concreto potius, quam abstracto, quia concreta sunt nobis notiora, quam abstracta.

Est autem disiunctum, &c. Proponit duas quantitatis discretę species, scilicet numerũ, & orationem, & probat esse quantitates discretas; nam quantitas discreta est illa, cuius partes nullo termino communi copulãtur, sed partes numeri, & orationis nullo termino communi copulantur, ut in numero denario quinque & quinque nullo termino medio coniunguntur, & in oratione syllabæ inter se non copulantur, quia quælibet syllaba dum profertur, separata ab alia profertur, ergo numerus, & oratio sunt quantitates discretę. Probat autem orationem esse quãtitatem, quia quod mensurator quantum est, sed oratio mensuratur syllaba longa, & brevi; ergo oratio quantitas est: quod intelligendũ non est de oratione mentali, sed de vocali, quam solã metimur syllabis longis, & brevibus.

Linea vero continua est, &c. Adducit species quantitatis continuę, scilicet lineã, superficiem, corpus, locum, & tempus, & probat esse species quantitatis continuę, quia habent partes copulatas termino communi, nam partes lineę copulãtur punctis, partes superficiei, lineis, partes corporis, superficiebus, partes temporis, instantibus, & partes loci (cum sit superficies) lineis. Ratione harum quãtitatum explicat quid sit punctum: estque quidpiam omnino indivisibile, situm habens in magnitudine; itaque licet punctum in quantitate exsistat, quantitatis essentiam non participat, quia partibus non constat.

Præterea alia ex partibus, &c. Priori divisione enodata gradũ facit ad secundã, quæ est. Quantitas alia est, quæ constat partibus habentibus positionem;

alia; quæ constat partibus cæ-tibus positione. Illa dicuntur habere positionē, quæ habent partes ita dispositas, ut una dicatur anterior, & alia posterior; alia dextera, & alia sinistra; illa vero non dicuntur habere positionem, quæ non habent partes ita dispositas.

Atque hæc sola, &c. Hic demonstrat illa, quæ proprie quanta non sunt, sed tantum beneficio aliorum quanti appellationem sortiuntur, ut qualitas, motus, actio, &c.

Sed proprie quanta, &c. Recensetin secunda parte proprietates quantitatis. Prima est non habere contrarium, sed statim sibi obiicit Aristoteles, Magnum, & parvum sunt quantitates, & tamen contrariantur, ergo quantitati aliquid est contrariū. Respondet, contrariari quatenus relata sunt; magnum enim dicitur tale per relationē, & comparationem ad aliud, quod parvum est. Alias, inquit, idem sibi ipsi contrariaretur, quia est magnum, & parvum respectu diversorum.

Porro autem, &c. Secunda proprietas est, Quantitas non suscipit magis, & minus, nam indivisibiliter competit rebus essentia, hocque attributum est proprium, secundo modo omni quadrans quātitati. Dices. Quātitas per raritatem fit magis, per densitatem minus, ergo nō est proprium quantitatis non suscipere magis, & minus. Respondeo negando antecedens: nam per raritatem dilatantur partes, non tamen fiunt magis quantę, per densitatem comprimuntur non tamen fiunt minus quantę; nā sive dilatatę, sive cōpressę sint, semper eadem ratione sunt quantę.

Proprium autē, &c. Tertia proprietas, quam Philosophus maximepropriam vocat, est ut à quantitate dicantur res æquales, vel inæquales. Illa nuncupantur æqualia, quæ habent pares quantitates, ut duo homines, septem palmorum. Illa vero dicuntur inæqualia, quæ impares quātitates habent, ut duo homines, unus septem palmorum, & alter palmorum sex. Hæc sint satis.

DISPVTATIO QVINTA.

De Quantitate continua, & discreta.

QVANTITATEM præponimus ad cætera accidentia, non quia sit in entitate præstantior, sed quia est aliquorum receptaculum, & immediate affigitur substantiæ, ideo prædicamenta accidētium ab ipsa exordimur, & quia Antesignanum sectamur Philosophum.

DVBIVM I.

Variæ sententiæ de essentia quantitatis oppugnantur.

PRænoto primo. Quantitatem duplicem esse, unam perfectionis, alterā molis. Quantitas perfectionis est illa, qua una res dicitur maior, vel minor, vel æqualis alteri in perfectione,

D. Tho. 1 p. q. 42. art 1. ad 2. & in te illū Aug. 6. de Trinitate, cap. 8.

ctione, sic in Angelis unus dicitur maior alio, quia perfectior. Quantitas molis, seu magnitudinis est illa, quæ tribuit substantiæ specialem extensionem partium in loco, de qua hic est sermo, nam prior transcendit omnia prædicamenta.

Prima sententia asserit, quantitatis essentiam sitam esse in eo, quod sit subiectum receptivum accidentium materialium ea ratione, qua essentia materiæ primæ posita est in eo quod sit primú subiectum receptivum. Sed hæc nullo nititur fundamento. Primo, quia si per impossibile quantitas nullum posset recipere accidens materiale, sicuti cœli non possunt suscipere qualitates contrarias, adhuc intelligeretur essentia quantitatis, & eius effectus formalis proprius, ergo esse subiectú accidentium non est eius essentia. Antecedens ostêdetur inferius, cum propriam rationem, & effectum formalé quantitatis aperiemus. Consequentia optima, nam in simili forma colligunt cõmuniter Doctores, posse substare accidentibus, non esse essentiam substantiæ, quia si nulli posset substare, adhuc eius maneret essentia. Secundo, quia non omnia accidentia materialia recipiuntur in quantitate, nam quantitas ipsa, motus localis, impulsus corporeus, præsentia, & duratio rei immediate recipiuntur in materia prima, & forma. Tertio, quia talis ratio subiecti supponit quantitatis extensioné, nam esse subiectum connaturale accidentiũ materialium habentium partes, supponit subiectum connaturaliter habens partes extensas, ergo, &c.

Dices. De essentia materiæ primæ est capacitas ad recipiendas formas substantiales, ergo de essentia quantitatis erit capacitas ad recipienda accidentia materialia. Nego consequẽtiam, quia materia prima essentialiter est primum subiectum, nec habere potest aliam rationem ista priorem, nec effectum formalé aliquem, cum non respiciat aliud subiectum; at quantitas habet aliã rationem priorem, & effectum formalem infra assignandum, cum respiciat materiam tanquam forma subiectum, quod afficit.

Instabis etiam Appetitus sensitivus est forma accidentaria, & respicit subiectum, & nihilominus est essentialiter potentia ad agendum, ergo & quantitas quamvis sit forma accidẽtalis respiciens subiectum, erit essentialiter potentia ad recipiendum. Respondeo, in appetitu sensitivo, & in aliis similibus potentiis, nullum alium effectum formalem deprehendi, vel rationem, per quam essentialiter cõstituatur; at in quantitate alia ratio, & effectus formalis invenitur, ut infra videbimus.

Secunda sententia constituit essentiam quãtitatis in eo, quod sit mensura substantiæ. Verum hæc sententia longe à vero abest, nam vel consistit ista ratio mensuræ ut quantitas mensuret, aut mensuretur actu, vel certe potentia, sed neutrum potest esse essentia illius, ergo, &c. Prima pars probatur. Primo, quia actu mensurare, vel mensurari est denominatio extrinseca quãtitati,

Ita nonnulli Autheres apud Conimbric. hic. q. 1. art. 1. Suarez disput. 40. Met sectione 3.

titati proveniens ex actu intellectus, conferentis unam quantitatem cum alia, ergo nequit esse eius essentia. Secundo, quia nulla res, etiam divinitus, inveniri potest sine sua essētia, sed quantitas potest inveniri quin actu mensuret, vel mensuretur, ergo nō est eius essentia. Minor probatur, quia si quantitas divina vi redigatur ad punctum, nec mensurare, nec mensurari poterit, cum careat extensione, nam ratio mensurę posita est in applicatione alicuius rei extrinsece ad dignoscendam alterius rei extensionem.

Secunda pars ostēditur, quia essentia est primum quod invenitur in re, & unde cætera attributa dimanant; sed mensurare, vel mensurari potentia, non est primum in quantitate, ergo neque essentia illius. Minor probatur, nam prius est habere extensionem, qua res alteri sit æqualis, vel inęqualis, quam posse mensurare, vel mensurari, ex eo enim quod quantitas sit extensa, potest esse mensura active, & passive.

Respondebis, mensuram radicaliter esse de essentia quantitatis. Sed contra, quia sicut prius est esse quantitatem extensam proxime, quam esse proxime mensuram, ita prius est esse radicaliter extensam, quam esse radicaliter mensuram.

Oppones. Aristoteles in hoc capite ex eo colligit, orationem esse speciem quantitatis discretę, quod mēsuretur syllaba longa, vel brevi. Et 5. Metaphysicę ait, numerū, & continuum esse quantitates, si mensurari possint, ergo, &c. Respondeo, Aristotelem collegisse à posteriori tanquam ex aliqua proprietate illas esse quantitates, sicut ex risibilitate colligi possumus Petrum esse hominem.

Tertia sententia tenet, divisibilitatem in partes eiusdem rationis, esse rationem formalem quantitatis. Non placet, quia prius est habere partes extra partes distinctas, & extensas, quam posse dividi quantitatē, ergo divisibilitas non erit essentia, sed summum proprietas. Antecedens probatur, quia ideo quantitas dividi potest in partes, quia postulat ex se habere partes extra partes, & extensas, ergo hoc prius est quam divisibilitas. Confirmatur, quia ideo quantitas reducta ad punctum, non est divisibilis physice, quia non habet extensionem, & circa indivisibile, & in extensum nequit physica divisio exerceri, ergo, &c. Secundo, posse esse æqualem, vel inæqualem, non est essentia quātitatis, sed proprietas, ergo & divisibilem esse nō erit essentia, utrumque enim supponit extensionem.

Ita nonnulli ex sectatoribus divi Thomæ, relati à Canisbricensibus, & Suarez.

Oppones. Aristoteles quantū ita definit: Est divisibile in ea, quæ insunt, ergo divisibilitas est essentia quantitatis. Respondeo, Aristotelem explicasse quātitatem per proprietatem.

5. Metaphy. cap. 13.

DVBIVM II.

An quantitas det partes substantiæ.

HOC dubium est necessarium ut exacte declaretur propria ratio, & effectus formalis quantitatis, ad quod supponenda sunt duo tanquam certa,

certa; & ab omnibus recepta. Primum, ſubſtantiam materialem ex ſe, & non à quantitate habere partes eſſentiales, ſcilicet materiam, & formam. Secundum, eandem ſubſtantiam non ex ſe, ſed à quantitate habere partes integrantes quantitativas. Dubium ergo ſolum eſt, An materialis ſubſtantia ex ſe habeat partes integrantes ſubſtantiales, & entitative diſtinctas: v. g. caput, pedes, manus, An potius effectus formalis quantitatis ſit huiuſmodi partes ſubſtantiæ tribuere. Hoc ultimum pro aris, focisque tuentur Thomiſtæ.

Ita D. Tho. Scotus, Vernetus, Antonius Andreas, Major, Soto, Suarez citati apud noſtrũ Blanch hic ſect. 2. item Conim. hic. tom. 1. Logica, ad c. 6. de quan titate, q. 1. art. 2. Hurtadus diſp. 33. Met. §. 31. contra Themiſtas, ut videri poteſt apud eũdẽ Blanch.

Sit tamen noſtra aſſertio, maiori Philoſophorum calculo firmata. Subſtantia corporea à ſe, & non à quantitate habet partes integrantes realiter diverſas. Probatur primo, nam entitas ſubſtantiæ corporeę, eſt diſtincta realiter à quantitate, & prius natura ante ipſam, vel ergo ut ſic concepta habet partes ſubſtantiales diverſas ex ſe, & ita cõcluditur inſtitutum; nam ſi ut pręciſa realiter à quantitate habet ſuas partes diverſas, il ę non ſunt effectus formalis quantitatis, aliàs ſine quantitate non poſſet concipi, ſicut neq. album ſine albedine. Si non habet, ergo ex ſe eſt ſubſtãtia ſimplex, & indiviſibilis, ſicut anima rationalis.

Dices. Ex ſe eſſe ſimplicem, habere tamen partes integrantes à quantitate. Sed cõtra, quia quantitas ſolum poteſt impendere ſubſtantiæ partes in genere cauſæ formalis, cõmunicando ſuam entitatẽ, & partes per unionem, ergo partes ſubſtantiæ ſolum erunt partes quantitatis illi unitę; atque id eſt falſum, nã ſicut tota entitas ſubſtantiæ eſt realiter diverſa à tota entitate quantitatis, ita & omnes partes ſubſtantiæ à partibus quantitatis; nam ſicut eſt proportio totius entitatis ad totam aliam, ita & partium unius ad partes alterius.

Secundo, materia ex ſe non habet partes, ſicut neque anima rationalis, ergo tam ſimplex eſt, & ſpiritalis ſubſtantia, quam anima. Reſpondebis, materiam habere partes à quantitate, à qua non habet anima. Sed contra, quia ut illatũ eſt ex tua opinione, materia nequit habere alias partes, quam quantitativas ſibi unitas, ſed per te eaſdem habet anima etiam unitas ſibi: nam ut docet Thomiſtica ſchola, anima rationalis eſt etiam ſubiectũ quãtitatis, ergo eodem prorſus modo ſe habent.

Tertio, quando aliqua actio ſucceſsive fit, debet habere terminum, qui ſucceſsive producatur, & pars poſt partem; partibus enim actionis debẽt correſpondere partes termini; ſed nutritio, quę eſt actio terminata ad ſubſtantiam, ſucceſsive fit & in tẽpore, ergo in ipſa ſubſtantia adquiſita per nutritionem, debent eſſe partes, quæ ſucceſsive producantur, & adquirantur; atqui nutritio eſt prior natura augmentatione, per quam producitur quantitas, ergo ſubſtantia prout terminat nutritionem, & antecedit quantitatem productam per augmentationem, habet partes ſubſtantiales entitative diſtinctas, & per conſequens non accipit illas à quantitate.

Quarto,

Quarto. Potest sacerdos consecrare dimidiã partem hostiæ determinatam, aliam dimidiam non consecrando, & tunc destrueretur in ea, dimidia parte consecrata, substantia, & in alia dimidia conservaretur, ergo tota substantia illius hostiæ partes habebat: unde acrius impugno Thomistas, quia non solũ ex vi consecrationis fuit destructa illa substantia panis dimidia ut substantia, sed etiam ut substantia realiter diversa, nam diversum esse substantiale in entitate ab eo, quod manet fuit destructum, ergo & destructa diversitas substantialis illius; atqui permanet dimidia quãtitas, qua illa dimidia substantia informabatur, ergo ex se, & non à quantitate habet substantia realem partium distinctionem.

Quinto. De facto pars materiæ, quæ est in pede, distincta est à parte materiæ, quæ est in capite, ergo istæ partes essentiales materiæ non distinguntur inter se per quantitatem. Patet consequentia. Vnaquæque res per eam rationem, per quam intrinsece constituitur, etiam ab aliis distinguitur, sed partes materiæ non constituuntur in suo esse substantiali per quantitatem, ergo nec differunt per illam. Minor probatur, quia istæ partes sunt substantiæ quamvis partiales, sed quantitas cum sit accidens, nequit dare esse substantiale, ergo istæ partes non constituuntur essentialiter per quantitatem.

Sexto. Si homini abscindatur brachium, ibi aliquid materiæ abscinditur, realiter distinctũ à materia, quæ remanet in reliquo corporis, ergo ibi erãt duæ partiales materiæ, altera quæ restat, altera quæ abiit cum brachio abscisso. Declaratur, nam si Deus denudaret materiam brachii abscissam propria quantitate, & aliam quæ remanet in corpore, vere ibi remanerẽt duę partes materiæ realiter separatę, & distinctę sine quantitate, ergo si approximentur, & uniantur inter se, erunt duæ efficientes materiam extensam duabus illis partibus constantem.

Oppones aliqua testimonia Aristotelis. Primum ex 1. Physi. ubi asserit, substãtiam ex se non esse divisibilem, ergo non habet partes ex se. 2. ex 5. Metaph. cap. 13. ubi definit quantum est divisibile in ea, quæ insunt, &c. sed si substantia ex se haberet partes, illi tota definitio competeret, ergo, &c. 3. ex hoc capite, ubi asserit Aristoteles, proprium esse quantitatis, ut ab illa dicantur res æquales, vel inæquales, ergo si substantia habet partes, habet illas æquales, vel inæquales, quod est proprium quantitatis. Ad primum respondeo, Aristotelem debere interpretari de indivisibilitate in partes impenetrabiles, non vero in partes entitative distinctas. Et hac solutione diluuntur reliquę obiectiones ex Aristotele. Quare ad secundum dices, in definitione quanti divisibile in ea, &c. Aristotelem loqui de divisione per partes impenetrabiles, & quantitativas. Ad tertium vero respondebis, proprietatem quantitatis esse, ut ab ea res dicantur æquales, vel inæquales secundũ partes impenetrabiles, & quantitativas, quod non convenit substantiæ, ut vidimus.

Oppones

Oppones ultimo. Substantia habet partes, ergo potest habere illas hoc, vel illo modo dispositas inter se; ergo habebit figuram, quæ consistit in tali dispositione partium in ordine ad se, quod est contra omnes Philosophos, dicentes, figuram esse terminum quantitatis. Respondeo, substantiam ex se habere figuram, ut bene probat argumentum: quando autem communiter dicitur, figuram esse terminum quantitatis, intelligendum est de figura quantitativa, quæ resultat ex partibus quantitatis impenetrabilibus.

DVBIVM III.

Quænam extẽsio sit essentia quantitatis.

ARistotelica, & bene sentiens schola, propriam rationem formalem quantitatis in extensione esse positam consentit: dissentit tamen in ea explicanda. Pro quo

Adverte, extensionẽ esse quadruplicem. Prima dicitur extensio entitativa, quæ in eo sita est, ut res aliqua constet diversis partibus entitatem componentibus, quarum una non sit alia, ut videre est in corpore humano; alia enim pars est substantia capitis, alia pedis. Secunda extensio est occupativa loci extensi, quæ in eo sita est, ut res illa occupet locum extensum, sive tota in toto loco, & tota in qualibet parte, sive non. Tertia dicitur extensio situalis, quę est illa, qua res ita occupat locum, ut tota res sit in toto loco, & tota in parte. Quarta est extensio impenetrabilis, seu expulsiva alterius quantitatis ab eodem loco, quæ duplex est; alia actualis, quæ sita est in actuali impenetratione, ita ut res non sit actu penetrata, neque possit realiter penetrari; aptitudinalis altera, quæ consistit in extensione quadam talis cõditionis, ut exigat natura sua talem impenetrabilitatem actualem tanquam eius radix.

Dico primo. Extensio entitativa non est essentia, & formalis ratio quantitatis. Probatur, extensio entitativa sita est in eo, ut res aliqua constet diversis partibus, quarum una non sit alia; atqui substantia, ut vidimus superiori dubio, ex se constat partibus substantialibus, quarum una non est alia, ergo substantia ex se habet extensionem entitativam, & consequenter essentia quantitatis non erit hæc extensio.

Dico secundo. Extensio partium in ordine ad locum, hoc est, habere partes distinctas, & ordinate unitas, non est essentia quantitatis. Probatur, Deus potest conservare substantiam corporeã sine quantitate in eodem loco, in quo antea erat cũ illa: nulla enim in hoc apparet implicatio, sed in eo eventu partes essent ordinatę, non secus ac sub quantitate, ergo ordo partium in toto à quantitate non potest provenire. Minor est evidens, quia ordo partium ad totum, nihil est aliud, quam caput, v.g. in homine esse unitum collo, & non pectori, collũ vero pectori, & non cruribus, &c. ergo sic substantia corporis maneret in eodem loco non divisa, sed continua persisteret eodem

Ita fere communis opinio.

dem modo ordinata.

Confirmatur, quia unio, qua caput unitur collo, non poteſt illud unire immediate pedi, & aliis partibus, ergo tunc novæ eſſent producendæ uniones, ut aliæ partes, aliis contra priſtinam, & connaturalem ordinem unirentur, quod tamen fingere, à vera philoſophia, & ratione abhorret: nulla enim eſt cauſa, quę cogat veteres uniones invertere, & alias novas producere.

Dico tertio. Extenſio ſitualis in ordine ad locum non eſt illius eſſentia, quia ea extenſio ſita eſt in eo, ut res habeat partes ita diſpoſitas, ut pars eius reſpondeat parti loci, & totum toti loco, ſed hoc etiá ſine quãtitate cõvenit ſubſtantiæ corporeę, ergo, &c. Minor oſtẽditur, quia ſi ſubſtantia ſpoliaretur divinitus quantitate, locum retineret eũdem, & diſpoſitionem, quam in illo antea ſub quantitate habebat, ergo & extenſionem ſitualem in ordine ad locum.

Dices. Tunc ſubſtantiã corpoream ad punctum fluxuram, & diſpoſitionẽ priſtinam amiſſuram, ita quidam non innobiles Philoſophi opinantur, ſed immerito. Primo, quia ſpoliatio quantitatis non eſt motus localis, nec principium eius, ergo non eſt cur moveantur partes ſubſtantiæ quantitate ſpoliatę, & cõtinuo fluant ad punctum. Secundo, quia ſubſtantia corporea natura ſua eſt materialis, & diviſibilis, ergo poſtulat ſpatium diviſibile, & extenſum. Tertio, quia ſubſtantia illa eſt ſubjectum proportionatum ad ſuſcipiendam quantitatem ablatam, vel ſimilem, ergo debet manere extenſa. Patet conſequentia: nam ſicut tota quantitas recipitur in tota ſubſtantia ut in ſubiecto, ita partes quantitatis in partibus ſubſtantiæ, ergo ſicut tota ſubſtantia ſupponitur alicubi, ut recipiat quantitatem, ita & partes ſubſtantiæ ſupponentur in illo ſpatio ubi futuræ ſunt ſub partibus quantitatis: quare ſi quantitas futura eſt in ſpatio bipalmari, in eodem loco ſupponẽtur ſubſtantiæ extenſæ, ergo iam poſtulat natura ſua extẽſionem in ordine ad locum, & cum illa maneret ablata quantitate, cum ab hac non accipiat illam.

Dico quarto. Extenſio actualis in ordine ad locum, quæ dicitur impenetratio, qua ita ſunt partes corporis affectæ, ut ſe mutuo, & alias alterius corporis ab eodem ſpatio neceſſario excludant actu, non eſt eſſentia quantitatis. Probatur, quia poteſt Deus efficere ut partes corporis quanti ſe actu penetrent inter ſe, & cum aliis, ergo impenetratio actualis non poteſt eſſe eſſentia quantitatis. Antecedens liquet, nam de facto Chriſtus Dominus in Euchariſtię myſterio retinet ſuam quantitatem, & tamen omnes eius partes ſunt penetratæ inter ſe in eodem puncto ſpatii, & præterea penetrantur cum quantitate hoſtiæ, occupat enim idem ſpatium cum illa.

Dico ergo, quinto. Eſſentia quantitatis conſiſtit in eo, ut ſit forma tribuens ſubſtantiæ radicalem extenſionem, & diſtantiam partiũ in loco, ita ut ſubſtantia quantitate affecta ita ſe habeat, ut poſtulet actualẽ extenſionem, & habere partes extra

Ita Suarez diſput. 40. nu. 15. Nodler Blanch hic ſect. 1. & fere omnes Doctores, qui antu-

mät, substä tiã sine quã titate, habere distinctionem partiũ integrantiũ

trã partes impenetrabiles in loco. Probatur primo à sufficienti partium enumeratione, quia essentia quantitatis consistit in extensione, sed non in entitativa, neque in occupativa loci precise, neque in situali, ergo in extensione impenetrabili radicaliter in ordine ad locum.

Secundo. Essentia est id, quod primo, & formalissime rem cõstituit, & ab aliis distinguit, & est radix eorum, quæ talem rem comitantur, sed radicali extensioni, & impenetrabilitati hæc omnia conveniunt respectu quãtitatis, ergo est eius essentia. Minor suadetur, nam quantitas optime constituitur per radicalẽ extensionem, & impenetrabilitatem, & distinguitur à substantia, & à quovis accidente, nullibi enim talis ratio apparet nisi in quantitate: deinde ex radicali extensione, & impenetrabilitate oritur, ut quãtitas actu occupet diversum locum cum impenetratione partium actuali, & ex hac extensione actuali provenit ut possit esse mensura, & reddat substantiam mensurabilem; nam res in puncto posita non est apta ut mensuret, aut mensuretur; insuper ex hac extensione emanat divisibilitas quantitatis, ut vidimus supra. Postremo reddere æquale, vel inæquale in mole corporea, quod tanquam maximè proprium quantitati tribuitur, pendet ex extensione impenetrabili in ordine ad locum, ergo, &c.

Confirmatur: nam duo corpora ex vi quantitatis, quam habent, sunt impenetrabilia naturaliter, & postulant diversum locum, & spatium, ergo similiter partes eiusdem corporis ex vi quantitatis, sunt naturaliter impenetrabiles in loco, & petunt diversum locum partiale. Roboratur: aliqua forma debet dari, à qua formaliter, & immediate proveniat ista impenetrabilitas in loco, sed hæc non potest esse nisi quantitas, ergo, &c. Maior est certa, nã iste effectus est realis, ergo petit formam realem. Minor probatur, quia non convenit substantiæ, & aliis rebus per suas entitates, quod ab effectu declaro: nãtametsi qualitates materiales ex se habeant partes integrantes entitative distinctas, tamen plures ex illis videmus naturaliter penetratas in eodem loco, v.g. in lacte, dulcedo, & albedo sunt inter se penetratę, & cum substantia lactis, quia occupant idem spatium, & locum, ergo ex hoc recte colligimus dare substantiæ, & aliis rebus impenetrabilitatem, & vim expellendi alias res à proprio loco, esse effectu proveniẽtem à forma distincta.

Ex his aperte constat, qua ratione intelligendum sit, quod communiter dicitur, videlicet de essentia quantitatis esse extensionem in ordine ad se, non vero in ordine ad locum. Sensus enim huius dicti est, actualem extensionem in loco non esse quantitatis essentiam, cum possit illa privari, sed extensionem in ordine ad se, id est, ex se postulare actualem extensionem in loco.

Arguis primo: Deus potest cõservare substantiam sine quantitate extensum in loco, ita ut habeat partes correspondentes diversis partibus loci, vel spatii, ergo sine quantitate potest

habere substantia partes impenetrabiles; atque adeo effectus formalis quantitatis non erit reddere partes substantiæ impenetrabiles. Patet consequentia, quia habere partes impenetrabiles, nihil aliud est, quam habere illas correspondentes diversis partibus spatii. Respondeo concedendo, substantiam sine quantitate posse habere partes extensas in diversis partibus spatii; negando tamen habere illas impenetrabiles, quia ad hoc non sufficit habere illas quomodocunque extensas, sed ita ut id postulent ex sua natura, taliter ut repugnet illis esse in eodem loco, & debeant necessario expellere aliud corpus ab eodem loco; hoc autem non conveniret partibus substantiæ privatis quantitate, quæ ita essent in diversis partibus loci, ut id non postularent ex sua natura, nec illis repugnaret esse in eodem loco, nec obstarent aliis corporibus, quo minus illud spatiũ replere possent: quare prædictę partes substantiales non adessent diversis partibus spatii, eo quod non possent esse in eodem spatio, sed quia cum possent esse utroque modo, inveniç sunt præsentes illis spatiis, in quibus immutatę manẽt

Sed instabis contra solutionem: Si substantia sine quantitate haberet partes extensas in loco, haberet illas præsentes diversis partibus spatii per diversas præsentias partiales; atqui conservatis illis præsentiis partialibus, non possent prædictę partes esse in eodem spatio; quia variato spatio, variatur præsentia, ergo conservatis illis præsentiis, ita essent in diversis spatiis ut possent esse in eodem, & ita essent impenetrabiles absq. quantitate. Respondeo negando consequẽtiam, quia licet partes substantiæ non possent esse in eodem spatio conservatis illis præsentiis, quia tamẽ quantum est ex se non postulant conservare tales præsentias, neque repugnaret illis amittere illas, & adquirere alias in eodem spatio, ideo nõ essent impenetrabiles, quia impenetrabilitas nõ cõsistit in hoc, quod partes ex suppositione, quod cõservent diversas præsentias in diversis partibus spatii, non possit esse in eodem spatio, sed consistit in hoc, quod partes postulent ex sua natura illam suppositionem, scilicet habere diversas præsentias in diversis partibus spatii, quod quidem non conveniret partibus substantiæ privatis quantitate. Quemadmodũ licet duo Angeli cõservatis præsentiis in diversis spatiis, non possent esse in eodem spatio, nõ perinde sunt impenetrabiles, quia quantum est ex se possunt amittere illas præsentias, & absolute adquirere alias in eodem spatio. Addo, quòd illæ partes substantiæ adhuc conservatis illis præsentiis, non expellerent aliud corpus ab eodem loco, sed posset corpus occurrens penetrari cum illis, & cum eis esse in eodem spatio.

Quæres primo. An impenetrabilitas, quæ est essentia quãtitatis, sit aliqua vis efficienter aliam trudens ab eodem loco. Ita videtur sentire Scotus, *In 4. distin. 49. q. 10. in solut. 2.* Respondeo, quantitatem eo ipso quod sit moles corporea, expelle-

pellere aliâ formaliter per incompossibilitatẽ naturalem in eodem loco cum illa, nam formæ ab eodem subiecto se formaliter expellunt, ergo quantitates ab eodem spatio: non enim essentia quantitatis posita est in eo, ut sit productiva impulsus in partes ut se mutuo excludant, quia alioqui quantitas esset potentia realis productiva impulsus, & ex consequẽti qualitas; sicut gravitas, & levitas sunt qualitates, & potentiæ productivæ impulsus. Tandem quia esse productivam impulsus, supponit in quantitate partes, quę invicem expelli possint, ergo potius esset extensio entitativa illius essentia.

Quæres secundo. Quid sit actualis impenetratio, quæ censetur effectus secundarius quãticatis? Hurtadus in Physica, disput. 14. sect. 5 §. 43. existimat esse ubi circunscriptivum. (tametsi in Metaphysica disput. 23. §. 38. contrarium dicat, asserendo esse actualem negationẽ alterius partis eodem in loco) Sed contra, quia manẽte eadem extẽsione, vel impenetratione, mutatur præsentia localis ad spatium, ergo una ab alia differt. Secundo, dulcedo, & albedo in lacte, cum suis præsentiis, circunscriptivis penetrantur, ergo impenetratio quãtitatis non est ubi circunscriptivum. Tertio, etiam substantia exuta quãtitate, extensionem, & ubi circunscriptivum habere posset in sententia Hurtadi, esset tamen penetrabilis cum aliis, ergo ubi circunscriptivum esse nequit impenetratio quantitatis.

Alii autumant esse modum positivum superadditum, ratione cuius partes sunt actu impenetratę. Sed contra, quia modus superadditus esset impenetratus, saltem cum alio simili modo, ut est certum, sed non esset impenetratus per aliũ modum positivum, sed per solam negationem simultaneæ exsistentiæ in eodem spatio cum illo, ergo una quantitas non est impenetrata cum alia per modum positivum superadditum, sed per similem negationem.

Ad responsionem noto, penetrationem, & penetrabilitatem esse quid positivum: penetratio enim dicit coniunctionẽ duarum præsentiarum diversarum quantitatum in eodem loco simul; penetrabilitas vero est potentia ad talem penetrationem. Hoc posito, respondeo, impenetrabilitatem consistere in negatione penetrabilitatis, impenetrationem in negatione penetrationis, seu præsentiæ in eodem spatio. Probatur primo, quia hoc ipso quod duæ quantitates habeant negationem simultaneæ exsistentię in eodem spatio loci, intelliguntur impenetratę, ergo impenetratio erit negatio exsistentiæ in eodem spatio. Confirmatur, quia si exsistant simul duæ quantitates in eodem spatio, hoc ipso intelliguntur penetrare; ergo si habeant negationem talis exsistentiæ, in illo erunt impenetratę. Secundo, quia sicut duæ quantitates sunt impenetrabiles, & repugnant sibi in eodem spatio loci, & ab eo se expellunt, ita duæ formæ contrariæ, ut calor, & frigus, sunt incompossibiles in eodem subiecto, & in illo sibi repugnant, & se mutuo expellunt, sed actualis incompos-

sibilitas; & ut ita dicam impenetratio subiectiva duarum formarum, solum est negatio simultaneæ coëxistentiæ, orta à natura ipsarum formarum, ergo & impenetratio localis duarum quantitatum erit solæ negatio coëxistentiæ in eodem loco, orta à natura quantitatum.

Contrarium tenet Hurtadus disp. 13. Meta. §. 13.

Quæres ultimo, An recte definita sit quantitas ab Aristotele 5. Met. cap. 13. Quantum est divisibile in ea quæ insunt, quorum utrumque, vel unumquodque, unúquid, & hoc aliquid aptum est esse. Respondeo affirmativè: nam bene illius natura per proprietatè exprimitur, ut fiet perspicuum singulas definitionis partes explicando. (Quantum ergo est divisibile) quod dicitur ut secernatur à punctis, quæ prorsus indivisibilia sunt, & à substantia, & aliis accidentibus, quæ licet extensionem habeant, non tamen ratione sui physicè divisibilis; si enim quantitate pareterent cum ferro penetrarentur. Hinc non excluditur quantitas cœli, nam ex se divisibilis est, quamvis ratione subiecti incorruptibilis dividi nequeat. (In ea quæ insunt) id est, in partes, quæ realiter, & formaliter sunt in ipso quanto, ut excludantur corpora mixta, quæ etsi dividi, & potius resolvi possint in elementa, ipsa tamen elementa non sunt formaliter in mixto. (Quorum utrumque) id est, omnes partes simul (Vel unumquodque) id est, aliqua illarum separata (Unumquid, & hoc aliquid aptum est esse) id est, apta est esse unum totum completum.

Colligo ex dictis, essentiam quantitatis sitam esse in ordine te quadam positiva, in qua proxime fundatur negatio penetrabilitatis, & remote negatio penetrationis: unde definiri poterit, Forma accidentalis postulans natura sua extensionem impenetrabilem.

DVBIVM IV.

An quantitas realiter differat à substantia materiali, & qualitatibus eius.

A Vreolus, & Nominales, quos citat Suarez, habitat quantitatem non distingui realiter à substantia, & qualitatibus eius, sed eandem rem, prout est ens per se existens, esse substantiam, prout verò habet partium extensionem quantitatem, aliquidne prout est disgregativa visus, vocitari aliquidne prout verò habet extensionem quantitatem, unde in unoquoque composito tot dari quantitates dicunt, quot sunt entitates materiales re distinctæ.

Disput. 40. Met. sect. 2.

Dicendum tamen est cum communi Philosophorum sententia, quantitatem ipsam differre realiter à substantia, & qualitatibus eius, Probatur illa distinctio realis ut res sit, quorum utrumque potest conservari sine altero, sed quantitas potest conservari sine substantia, & è converso, ergo quantitas, & substantia differunt realiter. Antecedens non probatur, quia in primis quantitas potest conservari sine substantia, ut liquet in venerabili Eucharistiæ mysterio: nam enim

Ita D. August. D. Thom. Aristot. Scotus, Durand. Suarez, quos refert, & sequitur Blanch. dis. sect. 3.

enim manet quantitas substantia panis destructa ipsa substantia: deinde substantia potest conservari sine quantitate, quia magis dependet quantitas à substantia, quam è contra; quantitas enim dependet à substantia in genere causæ materialis, quia in ea subiectatur, & in genere causæ efficientis, quia ab ea fit, & demum in genere causæ finalis, quia ad illam perficiendam ordinatur. Sed quantitas potest conservari sine substantia, ergo multo melius substantia sine quantitate.

Respondeo Nominales, quantitatem panis non manere in Eucharistia, bene tamen quantitatem albedinis, & aliarum qualitatum ibi manendum, quæ à substantia, & eius quantitate ita differunt. Sed hæc responsio in primis est contra omnes Theologos, qui dicunt, quantitatem panis manere in mysterio Eucharistiæ. Deinde impugnatur primo, quia accidentia Eucharistiæ ita inter se cohærent, ut motore uno reliqua omnia moveantur, & sint simul, ergo necesse est ut inter se, vel cum alio tertio connectantur; atqui nec inter se habent immediatam connexionem, cum non se mutuo informent ut actus, & potentia, (hæc enim est major ratio, cur unum se habeat ut subiectum, & alterum ut forma informans, quam è contra) nec potest assignari aliud tertium, cui inhæreant, nisi quantitas panis, ergo illa manet ut commune subiectum. Dices: Connecti cum Christo Domino sicut & quantitas panis in communi opinione cum ipsa Christo connectitur unione effectiva, vel formali, iuxta diversas sententias. Sed contra, quia sequeretur miracula sine necessitate esse multiplicanda; nam omnes illæ qualitates, cum non haberent aliquod subiectum commune quantitatis, ex nihilo crearentur. Item non posset hostia consecrata calefieri naturaliter ab igne, quia agens naturale nequit producere accidens extra omne subiectum, quod est contra experientiam.

Impugnatur secundo: Nam hostia consecrata impenetrabilis est naturaliter cum alia hostia, & cum quovis alio corpore, sed hoc solum provenit ex quantitate panis, ergo hæc manet post consecrationem. Probatur minor, quia accidentia panis secundum suas essentiales exigentias penetrabilia sunt inter se, & cum substantia panis. Respondet potest, alias qualitates, & accidentia ratione propriæ extensionis solum expellere alias qualitates, & accidentia sibi non subordinata, qualia sunt accidentia eiusdem speciei, non vero sibi subordinata, qualia sunt, accidentia quæ ad eiusdem subiecti perfectionem sibi invicem subordinantur, & ita ratione huius subordinationis se mutuo in eodem subiecto, & loco patiuntur, & illius defectu alias excludunt, unde fit hostiæ non posse penetrari cum alio corpore, quia semper habet aliquam quantitatem eiusdem speciei cum alia quæ est in corpore, cui admovetur. Sed contra primo, quia multæ species impressæ eiusdem speciei sunt simul in eadem parte aëris, & in eodem oculo, ergo non sunt impenetrabiles. Antecedens ostenditur, quia si proponatur ante ocu-

te oculos duplex rosa in quamlibet partem aëris, diffundet sui speciem impressam, (ex omni enim parte quælibet videri poterit) & ita etiam imprimet utramque sui speciem in oculo; atqui istæ species impressæ sunt qualitates eiusdem speciei, cum sint virtuales repræsentationes obiectorum solo numero differentium, ergo iam variæ species, &c.

Verum quoniam Nominales negãt, species impressas ab obiectis emissas, aiunt enim potẽtiam, v.g. visivã, ad præsentiam tãtum sui obiecti operari. Prob. secundo, quia saltẽ oculus si illi obversentur, duplex rosa eliciet simul duas visiones illarum solo numero distinctas; atqui istæ tunc erunt penetratæ simul in eodem loco, & spatio, ergo qualitates eiusdem speciei nõ sunt impenetrabiles. Respondebis, licet sint eiusdem speciei habere diversa munera, & effectus formales, & ita possunt similes qualitates esse penetratæ in eodẽ subiecto, & spatio, quia subordinantur ad eiusdem subiecti perfectionem: quod quidẽ contingit in duplici visione perfecta, deservit enim quælibet ad visionẽ diversi obiecti; at quando qualitates sunt eiusdem speciei, & sine diverso munere, istas esse impenetrabiles. Similiter enim cõmunis opinio pronuntiat accidentia eiusdẽ speciei, & solo numero distincta, non posse informare simul idẽ subiectum, ut duplex albedo, duplex calor integer, & nihilominus quando accidentia sunt eiusdem speciei, ita ut diversa munera exequuntur, illa simul admittit in eodem subiecto, ut duas species impressas, duas visiones diverso numero obiecti. Quo circa probatur

Tertio: nam si duæ sphęræ crystallinæ divinitus penetratę, obiicerentur soli, utraque illuminaretur sine novo miraculo vi naturali illuminativa solis; nam utraque esset applicata, & subiectum capax lucis; nec maior esset ratio, cur una potius, quam alia illuminaretur. Nunc sic, utraque tunc naturaliter recipit lucem solo numero distinctam, & sine diverso munere, ut certum est, sed tunc utraque lux est simul penetrata, ergo neque qualitates eiusdem speciei, & muneris sunt impenetrabiles. Maior est certa, nam una, & eadem forma naturaliter non potest duo informare subiecta diversa, ergo cum ibi sit duplex sphęra illuminata, unaquæque recipit lucem numero diversam penetratam cum alia, nam cum sphęræ sint penetratę, similiter etiam & utraque lux.

Oppones primo: Si quantitas esset aliquid distinctum à substantia, & illi superadditum, maxime ut tribueret illi extensionem, sed ad hoc non requiritur, ergo, &c. Probatur minor, quia si Deus conservaret substantiã absque quantitate, posset nihilominus tunc substantia esse extẽsa in loco, ergo ad hũc effectum præstandum non requiritur quãtitas à substãtia distincta. Respondeo, quãtitatem esse aliquid superadditum substantiæ, ita ut partes illius extendantur non quomodocunq, sed impenetrabiliter, ita ut partes substantiæ affectę quantitate non possent esse simul in eodem

dem loco, quod non conveniret substantiæ destructa quantitate, quia tunc partes substantiæ possent esse in eodem loco, ita ut non expellerent ab illo alia corpora, sed possent cum illis penetrari, ut vidimus.

Oppones secundo. Forma seipsa expellit aliam à subiecto, ergo materia prima seipsa poterit aliam expellere ab eodem loco. Nego consequētiam, quia formam expellere aliam à subiecto, non provenit ex peculiari repugnantia formarum ut sic, sed ex generali ratione formæ, quę in eodem subiecto multiplicari nequit, & etiam ex ratione subiecti, quod recipere nō potest simul plures formas substantiales, quia id fit per unionē intrinsecam cum subiecto, & constituendo unum per se, ac tribuendo effectus intrinsecos: at esse in spatio, cum non sit effectus intrinsecus spatio, nec corpori præsenti, sed extrinsecus, non repugnabit materiæ, aut qualitatibus ratione sui, aut spatii plures esse in eodem spatio: unde tota repugnātia oriri debet ex impenetrabilitate, proveniente à quantitate distincta.

Oppones tertio. Substantia per seipsa est receptiva contrariarum qualitatum, ergo non mediat inter substantiā, & qualitates res distincta, quę sit quāticas; nam si mediaret, etiam illa esset receptiva contrariarum qualitatum, imo immediatius illam reciperet. Respōdeo, substantiam esse susceptivam contrariorum ut primum subiectum, & ut quod; quantitatem vero ut proximum, & ut quo.

Oppones ultimo. Albedo est quanta, sed non quia recipitur in subiecto quanto, ergo quia habet quantitatem. Minor patet, subiectum non denominat formam, sed potius è contra. Confirmatur, subiectum penetrabile, & incorruptibile non tribuit hanc denominationem formæ, ergo neque subiectum quantum poterit eam impertiri. Respondeo, albedinem esse quantam extrinsecè, & per accidens, quia est in eodem spatio cum quantitate, quæ intercludit aditum aliis corporibus in eodem spatio, in quo ipsa est. Ad confirmationē dico, etiam si qualitas sit in spatio, vel subiecto rei incorruptibilis, non tamen hanc haurit ab ea appellationem; nam licet materia incorruptibilis sit, non tamen impedit ut qualitates in ea receptę alterentur; at quantitas, ut dictum est, prohibet ingressum alterius corporis in idem spatium albedinis, & ideo albedo extrinsecè, & per accidens ratione quantitatis, in cuius spatio exsistit, appellari potest quanta, & impenetrabilis.

DVBIVM V.

De passionibus quantitatis.

TRes attribuit quantitati proprietates Aristoteles. Prima est non habere contrarium; cuius ratio est, quia contraria se mutuo ab eodem subiecto expellunt, sed nulla quantitas expellit aliam ab eodem subiecto, ergo, &c. Minor patet, nam ut expelleret aliam, deberet informare illius subiectum, nam contraria informa-

tione se expellunt, sed quantitas semel recepta in suo subiecto nunquam illud deserit, & migrat in aliud, ergo nulla expellit aliam.

Opponis. Maior, & minor quantitas sunt contraria, ergo iam habet contrarium. Confirmatur, quia augmentatio, & diminutio sunt motus contrarii, tendentes in quantitatem, sed motus sumit contrarietatem à termino, ergo necesse est una quantitas sit alteri contraria. Negatur antecedēs, quia eadem quantitas foret sibi contraria: nam eadem quantitas, v.g. hominis cum formicæ quantitate comparata, est maior, cum elephantis vero minor. Ad confirmationem respondeo, augmentationem, & diminutionē non esse motus oppositos contrarie, sed privative, quia augmentatio est positiva, & diminutio privativa, quia ut sic terminatur ad non quantitatem; si vero diminutio positive sumatur, ut tēdit ad minorem quantitatem, non sunt motus proprie contrarii.

Secunda proprietas est, non suscipere magis, & minus; nam licet una quantitas sit alia maior, non tamen magis quantitas. Hæc etiam substantiæ competit. Tertia esse æqualem, vel inæqualem, quæ dicit entitatem, cum non repugnantia ut alteri sit æqualis, vel inæqualis, vel extrinsecam denominationem petitam à quantitatibus eiusdem, vel diversæ magnitudinis, quod conveniret etiam quantitati, etsi unica esset in rerum natura, quippe haberet partes, quæ invicem æquales, vel inæquales esse possent. Hæc proprietas, si de æqualitate molis sit sermo, est propria solius quantitatis; si de æqualitate cuiusvis extensionis, communis est cuilibet rei extensæ; si de æqualitate virtutis, cōperit cuiqenti, sic enim etiam Angeli appellantur in virtute, id est, in perfectione, vel scientia æquales, aut inæquales.

Aliæ superaddi possunt. Prima, impenetratio, quam flagitat quantitas, de qua iam supra dictum fuit. Secunda, habere figuram, quæ modus est iuxta probabilem sententiam, ex natura rei à quātitate distinctus, quod infra examinabimus. Tertia, esse physice divisibilē, de qua dictū supra. Quarta, esse mensurā active, & passive, quo pacto mēsura connotat rem mensurabilem, & intellectum potentem mensurare. Obicies: Aristotelē asserentem, mensuram esse unitatis proprietatem, ergo non quantitatis. Respondeo, mensuram quantitatis discretæ esse proprietatem unitatis, quæ repetita mensurat numerum; at mensura per applicationem rerum æqualium continuarū convenit quantitati continuæ, quæ proprietas etiā conveniret quātitati infinitę; si darentur quippe duæ infinitæ quantitates, invicem mēsurari possent, & mensurare. 10. *Metaph.* *cap.* 12.

Addunt alii, quintam scilicet esse finitam, vel infinitā, ac primum non de infinito sincategorematico, sic enim nō esset proprietas quantitatis finitam esse, vel infinitam, sed potius esse finitam, & infinitam in diverso genere. Deinceps nec est verum de infinito categorematico, quia etiam si concedatur

possibile, id tamen erit de potentia absoluta Dei, quod autē alicui rei cōvenire potest ex sola potentia Dei absoluta, accidentario advenit, non necessario, seu vt proprietas; non enim manat ab intimis essentiæ principiis. Dices, quantitatem habere non repugnantiam, vt infinite à Deo protēdatur, & hanc non repugnātiam esse proprietatem. Contra tamen, quia inde fit omnes non repugnantias ad effectus supra naturā esse proprietates, quod dici nequit, neque enim existere per se est proprietas quantitatis, quia illi non repugnat divinitus, neq. etiam non repugnantia quantitatis, vt ad punctum reducatur, & similia.

DVBIVM VI.

Num linea, superficies, & corpus sint species quantitatis completæ.

NOTO primo, triplex esse corpus. Primū, pars quædam viventis, nempe materia, quæ simul cum forma facit unum compositum: sic dicitur homo constare corpore, & anima rationali secundum compositum integrum ex materia, & forma substantiali, quod dici solet corpus physicum, aut substātiale. Tertium, quantitativū, de quo solum hic agimus; nam primum reductive, secundum directe ad substantiæ categoriam spectat.

Noto secūdo. In corpore quātitativo quatuor reperiri, scilicet puncta, lineas, superficies, & profunditatem, seu crassities. Punctum definiri solet, Modus omnino indivisibilis unies, vel terminans partes lineæ. Linea est extensio longitudinis, cuius partes copulantur punctis. Superficies extensio versus latitudinem, cuius partes lineis copulantur. Corpus est extensio versus profunditatē, cuius partes copulātur superficiebus; vel est quantitas constans trina dimensione, vel extensione, nimirum latitudine, longitudine, & profunditate. Ex his quatuor punctum est inextēsum, & indivisibile, & quoviis modo cum alio penetrabile; linea vero extensa est, & divisibilis versus lōgitudinem, non tamen versus latitudinem; superficies extensa, & divisibilis iuxta latitudinē, non iuxta profunditatem, qua caret. Corpus est extensum, & divisibile, ac impenetrabile ex omni parte versus longitudinē, latitudinem, & profunditatem, ex his enim tribus extensionibus coalescit.

Noto tertio, punctum non esse speciem quantitatis, quia nec habet extensionē in se, nec eam potest habere, & est omnino penetrabile, & indivisibile, ergo non participat essentiam quantitatis, nec proprietates illius, unde dūtaxat reducitur ad quātitatem tāquam terminativum, & continuativum eius.

Auptumo primo, lineam, & superficiē non esse species completas quantitatis, & ita directe non collocari in hac categoria. Prima ratio, id quod ex se, & essentialiter ordinatur ad componendam quantitatem, est incompletum in genere quantitatis, sicut quod hoc pacto or-

Sic noster Iosephus Elāc disp. 9. sect. 5. qui citat pro se Duran dū. & Oña, Hurta. disp. 16. §. 64. & nō pauci Neotherici.

dinatur ad constituendam substantiam, est incompletum in genere substantiæ, ut est perspicuum in materia, & forma; sed linea natura sua, & essentialiter ordinatur ad componendam superficiē, quam terminat, & continuat, & similiter superficies ad componendam profunditatem, vel corpus, ergo sunt incompletæ.

Cōfirmatur. Ideo subsistētia, unio, & punctum sunt entitates physice incompletæ, quia subsistentia essentialiter ordinatur ad terminandam, & complendā substantiā, unio ad partes uniendas, & indivisibile ad lineę partes copulandas, & terminādas; ergo pariter linea, & superficies, cum ordinentur essentialiter ad copulandas, & terminandas partes superficiei, & corporis, erūt quantitates incōpletę.

Respondent nonnulli, lineā, & superficiem posse sumi secundum se, & hoc pacto esse quantitates completas, licet quatenus ordinantur ad aliam quantitatem conflandam sint quantitates incompletę. Sed contra, quia similiter dici posset materiam, & formam secundum se, & proprias entitates esse substantias completas, & in quantum ordinantur ad constitutionem totius esse substantias incompletas, quod tamen est contra omnes.

Disput. 40. Metaph. Sect. 6 nu. 2. & 6.

Respondet Suarez: Lineam, & superficiem, qua partes sunt inextensæ, & indivisibiles, illa scilicet versus latitudinem, & hæc versus profunditatem, esse incōpletas, & ordinari ad componendū, & terminandum; non vero quatenus sunt extensæ, & divisibiles, linea scilicet secundum longitudinem, superficies secundum latitudinem, sic enim nec terminant, nec componunt.

Hæc tamen responsio verbis duntaxat à precedenti discrepat, ut fiet perspicuum eam attente perpendenti. Infringitur nihilominus primo. Linea, v. g. non solum ordinatur ad componendam superficiem, ut est indivisibilis secundum latitudinem, sed etiam secundū propriam entitatem, & extensionē; ergo est incompleta non solum ut indivisibilis secundum latitudinem, sed etiam secundum propriam extensionem, & entitatem. Antecedens patet, quia linea non terminat, aut copulat partes superficiei, ut precisè dicit carentiam latitudinis, quod inde deducitur, quia punctum dicit carentiam latitudinis, & tamen non est aptum copulare, aut terminare superficiē, ergo linea copulat, & terminat superficiem secundum propriam extentionem, ergo secundum hanc ordinatur ad componendum, & terminandum.

Secundo. Quemadmodum linea dicit entitatem positivam, quam consequitur negatio latitudinis, ita punctum dicit entitatem positivam, quam consequitur negatio longitudinis, ergo sicut punctum utroque modo est ens incompletum, ita & linea.

Respondebis, punctū esse omnino indivisibile, & ideo incompletum egregia consequentia. Nunquid punctū est incompletum, quia indivisibile? falsum id est, cum Angelus, intellectus, & eius actus, & infinita accidentia spiritualia indivisibilia sint, & com-

completa, ergo puncto nõ provenit in complementum ex eò quod indiuisibile sit, sed ex ratione termini.

Tertio. Linea substãtialis etiam in sentẽtia Suarii, non constituit speciem completam substantiæ, ergo neque linea quantitativa constituet speciem completam quantitatis. Consequentia est manifesta, nam sicut linea substãtialis est terminus intrinsecus partiũ substantiæ, ita linea quantitativa est terminus intrinsecus partium quãtitatis, ergo sicut linea substãtialis est incompleta in genere substantiæ, ita linea quantitativa est incompleta in genere quantitatis.

Secũda ratio Linea, & superficies sunt species cõpletę quantitatis, & diversę, ergo corpus quantitativũ ex illis conflatum est ens per accidens, & ab hac categoria reiiciendum. Consecutio probatur, quia ideo ex duabus qualitatibus unitis, ut ex intellectu, & intellectione, fit unum per accidens in communi sententia, quia utraque est physice cõpleta, & diversa species qualitatis; ergo si linea, & superficies sunt physice completæ, & diversæ species quantitatis ex his unitis, unum per accidẽs coalescet. Admittunt consequentiam aliqui Recentiores, verum immerito, nàm ex linea substantiali, superficie, & profunditate fit vnum per se, & similiter ex linea qualitatis: v. g. albedinis, & eius superficie, & profunditate consurgit unum per se, ergo ex linea superficie, & profunditate consurget corpus quantitativũ, quod sit unum ens per se.

Autumo secundo, corpus esse species quãtitatis cõpletæ. Probatur, quia est accidens per se extẽsum, & impenetrabile non ordinatũ ad aliud, ergo est quãtitas completa. Noto, si concipiantur partes corporis ut distinctæ à linea, & superficie, & sine illis esse incompletas, quia essentialiter ordinantur ad componendum cum superficie, sicut & substantia cum subsistentia; compositum ergo ex partibus corporis, & his indiuisibilibus, appellatur corpus completum collocandum in hoc prædicamento.

Contra primum dictum obiicies primo. Aristoteles hic inter species quantitatis lineam, & superficiem numeravit, ergo &c. Respõdeo, etiam numerasse locum, quem tamen Suarez, & cæteri contrariæ sententiæ sectatores à speciebus quantitatis excludunt. Deinde dico, voluisse esse species quantitatis incõpletæ dumtaxat, ut liquet ex contextu; ait enim, lineam esse terminum superficiei, & superficiem corporis, quibus verbis satis insinuat esse quantitates incompletas.

Obiicies secundo. Geometria demonstrat peculiares proprietates de linea, & superficie, ergo sunt vere species completæ quantitatis. Negatur consequentia; nam etiam de rebus incompletis proprietates peculiares demonstrat.

Obiicies tertio. Figura est terminus quantitatis, & tamen est species completa, ergo licet linea sit terminus superficiei, & superficies corporis, erunt species completæ quantitatis. Negatur consequentia, quia figura

non est terminus quãtitatis cõplens illam intra proprium genus quantitatis, sed est qualitas quædam completa adveniens quantitati iam completę in suo esse quantitativo, cum illa que constitueris vnum ens per accidens; at linea ita terminat superficiem, ut cõpleat illam intra proprium genus quantitatis, & idem est de superficie respectu corporis, & ideo sunt species incompletæ quãtitatis.

Obiicies postremo. In genere qualitatis potẽtia, & actus sunt qualitates completæ, licet essentialiter ordinentur ad componendum vnum intelligens, ergo similiter in genere quantitatis, licet linea, & superficies essentialiter ordinentur ad cõflandum corpus, erunt quantitates completæ. Respondeo. In primis hoc argumentum etiam probare materiam, & formam esse substantias completas, tametsi essentialiter ordinentur ad componẽdam unã tertiam substantiam, quod est omnino falsum. Quare respõdeo, diversam esse rationem, nam potentia, & actus habent inhærentias totales, & completas non integrantes unam totalem inhærẽtiam, siquidem potentia inhæret animæ, & actus potẽtiæ, & ex hoc colligitur esse accidentia completa, & perfecta, & intelligens ex his conflatum esse unum ens per accidens; at vero linea, & superficies non habent inhærentias totales, sed partiales, & integrantes unam totalem inhærentiam, per quam tota quantitas inhæret substantiæ, & ita linea, & superficies sunt quantitates incõpletæ, & constituũt unũ ens per se, scilicet corpus.

Collige primo ex dictis contra aliquos recẽtiores, lineam, & superficiem esse incompletas, tam unitas, quam separatas: nam quod aiunt, de his similiter esse philosophandum, ac de partibus homogeneis in sua opinione, quas unitas faciũt incompletas; completas vero, ut à toto avulsas, falsum omnino est, nam linea, & superficies natura sua, & positive ordinantur ad componẽdum corpus quantitativum sicut substantia, materia prima, & forma ad corpus substantiale physicum; quare sicut istæ, & unitę, & separatę sunt incompletę, ita & linea, & superficies; partes vero homogeneas negative solũ ad cõponendum ordinari docuimus supra, & isti authores fatentur.

Collige secundo. Lineam, & superficiem discriminari inter se specie sub ratione quantitatis incompletæ, sicut materia, & forma discrepant specie in ratione substantiæ incompletæ, quia habent extensiones specie diversas: linea enim est extensa secundum longitudinem, & superficies secũdum latitudinem.

Collige tertio. Corpus quantitativum essentialiter includere lineas, & superficies, nam est essentialiter continuũ, sed continuum essentialiter includit in suo conceptu lineas, & superficies; iis enim corpus completũ continuatur. Minor illa probatur, quia totum compositum essentialiter includit partes, & unionẽ, quia sine hac neque intelligi, neque constare potest; ergo & totum continuum essentialiter includit cõtinuativum suarum partium, quia sine eo neq. consistere, neq. intelligi potest.

DVBIVM VII.

Num superficies propriam claudat longitudinem, & corpus longitudinem, & latitudinem.

MONEO corpus claudere profunditatem tanquam propriam dimensionem, & claudere etiam latitudinem superficiei, & longitudinem lineæ; similiter superficiem includere latitudinem tanquam propriam dimensionem, & etiam includere longitudinem lineæ. Difficultas ergo solum est, An corpus præter latitudinem superficiei, & longitudinem lineæ, habeat in se propriam latitudinem, & longitudinem; & similiter superficies præter longitudinem lineæ, habeat in se propriam longitudinem.

sic Suarez disp. 40. sectione 6. Pla disput. 2. de quantitate, quæst. 1. & alii.

Sit assertio. Corpus ex se solum est profundum, latum vero & longum à superficie & linea, & similiter superficies ex se dūtaxat est lata, longa vero à linea: vnde corpus claudit latitudinem, & superficies longitudinem, non tanquam partes, sed tanquam unitivum, & terminativum partiū. Probatur primo, quia superfluum videtur ponere in superficie duplicem longitudinem, & in corpore triplicem, & duplicem latitudinem, & certe si superficies ratione sui esset longa, ratione huius longitudinis haberet suas partes latas iam copulatas, & ita non indigeret lineis ad continuationem suarum partium, etsi superficies ratione sui haberet propriam longitudinem, etiam ut sic haberet propria puncta, quibus partes illius longitudinis copularentur, quod est falsum, cum punctum solum terminet, & copulet partes lineæ.

Secundo, si non solum linea haberet propriam longitudinē, sed etiam superficies, & corpus, ergo de essentia quātitatis continuę in communi erit habere partes impenetrabiles longas. Sequela probatur, quia illud est de essentia superioris, quod est ratio essentialis, in qua omnia inferiora conveniunt. Sed supposita ista sententia, linea, superficies, & corpus conveniunt in hoc, quod est habere partes impenetrabiles longas; quę ratio est illis essentialis, cū istæ tres species habeant proprias longitudines sibi essentiales, ergo de essentia quantitatis continuę in communi erit habere partes impenetrabiles longas, præsertim cum inter quantitatem cōtinuam, & istas tres species non mediet aliqua ratio, de cuius essentia sit habere partes impenetrabiles longas: nam iuxta hanc sententiā, quantitas continua non potest dividi in illam, quæ habet partes longas, & in illam quæ non habet partes longas, cum omnis quantitas includat partes longas; ergo de essentia ipsius quantitatis continuę in communi erit habere partes impenetrabiles longas, quod est absurdum, & contra communem cōsensum omniū philosophorum, constituentium essentiam quātitatis cōtinuę in hoc, quod est habere partes impenetrabiles, abstrahendo ab hoc, quod est habere illas longas, latas, vel profundas.

Oppo-

Hic sect. 6. Opponis primo cum nostro Blanch. Terminus est mensura, vel saltem potest esse mensura rei terminatę, dicit enim proportionem cum illa, ergo terminus latus solum potest terminare dimensionem latam, sed superficies est terminus latus, ergo dimensio corporis ad hoc ut terminetur à superficie, debet esse lata, & consequenter corpus debet esse latum. Idem est de linea comparatione superficiei. Nego antecedens, nam punctum est terminus lineæ, & tamen non est mensura illius, nec illi potest coaptari ut notificet illius magnitudinem, cum non conveniat cum illa in aliqua dimensione, unde liquet non esse necessariũ ut corpus ex se sit latum, ut terminetur à superficie.

Opponis secundo. Nequit cõcipi profunditas nõ lata, neque latitudo non longa, ergo profunditas essentialiter includit latitudinem, & latitudo longitudinem, sed corpus ex se est profundum, & superficies lata, ergo corpus ex se est latum, & superficies ex se est longa. Respondeo, ideo tantum non posse concipi profunditatem non latam, & latitudinem non longam, quia cum profunditas essentialiter sit continua, & similiter superficies, essẽtialiter debet includere profunditas superficies ad copulãdas suas partes, & superficies lineas ad eum modum, quo linea essentialiter includit puncta, & non potest sine illis intelligi, ex quo solũ sequitur corpus esse latum ratione superficiei, & superficiem longam ratione lineæ, non autem ex se, propter quod corpus definiri debet profunditas latitudine continuata, & terminata, & superficies latitudo longitudine cõtinuata, & terminata.

DVBIVM VIII.

Num locus, & põdus locum habeant inter species quantitatis.

PRænoto, locum definiri ab Arist. Vltima superficies, & concava corporis continentis immobilis primo. Hæc definitio latissime explicabitur 4. Physicorum, modo vero solum attingemus ea, quæ magis necessaria videbuntur ad decisionem huius difficultatis: dicitur ergo locus superficies concava, quia in corpore dantur duę superficies, una concava, & altera convexa. Cõcava est illa interna superficies, secundum quam unum corpus continet, & ambit aliud. Convexa vero est illa superficies externa, secundum quam unum corpus ab alio ambitur, ut videre licet in amphora continẽte aquam, in qua superficies concava est illa interna, secundum quam continet, & ambit aquam in ea existentem; convexa vero est illa externa superficies amphoræ, secundũ quam ipsamet amphora ambitur ab aëre circunstante. Locus ergo est illa superficies concava corporis continentis, quæ habet rationem loci respectu corporis contenti. Hoc posito, videndum est, num locus sit species quantitatis ab aliis distincta. 4. Physicũ cap. 4.

Assertio prima. Locus prout est

est superficies, est vera species quantitatis, licet incompleta, in hoc omnes conveniunt: nam cum locus sit superficies, & hæc sit species quantitatis incompletæ, sequitur locum ratione superficiei esse speciem quantitatis incompletæ. Difficultas ergo solum est, An locus sit species quantitatis à superficie distincta, id est, utrum id quod addit locus supra superficiem, pertineat ad aliquam speciem quantitatis.

Ita Conimbric. hic. q. 2. art. 3. Nostes Blanch. disp. 9. sect. 7. qui citat D. Tho. Arist. & alios huiusmodi.

Assertio secunda. Locus non est peculiaris species quantitatis à superficie distincta. Probatur, quia locus potest considerari duobus modis. Primo, ut aptitudine continet locatū. Secundo, ut actu continet. Primo modo, locus claudit aptitudinē ad continendum locatum, concavitatem, vel quippiam simile. Secundo modo includit denominationem propinquitatis, & relationem ad corpus locatum, sed nullum ex his est peculiaris extensio, ratione cuius possit locus esse species quantitatis distincta à superficie, & reliquis, ergo, &c. Minor probatur, quia in primis aptitudo ad continendum locatum non est aliquid à superficie distinctum, quia superficies per seipsam habet hoc, quod est, posse continere aliud, sicut posse mensurare, & mensurari: deinde concavitas solum est figura, & qualitas; & postremo denominatio propinquitatis, & relatio ad locatum non sunt aliquid pertinēs ad rationem quantitatis, ut liquet; ergo locus non est peculiaris species quantitatis, distincta à superficie.

Respondent aliqui, locum, & superficiē nō discriminari specie in ratione extensionis, sed in ratione mēsuræ, quia superficies est mensura intrinseca; & passiva locantis, vel subiecti in quo est, locus vero est mensura extrinseca, & activa locati, locus enim non inhæret in locato, sed in locāte. Sed contra primo, quia ratio mensuræ non est de essentia quantitatis, ergo secundum illam non possunt distingui species quantitatis. Secundo, falsum est superficiē esse mensuram locantis, & subiecti in quo est, quia non notificat quantitatem eius; experimur enim quantitatem corporis non agnosci per propriā superficiē, sed per aliam quantitatem extrinsecam illi applicatam. Tertio. Aptitudo illa ad mensurandum locatum, solum convenit loco ratione superficiei, quæ per seipsam est apta coaptari loco ad notificandā illius quātitatem; vnde etiam convenire potest locato respectu loci: nam sicut per capacitatē vasis quātitates aquarū mēsuramus, ita per quantitatem aquę, interdū mensuramus quantitatē distinctorū vasorum, ergo ratione illius aptitudinis ad mensurandum non potest locus constituere peculiarem speciem distinctam à superficie: aliter enim etiam corpus locatum in duas species divideretur secundum rationem mensuræ, nam etiam dici posset superficiem corporis esse mensuram intrinsecam respectu illius, & extrinsecam respectu loci. Simile argumentum fieri potest de linea, nam etiam dici potest lineam respectu subiecti in quo est, esse mensuram intrinsecam, & respectu alterius lineæ:

v.g. panni esse extrinsecam, & ita secari in duas species secundum rationem mensuræ.

Dices. Aristoteles in hoc capite enumerat superficiem, & locum tanquam duas species distinctas, ergo specie differunt. Respondeo. Aristotelem in præsenti non exacte, & ex proprio sensu proposuisse quantitatis essentiam, & species; sed iuxta Stoicorum, & Academicorũ sententiam, quæ ea tempestate in scholis vulgaris erat. Argumento est, quod primo Metaphysicæ cap. 3. non meminit loci inter species quãtitatis, tum quia hic Aristoteles nomine loci, spatiũ significat, quod nemo dixerit esse quantitatem.

Assertio tertia. Pondus non est vera species quãtitatis. Probatur primo, quia est gravitas productiva impulsus deorsum, sed gravitas est qualitas, ergo, &c. Secundo, levitas non est quantitatis, sed qualitatis species, ergo nec pondus, quod est gravitas. Tertio, eadem permanente quantitate, corpus idem nũc est grave, nunc leve, ut cõstat experientia in lana, ergo non est species quantitatis, sed accidẽs illius. Quarto, quia gravitas non est impenetrabilis, cum in eadẽ parte subiecti intendatur, & in illa plures gradus gravitatis simul recipiantur, ergo, &c. Ponderi autẽ Aristoteles, quantitatis nomen attribuit, non ex propria sententia, sed veterũ Philosophorum, ut divus Thomas eo loco annotavit.

5. Met. c. 13.

(5)

DVBIVM IX.

An motus, & tempus sint species quantitatis continuæ.

SVppono primo, sermonem non esse de mutatione instantanea, hanc non esse quãtitatem fatentur omnes; loquor ergo de motu proprie dicto, & successivo, qui paulatim fit, & pars post partẽ. Hic triplex est, alter terminatus ad qualitatẽ, & est alteratio; alter ad quantitatem, & est augmentatio; alter denique ad ubi, vel ad præsentiam in loco, & dicitur motus localis.

Suppono secũdo, in motu cõtinuationem, & successionem distingui; continuatio enim tãtum dicit unionẽ partium motus, sive in tempore producatur, sive non; successio vero dicit prius, & posterius, ita ut inter partes motus aliæ sint productæ ante alias.

Suppono tertio, in motu ex variis capitibus posse sumi extensionẽ. Primo ex subiecto, in quo recipitur: nã eo ipso quod subiectum est extensum, motus in illo receptus debet etiam esse extensus. Secundo, ex termino producto, nam motus conformatur cum termino. Tertio, ex spatio, ut in motu locali.

Dico primo. Motus non est vera species quantitatis. Probatur primo. Tria reperiuntur in motu, continuitas partium, extensio, & successio, sed à nullo horum fit per se quantus, ergo &c. Minor ostenditur tria illa percurrendo, nam continuitas par-

Ita Aristot. 5. Metaphy. cap. 13. in fi. D. Thom. 5. Metap. lect. 15. Albertus Magnus tra. 2a. de quan.

cap. 4. Sanz nan. 5. Meta. 9. 24. Pereira lib. 13. c. 1. Suarez di sput. 40. sect. 8. Rubius cap. de quantitate q. 5. & alii Recentiores.

partium orta ex earum inter se unione, non est vera quantitas, nam etiam reperitur in substantia, & qualitate, ut in albedine, & neutra est quantitas. Deinde extensio impenetrabilis illarū, qua una pars diversum occupat spacium ab alia, provenit ratione subiecti extensi impenetrabiliter in ordine ad locū, & ita nequit facere motū per se extensum, & quātum; alias enim idē dicendum esset de albedine, cuius partes ratione subiecti extenduntur, & impenetrabiliter occupant diversas partes spatii. Tandem neque successio, nam hæc in eo consistit, ut una pars nō simul cum alia decurrat, sed hoc accidentario convenit entitati motus, ergo nō est per se quantus.

Minor probatur, nam nulla entitas postulat ita produci, ut una eius pars fiat post aliā, sed potest simul tota produci per se, nam quod præsentia localis, quæ fit per motū lationis producatur successive, oritur tantū vel ex ratione mobilis, quod non potest simul totum spatiū propinquum, & remotum pertransire, vel ex ratione ipsius spatii, quod totum simul nequit à mobili extenso, & corporeo decurri, ergo nō ex natura præsentię. Deinde qualitas, quę per motū alterationis producitur, tota potest natura sua simul produci: nam qualitas carens cōtrario, ut lux tota simul quoad extensionem, & intensionē, producitur in spatio debite approximato: Sol enim in instanti illuminat totum hemisphærium sibi debite propinquum, & qualitas habens contrarium, ut calor, & frigus, tota etiā simul fieri potest, ut constat in prima productione quando tota forma caloris simul à Deo producta fuit cum igne, quod vero modo producatur successive in subiecto causa est nunc resistentia contrarii, scilicet frigoris, quæ in instāti nequit vinci, vel virtus agentis imperfecta. Ad extremū quantitas, quæ adquiritur per motū augmentationis similiter potest tota simul comparari: si enim in prima productione tota simul producta fuit, & modo etiam tota simul conservatur, cur etiam non poterit ex se tota simul adquiri? Quod autē adquiratur successive, non provenit ex natura sua, vel ex quātitate aliqua motus augmē tationis, sed ex imperfectione agentis non potentis simul convertere omnes partes alimenti, sed vnam post alteram: vnde & ideo una pars quantitatis post alteram comparatur, igitur omni motui per accidens convenit successio, cum eius terminus successive produci natura sua minime depoſcat, quare successio non potest facere motū per se quantum.

Tertio. Successio motus est negatio simultaneæ existentiæ partium ipsius, nam motus ut sic postulat, ut una eius pars prior, & alia posterior duratione decurrat, sed hęc negatio nō est quantitas, ergo nec motus successivus ut sic, præsertim cū ista negatio non oriatur ex aliqua interna quantitate motus, nam ut vidimus, solum oritur, vel ex imperfecta virtute, aut applicatione agētis, vel ex extensione mobilis, aut spatii, vel ex resistentia alicuius cōtrarii.

Opponis. Licet partes motus

localis correspondentes distinctis partibus loci, quantum est ex se possint fieri simul, & in eodem instanti, & ita non sint impenetrabiles in ordine ad spatium durationis, tamen esse nequeunt in eodem spatio loci; quælibet enim pars motus localis, ita est dependens à sua parte loci, ut neque de potentia Dei absoluta possit esse in aliqua parte loci, in qua est alia pars motus localis, ergo ad hanc impenetrabilitatem necessaria est quantitas in motu locali, quia illi convenit ex se: & idem argumentum potest fieri de motu locali huius corporis facto in hoc spatio comparato cum alio motu locali alterius corporis, facto indistincto spatio. Noto ad responsionem hoc argumentum eodem modo probare, præsentiam esse quantitatem per se, quia etiã partes præsentiæ sunt dicto modo impenetrabiles, ut liquet consideranti. Hoc posito, respondeo admittendo partes eiusdem motus sicut & partes eiusdem præsentiæ, ita respondere diversis partibus spatii, ut non possint esse in eadem, negando tamen hoc esse, quia istæ partes sint impenetrabiles, sed quia essentialiter dependent à suis spatiis partialibus, ita ut nec divinitus possint esse in alia parte spatii: quod ita declaratur potest. Impenetrabilitas partium est repugnantia inter ipsas partes, quæ se mutuo impediunt, ita ut una non possit esse in loco alterius, quia ibi est alia; sed hoc non conuenit partibus motus, nã quod prima pars motus localis non possit esse in secũda parte loci ubi est secunda pars motus, non provenit ex eo, quod partes motus sibi repugnent, & se expellãt ab eodem idcirco nã etiam si secunda pars motus nõ esset in tali loco, non posset pars prima illi correspondere, ergo provenit, quia quælibet pars motus essentialiter pendet à sua parte spatii, sicut quælibet pars præsentiæ à sua parte spatii.

Dico secundo. Tempus non est species quãtitatis. Probatur, quia tempus solum potest esse extẽsum ratione motus, sed motus est extensus, & quantus per accidens, ut vidimus, ergo & tempus. Maior probatur ex Aristotele dicente, tẽpus esse quantum propter motum. Et confirmatur ratione, quia tempus est duratio motus, & eius sequitur entitatem, sed motus habet extensionem per accidens, aut ratione subiecti, vel termini, &c. ergo & duratio illius, quæ est tempus. 5. Met. c. 13.

Secundo, quia duratio non discrepat à re durãte, vel saltim est modus rei durantis illi proportionatus; ita ut si res durans sit permanens, duratio eius sit permanens; & si successiva, duratio eius sit successiva; ergo tẽpus, quod est duratio motus, vel non differt à motu, vel est modus illi proportionatus, & illius naturam consequens, atque adeo tempus non poterit habere extensionẽ magis per se, quã habet motus; unde sicut motus non est quantus per se, ita nec tempus.

Tertio, quia licet corpus sit species quãtitatis per se, tamen eius duratio non constituit peculiarem speciem quantitatis, ergo à fortiori cũm motus non sit quantus per se, eius duratio nequi-

nequibit constituere aliquam speciem quantitatis per se: & certe nullam video rationē, ob quam duratio corporis debeat pertinere ad categoriam quando, & non duratio motus. Neq. est alicuius momenti dicere, durationem motus præcisè, ut duratio aliqua est, pertinere ad categoriam quando, ut continua vero, & successiva ad categoriā quantitatis: nam duratio corporis in quātum talis duratio est, scilicet permanens, (ut etiā adversarii volunt) spectat ad categoriam quando; ergo similiter duratio motus non solum in quantum est præcisè duratio aliqua, sed etiam in quantum est talis duratio specie distincta ab aliis, scilicet successiva, pertinebit ad categoriam quando.

Obiectabis primo. Aristoteles hoc loco numeravit tempus inter species quantitatis, ergo, &c. Respondeo, id fecisse ex sententia veterū; nam in Metaphysica ubi naturas harū rerū propria trutina ponderavit, motū, & tempus inter quanta per accidens numeravit.

Obiectabis secundo. De essentia temporis est extēsio successiva, quæ postulat habere partes extra partes, ergo erit quantum per se. Respondeo, extensionem successivam esse de essentia temporis, prout eo nomine significatur; non vero de essentia eius entitatis, quæ potest ex se tota esse simul, & solum est extensa per accidens ratione motus. Simili forma solvi potest similis obiectio, quæ in motu fieri potest.

Obiectabis tertio. Sæpe accidit ut extensio motus sit maxima, & temporis brevissima, ut in motu velocissimo, è contra in motu tardo extensio temporis est magna, & motus parva, ergo tempus propriā habet extensionem, quam non participat à motu. Respondeo concedendo antecedens, si motus conferatur ad tempus extrinsecum reale, quod est duratio motus primi mobilis, vel ad tempus imaginarium, quod est imaginaria duratio successiva, quam concipimus, ut infinitā, & perpetuo fluentem. Nego tamē antecedens, si motus comparetur ad tempus, quod est illius duratio intrinseca, huiusmodi enim duratio æqualis est in motu tardo, & velocissimo per idē spatium; discrimen illud provenit à maiori, vel minori velocitate, vel tarditate non à novis partibus motus, vel temporis, de quibus latius in physicis.

DVBIVM X.

Quid numerus, & an sit species quantitatis discretæ.

PONO primo, quātitatem discretam ex Aristotele esse, cuius partes nullo termino cō muni copulantur, cum careant unione inter se, cuius rei causa discreta quantitas appellatur. Numerat sub illa Philosophus numerum, & orationem.

Pono secundo. Numerum dividi posse in transcendētalem, qui vagatur per omnia genera unitatū, & rerum, ut numerus trium hominum, vel Angelorum; & in quantitativum, qui solum contineat unitates quantitatum, v.g. numerus trium li-

localis correſpondentes diſtinctis partibus loci, quantum eſt ex ſe poſsint fieri ſimul, & in eodem inſtanti, & ita non ſint impenetrabiles in ordine ad ſpatium durationis, tamen eſſe nequeunt in eodem ſpatio loci; quælibet enim pars motus localis, ita eſt dependens à ſua parte loci, ut neque de potẽtia Dei abſoluta poſsit eſſe in aliqua parte loci, in qua eſt alia pars motus localis, ergo ad hanc impenetrabilitatem neceſſaria eſt quantitas in motu locali, quia illi convenit ex ſe: & idem argumentum poteſt fieri de motu locali huius corporis facto in hoc ſpatio comparato cum alio motu locali alterius corporis, facto indiuiduo ſpatio. Noto ad reſponſionem hoc argumentum eodem modo probare, præſentiam eſſe quãtitatem per ſe, quia etiã partes præſentiæ ſunt dicto modo impenetrabiles, ut liquet conſideranti. Hoc poſito, reſpondeo admittendo partes eiuſdem motus ſicut & partes eiuſdem præſentiæ, ita reſpondere diverſis partibus ſpatii, ut non poſsint eſſe in eadem, negando tamen hoc eſſe, quia iſtæ partes ſint impenetrabiles, ſed quia eſſentialiter dependent à ſuis ſpatiis partialibus, ita ut nec divinitus poſsint eſſe in alia parte ſpatii: quod ita declaratur poteſt. Impenetrabilitas partium eſt repugnantia inter ipſas partes, quæ ſe mutuo impediunt, ita ut una non poſsit eſſe in loco alterius, quia ibi eſt alia; ſed hoc non conuenit partibus motus, nã quod prima pars motus localis non poſsit eſſe in ſecũda parte loci ubi eſt ſecunda pars motus, non provenit ex eo, quod partes motus ſibi repugnent, & ſe expellãt ab eodem loco: nam etiam ſi ſecunda pars motus nõ eſſet in tali loco, non poſſet pars prima illi correſpondere, ergo provenit, quia quælibet pars motus eſſentialiter pendet à ſua parte ſpatii, ſicut quælibet pars præſentiæ à ſua parte ſpatii.

Dico ſecundo. Tempus non eſt ſpecies quãtitatis. Probatur, quia tempus ſolum poteſt eſſe extẽſum ratione motus, ſed motus eſt extenſus, & quantus per accidens, ut vidimus, ergo & tempus. Maior probatur ex Ariſtotele dicente, tẽpus eſſe quantum propter motum. Et confirmatur ratione, quia tempus eſt duratio motus, & eius ſequitur entitatem, ſed motus habet extenſionem per accidens, aut ratione ſubiecti, vel termini, &c. ergo & duratio illius, quæ eſt tempus. 5. Met. c. 13.

Secundo, quia duratio non diſcrepat à re durãte, vel ſaltim eſt modus rei durantis illi proportionatus; ita ut ſi res durans ſit permanens, duratio eius ſit permanens; & ſi ſucceſsiva, duratio eius ſit ſucceſsiva; ergo tẽpus, quod eſt duratio motus, vel non differt à motu, vel eſt modus illi proportionatus, & illius naturam conſequens, atque adeo tempus non poterit habere extenſionẽ magis per ſe, quã habet motus; unde ſicut motus non eſt quantus per ſe, ita nec tempus.

Tertio, quia licet corpus ſit ſpecies quãtitatis per ſe, tamen eius duratio non conſtituit peculiarem ſpeciem quantitatis, ergo à fortiori cũm motus non ſit quantus per ſe, eius duratio nequi-

nequibit constituere aliquam speciem quantitatis per se: & certe nullam video rationē, ob quam duratio corporis debeat pertinere ad categoriam quando, & non duratio motus. Neq; est alicuius momenti dicere, durationem motus præcisè, ut duratio aliqua est, pertinere ad categoriam quando, ut continua vero, & successiva ad categoriā quantitatis: nam duratio corporis in quātum talis duratio est, scilicet permanens, (ut etiā adversarii volunt) spectat ad categoriam quando; ergo similiter duratio motus non solum in quantum est præcisè duratio aliqua, sed etiam in quantum est talis duratio specie distincta ab aliis, scilicet successiva, pertinebit ad categoriam quando.

Obiectabis primo. Aristoteles hoc loco numeravit tempus inter species quantitatis, ergo, &c. Respondeo, id fecisse ex sententia veterū; nam in Metaphysica ubi naturas harū rerū propria trutina ponderavit, motū, & tempus inter quanta per accidens numeravit.

Obiectabis secundo. De essentia temporis est extēsio successiva, quæ postulat habere partes extra partes, ergo erit quantum per se. Respondeo, extensionem successivam esse de essentia temporis, prout eo nomine significatur; non vero de essentia eius entitatis, quæ potest ex se tota esse simul, & solum est extensa per accidens ratione motus. Simili forma solvi potest similis obiectio, quæ in motu fieri potest.

Obiectabis tertio. Sæpe accidit ut extensio motus sit maxima, & temporis brevissima, ut in motu velocissimo, è contra in motu tardo extensio temporis est magna, & motus parva, ergo tempus propriā habet extensionem, quam non participat à motu. Respondeo concedendo antecedens, si motus conferatur ad tempus extrinsecum reale, quod est duratio motus primi mobilis, vel ad tempus imaginarium, quod est imaginaria duratio successiva, quam concipimus, ut infinitā, & perpetuo fluentem. Nego tamē antecedens, si motus comparetur ad tempus, quod est illius duratio intrinseca, huiusmodi enim duratio æqualis est in motu tardo, & velocissimo per idē spatium; discrimen illud provenit à maiori, vel minori velocitate, vel tarditate non à novis partibus motus, vel temporis, de quibus latius in physicis.

DVBIVM X.

Quid numerus, & an sit species quantitatis discretæ.

PONO primo, quātitatem discretam ex Aristotele esse, cuius partes nullo termino cōmuni copulantur, cum careant unione inter se, cuius rei causa discreta quantitas appellatur. Numerat sub illa Philosophus numerum, & orationem.

Pono secundo. Numerum dividi posse in transcendētalem, qui vagatur per omnia genera unitatū, & rerum, ut numerus trium hominum, vel Angelorum; & in quantitativum, qui solum contineat unitates quantitatum, v.g. numerus trium li-

nearum, vel corporum, & hic solet communiter prædicamentalis nominari. Deinde uterq. distribui potest in parem, & impa rem. Par in binarium, quaternarium, &c. Impar in ternariũ, quinarium, & reliquos.

Pono tertio, numerum quantitativum etiam claudere essen tialem rationem numeri transcendentalis: hic enim imbibitur in omni numero, & vagatur per omnia prædicamenta, sicut & ipsa unitas transcenden talis; unde sicut numerus trium qualitatum dicitur transcẽdentalis qualitativus, ita numerus trium quantitatum dici potest transcendentalis quantitativus.

Assero primo, numerus nihil addit positivum supra unitates collectim sumptas. Probatur pri mo, quia quocunque positivo sublato re, vel sola mẽte, adhuc remanet ibi multitudo, & numerus, ergo numerus nihil rea le addit unitatibus coniunctim sumptis. Secundo, vel id quod additur esset res simplex, vel composita: non simplex, quia una res simplex nõ potest intrinsece recipi in multis unitatibus discretis, neque in una earum, non enim esset maior ratio cur in una prius quam in alia: deinde neque composita, nam subiectum illius non est physice compositum, cum sint unitates physice diviſę, & præterea si ista forma physice com posita reciperetur in omnibus, unitates fierent quantitas continua, nam media illa entitate intrinseca unirentur inter se. Quod si dicas, istud positivum non recipi intrinsece in unitatibus, sed illis per collectionem adiungi, profecto efficiet multitudinem rerũ cum ipsis unitatibus, & opus erit alia forma, per quam istud in forma numeri ordinetur.

Assero secundo. Materia numeri aliquando est ens reale, aliquando rationis, aliquando substantia, aliquando accidens: nam materia numeri, seu numerus materialiter sunt unitates, quæ numerari possunt, sed tam entia realia, quam rationis, tam substantiæ, quã accidentia possunt efficere numerum, & ab intellectu numerari, ergo omnia hæc erunt numeri materia.

Assero tertio. Forma numeri est denominatio extrinseca ab actu intellectus numerante, & ordinante unitates; nam forma numeri est id, quo ordinantur unitates, sed hoc non est à parte rei; ergo est denominatio ab actu intellectus ordinante. Minor probatur, nam unitates nõ habent aliquid ratione, cuius potius una numeretur prior, & alia posterior, ergo id pendebit ab actu intellectus, numerante, & concipiente unitates, unam prius, & aliam posterius. Vnde etiam in personis divinis non est formaliter numerus nisi ab intellectu: verum est ibi reperiri ordinem realem prioris, & posterioris secũdum originem, sicque Pater est prima persona, quia est à se, & nõ ab alia priori; Filius secunda, quia est à Patre; Spiritus sanctus tertia, quia à Patre, & Filio est: ordo vero numeralis formaliter est ibi extrinseca denominatio, & ita ordine numeri formalis Spiritus sanctus potest esse prima, Pater secunda, & Filius tertia.

Ita Vazq. 1. p. to. 1. disp. 113. c. 3. nu. 7. & 8. qui ibi annotat Isidorum in cap. 41. Exodi, Filiũ appellasse tertiã Trinitatis personã, in sensu in quo nos loquimur.

Obiicies. Prius, & posterius sunt respectus rationis, sed numerus

merus cōstituitur ex eo, quod unitates prius,& posterius numerentur, ergo numeri forma est ordo rationis. Respondeo, prius, & posterius formaliter posse esse solum denominationē cognitionis intellectus concipientis, ac ponentis unā unitatē prius,& aliam posterius,in qua denominatione postea fingi potest respectus rationis,qui ad formam numeri necessarius non est.

Assero 4. Vltima unitas non est forma numeri proprie. Probatur, quia ultima unitas non est forma informans alias unitates, ergo non est proprie forma illarum: potest tamen improprie forma dici propter aliquam proportionē ad formam physicam;nam sicut hæc denominat materiā ad tale esse, vel speciem, ita ultima unitas non quidem per se sola, sed quatenus ultimo sumitur ab intellectu,denominat alias ex se indifferentes ad talem numeri speciem.

Assero quinto. Numerus non est unū per se,sed per accidens. Probatur primo. Tota essentia numeri coalescit ex unitatibus completis, atque distinctis, & præterea ex ente rationis, (ut aliqui volunt)aut certe, ut nos docuimus ex denominatione extrinseca actus;sed hęc omnia sunt aggregatum diversorum entium sine unione,ergo & ens per accidens. Secundo,quia entia per se sunt physicè unita, sed unitates numeri non sunt unitæ, sed potius postulant divisionē, ergo neque sunt unum per se.

Respondebis, non esse unitas physice, habere tamen eandem essentiam,scilicet potentiam ut numerentur. Contra tamē,quia hæc potētia ut numerētur, non est aliquid distinctum superadditum unitatibus, sed unitates sunt multæ, ergo & multæ potentiæ ut numerentur, ergo & multiplex essentia. Cōfirmatur, quia tres albedines non habēt unam potentiam ut videantur, nec tria intelligibilia eandem intelligibilitatem, ergo neque tria numerabilia eandem numerabilitatem.

Hinc ergo assero vltimo. Numerū non esse quantitatis speciem. Probatur primo,quia numerus est unum per accidens, ergo non est species quātitatis. Respondet Suarez,posse concipi per modum unius verum id est, sed non per modum unius per se, sed per accidens, nam si concipiatur per modum unius per se, non concipitur numeri essentia,cum hæc postulet divisionem,& multiplicationē,quæ repugnant enti per se. Secundo, numerus pro formali dicit extrinsecam denominationē, sed hæc non est quātitas, ergo,&c.

Sic Vazq. 1. p. disput. 16. Fonseca 5. Met. cap. 15. CC. hic. q. 2. art. 2. Ne pi Blanch disput. 10. de quantit. disputat. 1. & alii à Su rez relati.

Oppones primo. Aristotelem hic numerasse inter speciē quātitatis numerum. Respondeo, ex vulgi sensu id fecisse.

Oppones secundo. Numerus est unum per se, quia obiectum scientiæ, ut docet Aristoteles, nequit esse ens per accidēs, sed numerus est obiectum Arithmeticæ, ergo non erit unū per accidēs,sed per se. Respōdeo,ens per accidēs posse esse obiectum scientiæ,quando ex illo oriuntur aliquæ proprietates demonstrabiles ab intellectu:nam politica intuetur ut obiectū rempublicam,cuius veluti proprie-

6. Metaph. tex. 4.

tas

tas est afficere præmiis bonos, & malos suppliciis: Militaris vero exercitum, cui non desunt suæ proprietates, quæ obiecta entia sunt per accidens: quando vero Aristoteles id negat sub obiectum scientiæ cadere, interpretandus est de illo, quod caret omni ordinis unitate, & proprietate.

Rogas, An numerus ea ratione, qua cõcipitur ut una quantitas discreta, sit species ifima, vel interiecta. Ad respõsionem præmoto, numerum dupliciter posse sumi. Primo, pro multitudine unitatum sine ordine primæ, & secundæ, quo pacto est à parte rei. Secundo, pro multitudine unitatũ, cum ordine quodam primæ, secundæ, & vltimæ vnitatis, quæ multitudo dicitur numerus numeratus. Hoc posito, respondeo primo. Numerum primo modo non esse speciem, sed unicum tantum individuum, quod est collectio omnium quantitatũ, vel etiam omnium unitatũ quæ sunt in mundo, quæ in reipsa neque habent certum ordinem prioris, & posterioris, neque numerum constituunt. Respondeo secundo: Numerum posteriori modo acceptum esse speciem interiectã, atque adeo omnes numeros inæquales in multitudine unitatum, v.g. ternarium, quaternarium, &c. esse specie diversos. Probatur à priori: nam numerus formaliter dicit ordinem, & dispositionẽ unitatum à prima vsque ad ultimam, sed istæ ordo, & dispositio essentialiter & specie variantur in ternario, quaternario, &c. ut liquet, ergo specie differunt. Confirmatur ex Aristotele, asserente bis tria non esse sex, quod ut verum sit, debet intelligi formaliter, hoc est, rationem formalem senarii non esse rationes formales duplicis ternarii. Probatur secundo. Triangulus, & quadrangulus differunt specie, quia habẽt diversas dispositiones partium, ergo ternarius, & quaternarius etiam distinguentur specie, cum habeant diversas partium dispositiones. Quare numerus ternarius, & quaternarius non se habent inter se sicut linea maior, & minor, quæ solũ discrepant secundum magis, & minus intra eandem speciem, sed sicut triangulus, & quadrangulus, qui differunt inter se propter varias partium dispositiones, quas habent.

5. Met. c. 14

DVBIVM XI.

Quid oratiò, & an sit species quantitatis discretæ.

NOmine orationis intelligitur hic, quælibet vox articulata constans pluribus syllabis, sive sit significativa, ut dominus, sive non, ut bliti. Diffiniri potest oratio, Vox articulata constans ex pluribus sonis, cum quadam temporis successione prolatis.

Sit conclusio. Oratio non est species quantitatis. Probatur, quia in oratione hæc inveniuntur, soni syllabarum efformati, prolationes sonorũ morulę, quę in his proferendis insumuntur, ordo syllabarum, & totius orationis significatio, si sit significans, sed nihil horum neque aggre-

Ita Suarez disp. 41. sect. 3. Fonseca 5. Met. c. 13. q. 5. &c. hic. q. 1. & plures alii apud ipsos contra Ru-

bium hic. q. 21. & *Mur tia disp.* 3. *quæst.* 3.

aggregatum ex illis est quantitas, nam soni sunt qualitates, prolationes sunt actiones productivæ qualitatũ, & non quantitas. Morulę, vel duratio in successiva sonorũ prolatione consistũt, quæ successio tantum est negatio simultaneæ prolationis, & coëxistentiæ sonorum, saltem ut proferuntur ordo, & significatio, sunt denominationes extrinsecę, ut iam constat, ac postremo aggregatũ ex omnibus est ens per accidens, ergo nihil est in oratione, cur sit quantitas per se.

Respondent, quantitatẽ orationis consistere in sonis syllabarum successione prolatis, & productis. Sed contra, quia duę albedines successive productę, non sunt vera species quantitatis, ergo neque soni syllabarum successive prolati. Cõfirmatur, quia duæ albedines successive productæ sunt ens per accidẽs, quia sunt completæ qualitates, & non uniuntur physice, ergo & soni discreti, cum sint completæ qualitates, & physice non uniantur.

Rubius respondet, quantitatẽ orationis esse corpulentiam vocis, scilicet eius extensionem, vel magnitudinem; nam syllaba morose formata maiorem habet dilatationem, & corpulentiam, quam celeriter prolata, quod ita explicat: docet enim syllabam, aut vocem non esse nudum sonum, sed in aëre extensum, vel potius esse aërem ipsum verberatũ labiis, & continentẽ in se sonum extensum ex verberatione formatum; unde concludit, corpulentiam vocis, & extensionem non esse aliam à quantitate, & corpulentia aëris verberati, qui percussione in modum vocis formatur.

Sed contra primo, quia syllaba, aut vox formaliter sulũ definitur sonus, ergo non est aer verberatus, sed quid ex eius verberatione resultans. Secundo, sonus est aer verberatus in se continens sonum extensum, ergo non est vera species quantitatis, cum totum hoc sit ens per accidens. Tertio, quantitas aeris non est alia à corpore, superficie, aut linea, ergo quantitas orationis proveniens ab aere verberato, non est diversa à corpore, superficie, aut linea, atque adeo nec constituet diversam ab aliis speciem quantitatis. Quarto, quantitas aeris eadem est respectu syllabæ morosæ, vel brevis, sed in oratione esse morosam, vel brevem sunt quantitates diversę, ex mente Rubii; ergo quantitas syllabæ nequit esse aeris quãtitas. Quinto, quantitas vocis est successiva, & quantitas aeris verberati permanens, ergo quantitas vocis, si talis est, alia debet esse à quantitate aeris verberati.

Dices. Aristoteles numeravit hoc loco orationem inter species quantitatis; & ex alio capite habet partes extra partes impenetrabiles, & extensas, quæ sunt tẽpore, & morulæ, ex quibus componitur, ergo erit quantitas. Ad Aristotelem dico adhibendam esse solutionem in causa numeri adhibitã dubio præcedenti, vel lege aliam satis accommodatam apud Conimbricenses citatos. §. secunda pars. Ad rationem dico, vocem non habere ex se extensionem impenetrabilẽ; nam si una à duobus

hominibus simul, ut hæc vox, Deus, formetur in eadem parte aëris, vox unius cum alterius voce penetrabitur. Quod si aliũde alia quæratur impenetrabilitas, ea neque oritur ex vera quantitate propria orationis, neque ipsam per se extensam efficit.

DVBIVM XII.

De serie huius prædicamẽti.

Disput. 41. sect. 4.

SVarez constituit quantitatẽ genus ad continuam, & discretam, sed non rectè; nam ut probatum est, quantitas discreta est unũ per accidens, atq. adeo à prædicamento removenda. Secũdo, quia etiam qualitas esset genus ad qualitatem, quæ est unum per se, & ad coniunctum ex duplici qualitate completa, scilicet potentia, & actu, quod est unũ per accidens. Neoterici aliqui autumant, summũ genus esse quantitatem continuam communem lineæ, superficiei, & corporis; sed si linea, & superficies excludũtur, uti oportet, à veris quantitatis completæ speciebus, nequibit esse genus supremum quantitas comparata ad illas, & corpus.

Dicendum ergo est, iuxta nostram doctrinam, Caput huius prædicamenti esse quantitatem physice completam, id est, corpus quantitativum, cum hoc solum sit quantitas per se, & completa: (ut supra) si autem quantitates sublunaris, & cœlestis specie differant, (de quo suo loco) erit genus corpus, ac dividetur in eas quantitates; si vero negetur eas esse specie diversas, negari forsan non poterit possibiles esse quantitates specie diversas, quarum respectu erit genus, quãtitas, seu corpus. Quod si nec possibiles sint quantitates specie distinctę, dicendum erit caput huius prædicamenti esse corpus speciem infimam ad corpora numero distincta, cum inferiora corpora nullã rationẽ formaliter, & essentialiter diversam addant supra rationem corporis universalis, quod exigitur ad rationem generis. Ex quo sequitur prædicamentũ solum esse dispositionem alicuius prædicati supremi, cum omnibus suis inferioribus sive tale prædicatum sit genus, sive species infima, quod intelligendũ est iuxta cõmunem sententiam, decẽ prædicamenta constituentem; nam iuxta nostram, cum solum detur unum prædicamentum entis completi physice per se stantis, illęsum manet commune proloquium, utpote prædicamentum esse alicuius generis supremi, & eorum quæ sub ipso continentur naturalẽ dispositionem.

✠

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.
De Relatione.

SVMMA CAPITIS.

TRIA præstat Philosophus in hoc capite. Primum, refert diffinitionem à veteribus traditam, Relata sunt, quæ id quod sunt aliorum esse, aut ad aliquid aliquo modo dicuntur. Secundum, numerat quatuor proprietates; quarum prima est, habere contrarium; secunda, admittere magis, & minus; tertia dici ad convertentiam; quarta, esse simul natura. Tertium, genuinam definitionem relatorum proponit. Relata sunt, quorum esse idem est eis, quod est ad aliquid aliquo modo se habere.

COMMENTARIVS.

EA vero dicuntur ad aliquid, &c. Definiuntur relata iuxta veterum Philosophorum sententiã, quæ id quod sunt aliorũ esse dicuntur, vel quovis modo cum alio conferuntur, ut maius in ordine ad minus tale dicitur, & duplum dicitur in ordine ad dimidiũ. Ex qua diffinitione colligitur, habitum, dispositionem, scientiam, situm, & alia huiusce modi esse relata; nam habitus alicuius est habitus; scientia alicuius dicitur scientia, scilicet scibilis, & sic de reliquis.

Sunt autem species, &c. Ponit discrimẽ inter abstracta, & concreta situs, quod abstracta, ut sessio, statio, cubatio sint iuxta hanc diffinitionem relata, cum dicant ordinem ad subiectum; minime vero concreta, ut cubare, sedere, stare; cõcreta enim cum includant subiectum ad aliud ordinem non videntur dicere.

Est autem & contrarietas, &c. In hac secunda parte capitis assignat proprietates relationis. Prima est, habere contrarium: & monet Aristoteles non quadrare omni relationi, (duplo enim, triplo, & aliis nihil contrariatur) sed alicui, ut virtuti, & vitio, errori, & scientiæ. Nota hic, Aristotelem non esse sibi contrarium, quia superiori capite affirmavit, relata nõ habere contrarium; nam ibi solum loquitur de relatis prædicamentalibus, hic vero de omnibus relatis in universum sumptis.

Videntur etiam ea, &c. Secunda proprietas est, suscipere magis, & minus, quod limitandũ existimo cum Boetio, & Alberto: *Boetius hic. Alber. tract. de relat. c. 5.*

Tunc relata suscipere magis, & minus, quando subiecta, in quibus dicuntur, habent intensionem, & remissionem, ut calor, color, &c. Vel melius, ut explicat Fonseca, Relata dicuntur sumere magis, & minus, quia functa dum ad maiorem unitatem, & divisionem tendunt, dicuntur magis, vel minus simila, vel æqualia, vel inæqualia, &c. atque adeo non in rigore sumendum est illud magis, & minus, sed modo explicato.

5. *Metaphy. cap. 15. q. 1. sectione 2.*

Atque universa, &c. Tertia proprietas est dici ad convertentiam, seu ad reciprocationem, sive per eundem casum, ut Servus est domini servus, & dominus, est servi dominus; sive per diversum, ut Scientia est scibilis scientia, & scibile scientia dicitur scibile. Hoc attributum est proprium quarto modo relationis, ut author ait. Quod si aliquando non convertantur, ex eo dūtaxat provenit, quia terminus proprius relati non assignatur: v.g. hæc non est optima reciprocatio, Ala avis est ala, & avis alæ est avis; quia terminus alæ non est avis, sed alatum, & sic ala & alatum optime reciprocantur, Ala alati est ala, & alatum ala est alatum. Vnde licet nobis vocabula fingere quādo non adsunt nomina accommodata ad explicandā conversionem; v.g. quia caput non reciprocatur cum animali, licet nobis fingere capitatū, cum quo caput recte convertitur. Item, quia navis cū gubernaculo minime reciprocatur, nobis licet fingere gubernatum, cum quo gubernaculum reciprocatur; & sic de reliquis.

At vero ea qua, &c. Enumerat quartam proprietatem, scilicet relata esse simul natura, ita ut posito uno, ponatur aliud; & ablato uno, auferatur aliud: ut posito patre, necesse est ponatur filius, & ablato, necesse est auferatur. Hoc autem attributū inquit Aristoteles in omnibus verum non esse, nam scibile refertur ad scientiā, & anteit scientiam fere in omnibus, tum & datur scibile sine scientia.

Exsistit autem, &c. In tertia parte capitis damnat definitionem antiquorum suamque approbat. Ingrediturque sub hoc dubio, An subitātia sit ad aliud, id est, An sit relata, & collocetur in prædicamento; & ratio dubitandi est, quia id videtur colligi ex superiori definitione relatorum, nam partes substantiæ aliorum esse dicuntur: v.g. caput alicuius dicitur caput, manus alicuius dicitur manus, &c. ergo si supradicta definitio esset optima, etiā partes substantiæ collocarentur in hoc prædicamento, quod est absurdum.

Sin vero non sufficienter, &c. Proponit legitimam relatorum definitionem, quæ sic habet: Relata sunt ea, quorum vis, & natura posita est in eo, ut ad aliud referatur.

Prior autem, &c. Ne quispiam putaret parum discriminis esse inter hanc, & priorē definitionem, exprimit, in quo conueniunt, & discrepant: conveniunt, quia ambæ comprehendunt vera relata: discrepāt primo, quia prior comprehendit omnia relata, tam realia, quam rationis, tam prædicamētalia, quā transcendentalia, tam secundum esse, quam secundum dici; posterior vero sola relata secundum esse, & præ-

& prędicamentalia. Discrepant secũdo, quia prior definitio traditur per dici ad aliud, posterior vero per esse ad aliud, relata autem non debent explicari per dici, sed per esse ad aliud.

Ex his igitur, &c. Ex sua definitione hanc relatorum proprietatem colligit, ut sint simul cognitione, nam cognito uno relato statim cognoscitur aliud, ut cognito patre cognoscitur filius, quod probat per varia genera relatorum.

At vero caput, manus, &c. Ex hac proprietate solvit dubium supra positũ, dicens, partes substantię non esse proprie relatas tum quia totum earum esse non est ad aliud referri; tũ etiã quia potest quis agnoscere partẽ aliquam substãtię, quin agnoscat, cuius illa pars sit, cognito enim capite, vel manu, non statim cognoscitur determinate cuius sit caput, vel manus. Monet postremo in calce capitis magnę utilitatis esse, de relatis quęstiones aliquas pertractare.

DISPVTATIO SEXTA.

De Relatione.

LICET qualitas, & naturę ordine, & perfectione prior sit relatione, de hac tamen egit prius Aristoteles in hoc loco, non quod secutus sit ordinẽ afficiendi substantiam, ut sentit Ruuius, sic enim debuisset prius agere de vbi, & quando, quam de qualitate, cũ illa ex se prius substantiam afficiant quã qualitas, egit igitur de relatione prius ordinem doctrinæ secutus, ut Ammonius, Caiet. Lovani. & alii adnotarunt; capite enim de quantitate Relatorum mentionem fecerat, quam ob causam eorum explicationẽ non distulit; tum quia relatio magnam habet latitudinem, & universalitatem, cum nullum fere sit genus entium, cui relatio nõ accidat; tum quia qualitas aliquo modo in sui cognitione à Relatione pendet, cum sit quædam relatio transcendentalis; at in 5. Met. priorem rationem secutus prius egit de qualitate, nos etiam hic eius sequti dialecticum ordinẽ, prius agimus de relatione.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit Relatio.

SVppono primo cum cõmuni doctrina, dari relationes: in primis enim in Deo dari, est de fide, deinde experientia liquet dari relationes rationis, postremo dari aliquas relationes reales creatas est certum, ut patet in Patre, Filio, &c. tametsi certum non sit, an sint extrinsecę denominationes, num modi reales positivi, aut entitates ipsarum rerum.

Suppono secundo. Forma, vel accidens constituens hoc prædicamentum, primo appellari relationem, quia effectus huius formæ est subiectum ad aliud dirigere, & referre. Secundo dici respectũ à respiciendo, nã quod ad aliud refertur, illud quo-

dammodo respicere videtur, ideo & relata per relationem se mutuo dicuntur respicere. Tertio vocari ad aliquid, vel quia eius natura in quadã veluti habitudine, & respectu ad aliud consistit vel quia Græci carent una voce, qua formam huiusmodi exprimant.

Circa primum solum proponam vulgarem Relationis definitionem ex Arist. deductam; Habitudo, seu respectus unius ad aliud, v. g. habitudo patris ad filium. Vnde liquet quamlibet relationem indigere extremis realiter distinctis; relatio enim non est habitudo unius ad se ipsum, sed unius ad aliud. Reliqua vero, quæ ad enodandam relationis essentiam exigũtur, in sequẽtibus dubiis patefient.

6. Topic. c. 3.

Circa secundum; primo dividitur Relatio in Realem, & Rationis; huius exsistentia ab intellectus operatione pendet, ut Relatio generis, speciei, &c. illius vero ab intellectu non pendet, ut Paternitas, Filiatio. Qualis sit talis divisio, ex dictis de divisione Entis in Reale, & Rationis liquet esse analogam, si Relatio realis extrinsece concipiatur in relatione rationis ad modum realis efformata, æquivocam vero, si concipiantur secundum proprium esse diversum, quod unaquæque earum sortitur.

Secundo dividitur in Relationem secundum esse, & secundum dici. Relatio secundum esse est illa, quæ in reipsa est verus respectus, & vera relatio, ut relatio patris ad filium. Relatio secũdum dici est illa, quæ in re ipsa relatio non est: dicitur tamen relatio, quia à nobis concipitur, & explicatur ad modum relationis; v. g. Divina omnipotentia dicit relationem secundum dici ad creaturas possibiles, quia licet in se sit entitas omnino absoluta, à nobis tamẽ cõcipitur, ac si haberet relationem ad creaturas eo modo, quo potentiæ creatę dicunt relationem ad sua obiecta.

Volunt aliqui, relationem secũdum esse non differre à prædicamentali, & secundum dici à transcendẽtali, displicet: nam Relatio secundum dici, non est vera, & realis relatio, sed solum concipitur, & explicatur ad modũ relationis, sed relatio transcendentalis est vera, & realis: nam materia prima vere, & realiter respicit formam, & forma materiam, & accidens substantiam, &c. ergo relatio transcendentalis etiam est relatio secundum esse; atque adeò relatio secundum esse dividi poterit in transcendentalem, & prædicamentalem.

Robaratur. Ens prædicamentale, quod collocatur in prædicamento, & ens transcendentale, quod omnia transcendit, conveniunt in vera, & propria ratione entis secundum esse; ergo & similiter relatio prædicamentalis, quæ ponitur in prædicamento, & transcendentalis, quę in omni entitate imbibitur, cõvenient in vera, & propria ratione relationis secundum esse.

Arbitror tamen, relationem secundum esse eandem esse cum relatione reali, & secundum dici cum rationis. Probatur, relatio rationis est illa, quę in re nõ est relatio, concipitur tamen à nobis ac si relatio esset, sed rela-

relatio ſecundum dici, ideo dicitur talis, quia in re non eſt relatio, & à nobis cõcipitur, & explicatur, ac ſi eſſet relatio; ergo relatio ſecundum dici eſt relatio rationis.

Confirmatur primo: ex eo divina omnipotentia dicitur relata ſecundum dici ad creaturas, quia tametſi in ſe ſit omnino abſoluta, concipitur tamen à nobis ac ſi eſſet relata, & ſicut illam concipimus, ita illã nuncupamus, & dicimus, ſed ex eo quod ita concipiatur dicitur relata ſecundum rationem, ergo eſſe relatam ſecundum dici, & ſecundum rationem, idem ſunt.

Confirmatur ſecũdo. Subſtantia ſecundũ dici, nihil aliud eſt, quam ſubſtantia rationis, quæ ſubſtãtia dicitur cum in re minime ſubſtantia ſit; ergo relatio ſecundum dici nihil aliud erit, quam relatio rationis, quæ relatio dicitur, cum in re tamen relatio non ſit.

Inſurgis primo cum Suario. Relatio rationis, eo modo quo eſt relatio, eſt ſecundum eſſe, ut perſpicuum eſt in relatione generis, ſpeciei, &c. ergo relatio rationis non eſt relatio ſecundum dici. Reſpondeo, Relationem rationis poſſe cum addito dici ſecundum eſſe, id eſt, ſecundum eſſe fictum, quia vere, & proprie eſt relatio ficta: ſicut homo pictus eo modo quo cenſetur, homo dici poteſt cum addito homo ſecundum eſſe, id eſt, ſecundum eſſe pictum; nam vere, & proprie eſt homo pictus: quare ſicut eſſe hominem ſecundum eſſe fictum, abſolute loquendo, eſt eſſe hominem improprie, & ſecundum dici, ita in noſtro caſu eſſe relationẽ ſecundum eſſe fictum, erit abſolute eſſe relationem ſecundum dici.

Inſurgis ſecundo. Actus intellectus, quo imperfecte agnoſcitur divina omnipotentia ut relata, non eſt actus reflexus, ſed directus ipſius omnipotentiæ, ergo ex vi illius non fit relatio rationis. Reſpondeo, illũ actum eſſe improprie reflexum, quatenus ſupponit alium actum potentiæ creatę, ad cuius ſimilitudinem cõcipitur divina omnipotentia, ut relata: actum autem reflexũ improprie ſufficere ad efficiendum ens rationis, liquet ex diſputatione de Ente rationis.

DVBIVM II.

Diſcrimina inter prædicamentalem, & tranſcendentalem relationem.

ANtequam vera diſcrimina aperiam, inſigniora quæ ab aliis aſſignantur, expendam.

Primũ diſcrimen affert Murcia, quia relatio tranſcendentalis non requirit terminum exiſtentem actu: nam cognitio roſæ hoc tempore non exiſtentis exiſtit, at prædicamentalis terminum exigit actualem: non enim erit actu pater niſi filius exiſtat: ſed licet hoc diſcrimen verum contineat quatenus aſſerit omnem relationem prædicamentalẽ requirere terminum actu exiſtentem, verum tamen non continet, quatenus cõtrarium univerſaliter aſſerit de tranſcendentalib⁹ relationibus; nam multæ relationes tranſcen- *Diſp. 1. q. 1.*

den-

dentales exsistere nequeunt suo termino non exsistente, ut actio sine effectu, unio sine partibus quas unit, & quivis modus sine re, cuius est modus; ergo tametsi aliquæ relationes transcendentales non exigãt terminum actu exsistentem. Hoc non erit de ratione cuiusvis relationis transcendentalis, & consequenter discrimen adductum non est universaliter verum.

Disput. 47. sect. 4. Secundũ discrimen assignat P. Suarez, asserens, relationem transcendẽtalem esse per se intentam à natura, id est, fieri per veram actionem, & causam, at prædicamentalis sequitur ex positione termini. Sed oppono primo, quia actio est relatio transcendentalis ad terminum, & tamen non per se, sed propter suũ terminum intenditur, ergo non differt à prædicamentali, eo quod per se intendatur. Secundo, quia agens naturale positis dispositionibus per se intendit effectum, ergo etiam fundamentum, quod est agens naturale relationis posito termino. Tertio opponunt, qui relationem in modo constituunt, quia reliqui modi sunt relationes transcendentales per se intentę à natura, ergo idem erit de relatione prædicamentali.

Tertium discrimen assignari potest, quia relatio prędicamẽtalis petit distinctionẽ realem inter fundamentum, & terminum, transcendentalis vero illam non efflagitat: nam scientia diuina, v.g. dicit relationem transcendentalem ad essentiam diuinam, tanquam ad proprium obiectum, & amor diuinus ad bonitatem diuinam, inter quam nulla realis distinctio reperitur. Sed hoc discrimen aperte falsum est, nã realis respectus, qualis est transcendentalis, necessario exigit distinctionẽ realem inter fundamẽtum, & terminũ; alias enim relatio identitatis eiusdem ad seipsum, esset relatio realis transcendentalis, & similiter relatio generis ad differẽtiam, quod est absurdũ. Et ratio à priori est, quia relatio realis est vera, & realis tendentia unius ad aliud, ergo exigit distinctionem inter fundamentum, & terminum, eiusdem enim ad seipsum nequit esse realis tendentia: quare aperte constat exempla supra memorata esse falsa.

Asserendum ergo est prędicamentalem, & transcendentalem relationem discriminari inter se per proprias entitates per fundamenta, & per terminos. Primo discrepant per propias entitates, quia relatio prædicamentalis est aliquid accidentale superadditum subiecto, quod refertur, ut paternitas substantiæ Petri; sei enim contingit accidentario esse patrem; at relatio transcendentalis est omnino essentialis subiecto, vel quasi subiecto, quod refert; sic enim relatio, qua visio transcendentaliter respicit obiectum, est ita illi essentialis, ut neq. esse, neque intelligi sine eo possit; non enim est aliud, quam entitas ipsius visionis, ut dependens ab obiecto.

Secundo differunt ex parte fundamenti, quia relatio prædicamentalis supponit fundamentum plene constitutum in suo esse essentiali, ut relatio paternitatis, quæ supponit ipsum hominẽ, qui est pater constitutum in

in suo esse essentiali; at vero transcendentalis non supponit rem, quam refert, constitutam essentialiter, sed potius illam essentialiter constituit, ut relatio accidentis ad substantiam essentialiter constituit accidēs.

Tertio discriminātur ex parte termini, nam relatio prædicamentalis respicit terminum ut pure terminum, id est, nullū aliud munus circa illud exercendo, ut paternitas, genitum; non vero transcendentalis, quæ semper suum terminum respicit aliquid circa ipsum exercendo, videlicet uniendo; vt vnio respectu partium; vel recipiendo, ut materia respectu formæ; vel informando, ut forma respectu materiæ, &c.

Ratio huius discriminis est, quia cum relatio transcendentalis sit ipsamet essentia, quæ respicit terminū, idem munus, quod exercet res ipsa circa terminū, tribuitur relationi transcendentali; at cum relatio prædicamentalis non sit ipsamet essentia fundaméti, sed aliquid superadditum, resultans in illo expositione termini, officium quod exercet fundamentū respectu termini, non tribuitur relationi prædicamentali, & ideo eius munus solum erit denominare fundamentum relatum ad terminum sub pura ratione termini.

Oppones primo, cognitio respicit obiectum ut pure terminum, & actio terminum suum etiam ut pure terminum, quas nemo non censet transcendentales relationes, ergo. Resp. eas versari circa terminum, nō ut pure terminum, sed agendo aliquid: nam cognitio repręsentat, & actio producit suum terminum.

Vrgebis cum Hurtado: Sicut cognitio respicit obiectum illud repręsentando, ita similitudo albi terminum illum assimilando, ergo utraque pariter respicit terminum exercendo aliquod munus. Respondeo, similitudinem asimilare fundamētum termino, non tamen terminum fundamento, atque adeo nihil in eum exercere, nisi respicere. §. 68.

Oppones secundo. Relatio prædicamentalis in sua essentia includit respectum transcēdentalem ad terminū, quia est entitas in se dependens essentialiter ab illo, & tamen respicit illum ut pure terminum, ergo, &c. Respōdeo, nos locutos fuisse de relatione transcendentali distincta à prædicamentali.

Oppones tertio. Relatio prædicamentalis fundata in potentia, differt essentialiter ab ea, quæ fundatur in unione, ergo illa respicit terminum ut effectum, non vero ista. Respondeo negando consequentiam: nam etiam illa relatio respicit effectum ut pure terminū, quia nō dat esse effectui, qui est terminus: solum enim differt ab aliis relationibus in fundamento, & ratione fundandi: relatio etiam prædicamentalis, quæ est inter actum, & obiectū, respicit obiectum ut pure terminum, non enim relatio tribuit illi esse obiectum, cum ut sic nō sit eius repręsentatio.

Oppones quarto. Vnio hypostatica respicit Verbū divinum ut pure terminum, ergo etiam relatio transcendentalis respicit pure terminū. Aequivocum

est antecedens, nam unio respicit Verbum ut purum terminum in ratione causæ, cum Verbum non sit causa materialis formalis, aut efficiens unionis, & ideo est purus terminus in ratione causæ, non vero in ratione uniti, quia vere unitur per eam unionem, hæcque dependet ab eo sine causalitate, atque adeo non solum exercet munus respiciendi illud, sed etiã unien di.

Rogas hic: An divinæ relationes sint prædicamẽtales. Nego esse, nam relatio divina sicut & substantia, non est prædicamentalis, sed altioris ordinis. Ratio autem cur divina relatio collocari nequeat cum creatura, constat ex dictis.

DVBIVM III.

Definitio Relationis prædicamentalis enodatur.

PHilosophus relata sic definit: Quorum esse idẽ est eis, atque ad aliud aliquo modo se habere, ut Pater, & filius; utriusque enim esse ut relati, est ad aliud se habere; definivit vero relata in plurali numero, ut ostẽderet, relationem inter duo exerceri, quod ex Ammonio, & Alberto observant Conimbricenses in textu, vel quia accepit plurale pro singulari, quod Boëtius, & alii interpretes voluerunt.

Dico ergo: Relatio breviter, & perspicue ita definitur: Accidens, cuius totum esse est ad aliud. Colligitur ex verbis Aristotelis, relatis, & traditis à Patre Suarez: eius explicatio erit probatio bonitatis illius. Accidens habet locum generis, & in eo convenit cum aliis accidentibus: distinguitur tamen à relationibus divinis, quæ sunt substantiales; tum etiã à transcendentalibus, quæ sæpe sunt substantiæ, vel certe nunquam accidentariæ: secernitur etiam à relationibus rationis, quæ non sunt vera accidentia realia; accidens enim hic absolute prolatum reale significat. *Disput. 47. Met sect. 5. num. 2.*

Reliqua pars gerit vicẽ differentiæ, & discriminat relationem à cæteris accidẽtibus, quæ non habent sicut relatio totum suum esse in ordine ad aliud, tametsi habeant suum esse in alio.

Dices. Cum Relatio sit accidens, necessario esse in alio, ergo non est totum esse illius esse ad aliud. Negatur cõsequentia; quia relatio quatenus accidens non habet ita suum esse in alio, scilicet in subiecto, ut sistat in ipsum, sed ut ipsum referat ad aliud, & hoc tantum significant verba definitionis. De hoc lege plura apud Suarez.

Collige primo. Relationem essentialiter actu referre subiectum ad terminum, quia de ratione modi est actu afficere subiectum in quo est, sed relatio est modus, ut videbimus infra; ergo de ratione illius erit actu afficere subiectum in quo est, & actu referre illud ad terminum. *Disputat. num. 6.*

Collige secundo. Solam relationem prædicamentalem collocari in prædicamento, non transcendentalem, rationis, vel secundum dici.

DV-

DVBIVM IV.

An relatio discrepet à fundamento, & termino, & quomodo.

NOta, in Relatione tria intervenire, scilicet extremũ, seu fundamentũ remotum; fundamentum proximum, seu rationem, vel modum fundandi, & terminum. Fundamentum remotum est, quod remote, & non in se, sed quasi in alio relationem recipit: sic substantia, quæ per albedinem est similis alteri, est fundamentum remotum similitudinis, quia non cõcipitur suscipere relationem in se, sed in albedine. Fundamẽtum proximum est, quod in seipso concipitur relationem suscipere, ut in exemplo tradito, albedo. Terminus est id, ad quod relativum primo, & per se refertur, qualis est filius respectu patris. Relativũ, aut relatum appello id, quod per relationem refertur. Correlativum, seu correlatum extremũ illud, quod ex altera parte illi respondet; sic pater filii, & filius patris sunt relatum, & correlatum.

Ita Suarez citatus, sectione 2. nu. 25. quare immerito ei Hurtad. sectio. 3 suam sententiam adscribit.

Assero primo. Relatio prædicamentalis non est idem formaliter cum fundamẽto, & termino. Probatur primo. Relatio prædicamentalis est unum ens per se, ponitur enim in prædicamento, sed si involvat fundamentum, & terminum non erit ens per se, ergo, &c. Minor probatur. Nam relatio similitudinis, qua ego respicio Franciscum album, includit meam, & Francisci albedinem cõpletam sine physica unione inter se, sed ex duobus entibus in actu completis, & sine physica unione non fit unum ens per se; ergo si relatio includat fundamẽtum, & terminum, non erit ens per se. Secundo. Relatio transcẽdentalis non includit essentialiter terminum quem respicit, actio enim non includit agens, nec visio obiectũ, ergo neq. prædicamentalis includet essentialiter terminum quem respicit.

3. Relatio prędicamentalis, ut definit Hurtadus, est id, cuius totum esse est ad aliud, sed si includat fundamentum, & terminum, non erit totum esse ad aliud, ergo, &c. Minor probatur: nam si relatio paternitatis coalescit formaliter ex substantia genitoris, ut fundamento, & substãtia geniti ut termino, rogo, Totũ hoc ad quid aliud habeat totum suũ esse? Respondebis: Substantiam genitoris habere totũ suum esse ad substantiam geniti. Sed contra: nam vel substantia genitoris est totum esse paternitatis, vel non; si est totum esse, relatio ista formaliter consistit in solo fundamento; si non est totum esse, igitur Relatio non erit id, cuius totum suum esse, sed tãtum pars sit ad aliud. Quarto argumento ad hominem. Non potest advenire nova denominatio intrinseca subiecto sine nova forma intrinsece adveniente, quod fatetur Hurtadus: sed Franciscum esse patrem modo Ioannis, cum antea nõ esset, est nova denominatio intrinseca, iuxta eundem Hurtadum, ergo aliqua forma intrinseca de novo advenit Francisco; sed ter-

Sectione 9.

§. 31.

minus est extrinsecus fundamento, ergo relatio nequit esse fundamentum, & terminus.

Dices, Terminum esse intrinsecum relationi, quia est de illius essentia, non tamen subiecto, vel fundamento. Sed contra, quia forma illi debet esse intrinseca, cui advenit denominatio intrinseca, sed denominatio advenit fundamẽto, vel subiecto, hoc enim dicitur intrinsece referri; ergo illi forma adveniens debet esse intrinseca.

Demum. Relatio Paternitatis divinæ non includit formaliter terminum, ergo neque relatio paternitatis humanæ. Quare omnino reiicienda est huiusmodi sententia, quia plane prædicamentũ relationis è medio tollit, ut bene opinatur Fonseca, imo & illius essentiam; etenim ex duobus extremis absolutis, ex quibus Hurtadus componit relationem, solum quid absolutum, & minime relativum consurgere potest, ut constabit magis ex sequenti conclusione.

Contra Nominales in 1. dist. 30. & aliquos Recentiores

Assero secundo. Prædicamentalis relatio nequit esse denominatio extrinseca, desumpta á termino. Probatur, quia esse hãc albedinem similem alteri, est denominatio respectiva ad aliud, ergo nequit esse denominatio extrinseca ab alia albedine coexistenti. Est clara consequentia, quia sicut denominatio intrinseca nihil est aliud, quam forma ipsa intrinsece inhærens, ita denominatio extrinseca nihil est aliud, ut probavi tractatu 1. nisi forma extrinsece applicata; sed albedo extrinsece alteri applicata, est quid absolutum spectans ad categoriam qualitatis, ergo non potest alteri tribuere denominationem respectivam.

Declaratur amplius: Res non dicitur similis alteri per id, quod in altera est, sed per id, quod in se habet, ergo denominatio relativa similitudinis nõ est ab extrinseca forma, & entitate.

Confirmatur. Denominatio extrinseca ut sic nequit esse respectiva, quia potius est veluti applicatio formæ extrinsece ad subiectum denominatum, quam habitudo ipsius subiecti ad terminum extrinsecum: ut esse visum potius est applicatio visionis ad parietẽ, quam respectus parietis ad visionem, vel ad videntem; ergo relatio, quæ essentialiter est habitudo fundamenti ad terminum extrinsecũ, nequit esse denominatio extrinseca. Vnde merito sanctus Thomas docet, denominationẽ respectivam non esse à forma exterius exsistente, sed intrinsece inhærente. Cuius ratio est: nam cum denominatio relativa sit per habitudinẽ unius ad aliud, non potest forma ita denominans esse in eo extremo, ad quod est habitudo, sed in eo, quod relatum denominatur. *1. contra Gentes, cap. 13.*

Secundo, quia denominatio orta in una albedine ex alterius coexsistentia est relatio, ergo & denominatio orta in homine vestito ex adiacentia vestis, erit relatio: vnde prædicamentum habitus de medio tolletur. Probatur consequentia, quia si illa prior per te solum est extrinseca denominatio, & hæc posterior; cur ergo una, & non alia pertinebit ad prædicamentum relationis? Simile argumentum fieri

fieri potest in prædicamento Vbi, quãdo, & situs. Tertio, denominatio extrinseca in albedine ex visione in se tendente, non facit illam relatam ad ipsam visionem, ergo neq. denominatio extrinseca ex altera albedine ei coexistente faciet illam relatam.

Tandem si relatio est denominatio extrinseca, igitur in Deo dantur relationes reales ad creaturas in tempore illi contingentes, quod est contra communem Philosophorũ, & Theologorum sententiam. Probatur consequentia, quia sicut causa creata denominatur extrinsece ab effectu existenti, ita & Deus ab effectu suo existenti; ergo sicut denominatio ista in creatura est relatio prædicamentalis causæ ad effectum, ita in Deo.

Assero tertio. Prædicamentalis relatio non est idem realiter cum fundamento proximo. Probatur primo, quia non potest advenire nova denominatio intrinseca subiecto, nisi accedente nova forma intrinseca: sed Petrum album esse similem nũc primum Paulo albo recenter nato, cui antea similis nõ erat, est nova denominatio intrinseca, igitur relatio similitudinis, (& idẽ est de quavis alia) est diversa forma ab entitate fundamenti, & subiecti. Maior clara est inductione: nam denominatio albi, Petro non albo, quia est nova denominatio intrinseca, non potest illi advenire sine nova forma albedinis, & denominatio cognoscentis denuo advenire non potest intellectui sine nova cognitione, propter similem causam, &c.

Respondent cõmuniter cum Suario: Ad novam denominationem intrinsecam non semper requiri novam formam intrinsecam, sed novam aliquam conditionem requisitam, quod contingit in relatione: nam eadem forma albedinis, quæ antea denominabat Petrũ album, eadem sine sui mutatione denominat intrinsece similem, posito novo termino requisito, eoque connotato.

Sed occurro ita: nam vel entitas, vel forma intrinseca realis similitudinis erat in Petro albo ante termini positionem, vel non; si non erat, ergo aliquid novum, & intrinsecum advenit; si erat tota, ergo reddebat Petrum antea formaliter similem Paulo ante eius ortum. Confirmatur: nam forma unita subiecto necessario cõmunicat suum effectum formalem, sic enim albedo inhærens Petro, necessario facit album; ergo si tota forma intrinseca similitudinis est in eodem Petro simul cum albedine, quia ab ea non distinguitur, faciet illum relatione similem, etiam antequam terminus existat. Dices: Denominatio albi est absoluta independens à termino, & ita ubi est in subiecto albedo tribuit illam, at denominatio similis pendet à termino, & ita non tribuit eam formaliter ante termini existentiã. Instо tamẽ, quia denominatio intrinseca uniti pendet ab extremo uniendo, & tamen esse nequit formaliter in subiecto quin tribuat suum effectum formalem illi; ergo idem erit in relatione; non enim minus pendet unio à suo termino, quam rela-

tio à suo; nec minus illa essentialiter unit, quam hæc refert, & respicit aliud.

270

Secundo, quia res alba antea non erat similis, & modo est similis, sine additione novæ entitatis, & sine sui mutatione; ergo similitudo in ea nihil est intrinsecum. Probatur consequētia: nam antea nihil habebat similitudinis, & postea habet, nihil recipiendo; ergo similitudo nihil est in ea intrinsecum. Negant consequentiā: nam in Deo, aiunt, scientia visionis, & amor liber creaturarum, quid reale, & intrinsecum est, & tamen Deus sine novæ entitatis additione, & absque mutatione sui ex non vidente, & amante intrinsece creaturas denominatur postea videns, & amans illas, posita earum futuritione, eaque cōnotata. Sed profecto, id ęque difficile est ac mysterium Trinitatis, & fide potius venerantur ingenia, quam intelligētia assequuntur. Et prętera, ut bene objicit Hurtadus, si divinitatis regina, licet creata metiri, dicere quis poterit similiter animam produci ut est forma, non vero ut est rationalis, quia etiam entitas Dei producitur ut est relatio, non vero ut est natura Dei.

Tertio, quia tota entitas albedinis est absoluta, & spectat ad categoriam qualitatis, ergo illa sola non potest referre Petrum, quem afficit ad Paulum. Confirmatur, quia ut aliqui ex adversariis arguunt, ideo denominatio extrinseca ab albedine existente non potest facere aliā albedinē relatam, quia ista denominatio extrinseca provenit à forma extrinseca absoluta, sed albedo intrinseca Petri etiam est absoluta, ergo non poterit illum facere relatum.

Assero quarto. Relatio ex natura rei à fundamento distingnitur. Probatur primo ex divo Thoma, vbi constituit discrimē inter relationes divinas, & creatas, quod relationes divinæ nō distinguūtur à suo fundamento, scilicet à natura divina, quę est fundamentum illarum; at vero relationes creatæ, inquit, distinguūtur à suo fundamento, vbi necessario loquitur sanctus Doctor de distinctione realiṇā distinctione rationis etiam relationes divinæ differunt à natura divina. 1. p. q. 28. art. 2. ad 1.

Probatur secundo ratione, quia nullum est clarius signum distinctionis realis inter aliqua duo, quam posse esse unum sine alio, nam idem à seipso realiter separari nequit, sed fundamētum relationis potest este sine relatione: ut si destruatur filius, v. g. destruitur relatio paternitatis, quia destruitur illius terminus, & tamen manet tota entitas patris, quæ est fundamentum talis relationis: similiter destructo uno albo, destruitur relatio similitudinis ad illud, & tamen manet tota entitas alterius albi, quæ erat illius fundamentum; ergo relatio, & fundamētum à parte rei differunt.

Respondent, paternitatē manere in fundamento quoad realitatem intrinsecam relationis, non vero quoad formalitatem, quia non manet in illo ut relatio, neque ipsum refert ob defectum cōnotationis termini. Sed contra primo, quia formalitas relationis separatur realiter à fundamento, ergo reipsa distinguitur

guitur ab ipso. Secũdo, quia vel illa formalitas est intrinseca relationi, vel non; si est, ergo aliquid intrinsecũ, & reale à fundamento separatur; si non est, ergo forma, & ratio formalis cõstitutiva relationis est aliquid extrinsecum, aut certe relatio est denominatio partim intrinseca, & partim extrinseca: quod ex hac opinione infert Hurtadus, & utrunque renuunt sectatores Suarii in hac re. Tertio, quia sublata forma leonis, non potest manere realitas, neque formalitas unionis cum materia, quia unio pendet essentialiter à forma, ergo neque ablato termino potest manere realitas, neq. formalitas relationis cum fundamẽto; non enim minus essentialiter pendet relatio à termino, quam unio substantialis à forma quam unit, nec video quod possit affecti discrimen.

Sic Iavell. Secus, Molina, Bañes, ibi. Murca, quos sequitur. & refert N. Blãc disp. 11. sect. 6. & super Anton. Sala disp. 1. de Relatiõ. quæst. 3.

Assero quinto. Relatio distinguitur ut modus à fundamento. Probatur primo, quia distinctio modalis inter relationem, & fundamentum, sufficit ad verificãda omnia quæ de relatione dicũtur, ut patebit solutione argumentorum, ergo, &c. Secundo, quia tũc aliquid distinguitur ab alia entitate ut modus, quando entitas potest manere sine illo, non tamen è cõtra adhuc divinitus, sed licet fundamentum possit manere sine relatione, non tamen hæc sine illo, igitur reipsa ut modus à fundamento distinguitur. Confirmatur. Sicut Vbi est præsentia rei in loco, ita Relatio est respectus fundamenti ad terminum; ergo sicut Vbi est modus rei præsentis, resultans in illa posita productione talis rei, ita relatio erit modus fundamenti, resultãs in illa posita productione termini. 271

Collige ex dictis, refellendã esse sententiam Scoti, autumantis Relationes, quæ separantur à fundamento, ut relationes paternitatis, filiationis, &c. reipsa distingui ab illo; eas vero, quæ non separantur, ut relatio creaturæ ad Deum, & aliæ si quæ sunt, non distingui, quia distinctio unius rei ab alia non est colligenda ex eo, quod actu una ab alia separetur, sed ex eo quod sit separabilis; atqui omnes relationes præditamentales æquè sunt à fundamento separabiles, ergo omnes reipsa differunt ab illo. Minor probatur, quia omnes relationes sunt extra essentiam sui fundamenti, illiq. contingunt, ergo æque omnes sunt separabiles. Quod autem relatio creaturæ à suo fundamento exsistenti non separetur, inde provenit, quod eius terminus, scilicet Deus, necessario exsistit; quare si creatura exsisteret per impossibile, non exsistente Deo, relatio illius cessaret.

In 2. dist 1. q. 3. & in 3. d. 8. q. 1.

DVBIVM V.

Obiectiones expediuntur.

OBiicit primo Hurtadus contra primam cõclusionem. Relatio non est modus ex natura rei, diversus à fundamẽto, & termino, neque est solum fundamentum, neque solus terminus, ergo consistit in utroq. Nego primam partem antecedentis, nã relatio (ut vidimus) est

minus est extrinsecus fundamento, ergo relatio nequit esse fundamentum, & terminus.

Dices, Terminum esse intrinsecum relationi, quia est de illius essentia, non tamen subiecto, vel fundamento. Sed contra, quia forma illi debet esse intrinseca, cui advenit denominatio intrinseca, sed denominatio advenit fundamẽto, vel subiecto, hoc enim dicitur intrinsece referri; ergo illi forma adveniens debet esse intrinseca.

Demum. Relatio Paternitatis divinæ non includit formaliter terminum, ergo neque relatio paternitatis humanæ. Quare omnino reiicienda est huiusmodi sententia, quia plane prædicamentũ relationis è medio tollit, ut bene opinatur Fonseca, imo & illius essentiam; set enim ex duobus extremis absolutis, ex quibus Hurtadus componit relationem, solum quid absolutum, & minime relativum consurgere potest, ut constabit magis ex sequenti conclusione.

Contra Nominales in 1. dist. 30. & aliquos Recentiores

Assero secundo. Prædicamentalis relatio nequit esse denominatio extrinseca, desumpta à termino. Probatur, quia esse hâc albedinem similem alteri, est denominatio respectiva ad aliud, ergo nequit esse denominatio extrinseca ab alia albedine coexsistenti. Est clara consequentia, quia sicut denominatio intrinseca nihil est aliud, quam forma ipsa intrinsece inhærens, ita denominatio extrinseca nihil est aliud, ut probavi tractatu 2. nisi forma extrinsece applicata; sed albedo extrinsece alteri applicata, est quid absolutum spectans ad categoriam qualitatis, ergo non potest alteri tribuere denominationem respectivam.

Declaratur amplius: Res non dicitur similis alteri per id, quod in altera est, sed per id, quod in se habet, ergo denominatio relativa similitudinis nõ est ab extrinseca forma, & entitate.

Confirmatur. Denominatio extrinseca ut sic nequit esse respectiva, quia potius est veluti applicatio formæ extrinsece ad subiectum denominatum, quam habitudo ipsius subiecti ad terminum extrinsecum: ut esse visum potius est applicatio visionis ad parietẽ, quam respectus parietis ad visionem, vel ad videntem; ergo relatio, quæ essentialiter est habitudo fundamenti ad terminum extrinsecũ, nequit esse denominatio extrinseca. Vnde merito sanctus Thomas docet, denominationẽ respectivam non esse à forma exterius exsistente, sed intrinsece inhærente. Cuius ratio est: nam cum denominatio relativa sit per habitudinẽ unius ad aliud, non potest forma ita denominans esse in eo extremo, ad quod est habitudo, sed in eo, quod relatum denominatur. *1. contra Gentes, cap. 13.*

Secundo, quia denominatio orta in una albedine ex alterius coexsistentia est relatio, ergo & denominatio orta in homine vestito ex adiacentia vestis, erit relatio: vnde prædicamentum habitus de medio tolletur. Probatur consequentia, quia si illa prior per se solum est extrinseca denominatio, & hæc posterior; cui ergo una, & non alia pertinebit ad prædicamentum relationis? Simile argumentum

ñeri

fieri potest in prædicamento Vbi, quãdo, & situs. Tertio, denominatio extrinseca in albedine ex visione in se tendente, non facit illam relatam ad ipsam visionem, ergo neq. denominatio extrinseca ex altera albedine ei coexsistente faciet illam relatam.

Tandem si relatio est denominatio extrinseca, igitur in Deo dantur relationes reales ad creaturas in tempore illi contingentes, quod est contra communem Philosophorũ, & Theologorum sententiam. Probatur consequentia, quia sicut causa creata denominatur extrinsece ab effectu existenti, ita & Deus ab effectu suo exsistenti; ergo sicut denominatio ista in creatura est relatio prædicamentalis causæ ad effectum, ita in Deo.

Assero tertio. Prædicamentalis relatio non est idem realiter cum fundamento proximo. Probatur primo, quia non potest advenire nova denominatio intrinseca subiecto, nisi accedente nova forma intrinseca: sed Petrum album esse similem nũc primum Paulo albo recens nato, qui antea similis nõ erat, est nova denominatio intrinseca, igitur relatio similitudinis, (& idẽ est de quavis alia) est diversa forma ab entitate fundamenti, & subiecti. Maior clara est inductione nam denominatio albi, Petro non albo, quia est nova denominatio intrinseca, non potest illi advenire sine nova forma albedinis, & denominatio cognoscentis denuo advenire non potest intellectui sine nova cognitione, propter similem causam, &c.

Respondent cõmuniter cum Suario: Ad novam denominationem intrinsecam non semper requiri novam formam intrinsecam, sed novam aliquam conditionem requisitam, quod contingit in relatione: nam eadem forma albedinis, quæ antea denominabat Petrũ album, eadem sine sui mutatione denominat intrinsece similem, posito novo termino requisito, eoque connotato.

Sed occurro ita: nam vel entitas, vel forma intrinseca realis similitudinis erat in Petro albo ante termini positionem, vel non; si non erat, ergo aliquid novum, & intrinsecum advenit; si erat tota, ergo reddebat Petrum antea formaliter similem Paulo ante eius ortum. Confirmatur: nam forma unita subiecto necessario cõmunicat suum effectum formalem, sic enim albedo inhærens Petro, necessario facit album; ergo si tota forma intrinseca similitudinis est in eodem Petro simul cum albedine, quia ab ea non distinguitur, faciet illum relatione similem, etiam antequam terminus exsistat. Dices: Denominatio albi est absoluta independens à termino, & ita ubi est in subiecto albedo tribuit illam, at denominatio similis pendet à termino, & ita non tribuit eam formaliter ante termini existentiã. Insto tamẽ, quia denominatio intrinseca uniti pendet ab extremo uniendo, & tamen esse nequit formaliter in subiecto quin tribuat suum effectum formalem illi; ergo idem erit in relatione; non enim minus pendet unio à suo termino, quam rela-

guitur ab ipso, Secũdo, quia vel ista formalitas est intrinseca relationi, vel non; si est, ergo aliquid intrinsecũ, & reale à fundamento separatur; si non est, ergo forma, & ratio formalis cõstitutiva relationis est aliquid extrinsecum, aut certe relatio est denominatio partim intrinseca, & partim extrinseca: quod ex hac opinione infert Hurtadus, & utrunque renuunt sectatores Suarii in hac re. Tertiò, quia sublata forma leonis, non potest manere realitas, neque formalitas unionis cum materia, quia unio pendet essentialiter à forma, ergo neque ablato termino potest manere realitas, neq. formalitas relationis cum fundamẽto; non enim minus essentialiter pendet relatio à termino, quam unio substantialis à forma quam unit, nec video quod possit afferri discrimen.

Sic Iavell. Scotus, Molina, Bañes, ubi. Mur. a, quos sequitur, & refert N. Blãc. disp. 11. sectio. 6. & ante. per Anton. Sala disp. 1. de Relatiõ. quæst. 3.

Assero quinto. Relatio distinguitur ut modus à fundamento. Probatur primo, quia distinctio modalis inter relationem, & fundamentum, sufficit ad verificãda omnia quæ de relatione dicũtur, ut patebit solutione argumentorum, ergo, &c. Secundo, quia tũc aliquid distinguitur ab alia entitate ut modus, quando entitas potest manere sine illo, non tamen è cõtra adhuc divinitus, sed licet fundamentum possit manere sine relatione, non tamen hæc sine illo, igitur reipsa ut modus à fundamento distinguitur. Confirmatur. Sicut Vbi est præsentia rei in loco, ita Relatio est respectus fundamenti ad terminum; ergo sicut Vbi est modus rei præsentis, resultans in illa positaproductione talis rei, ita relatio erit modus fundamenti, resultãs in illa posita productione termini. 271

Collige ex dictis, refellendã esse sententiam Scoti, autumantis Relationes, quæ separantur à fundamento, ut relationes paternitatis, filiationis, &c. reipsa distingui ab illo; eas vero, quæ non separantur, ut relatio creaturæ ad Deum, & aliæ si quæ sunt, non distingui, quia distinctio unius rei ab alia non est colligenda ex eo, quod actu una ab alia separetur, sed ex eo quod sit separabilis; atqui omnes relationes præditamentales æquè sunt à fundamento separabiles, ergo omnes reipsa differunt ab illo. Minor probatur, quia omnes relationes sunt extra essentiam sui fundamenti, illiq. contingunt, ergo æque omnes sunt separabiles. Quod autem relatio creaturæ à suo fundamento exsistenti non separetur, inde provenit, quod eius terminus, scilicet Deus, necessario exsistit; quare si creatura exsisteret per impossibile, non exsistente Deo, relatio illius cessaret. *In 2. dist 1. q. 3. & in 3. d. 8. q. 1.*

DVBIVM V.

Obiectiones expediuntur.

OBiicit primo Hurtadus contra primam cõclusionem. Relatio non est modus ex natura rei, diversus à fundamẽto, & termino, neque est solum fundamentum, neque solus terminus, ergo cõsistit in utroq. Nego primam partem antecedentis, nã relatio (ut vidimus) est

est modus ex natura rei à fundamento diversus.

Secundo. Relatio similitudinis inter duas qualitates, nihil est nisi illarum similitudo, sed ista est utraq. qualitas existens, ergo, &c. Respondeo, similitudinē inter duas albedines, v. g. adæquatæ spectatam, non esse unā indivisibilem relationem, sed duplicem, nam in unaquaque est sua relatio singularis, qua alteri est similis, & hæc quidem ab unaquaque albedine reipsa discrepat.

Tertio. Relatio tacti est prædicamentalis, tangere enim est ad aliud, sed duo corpora vendicant istam relationē precisè ex coexistentia in duobus locis immediatis, igitur relatio tacti formaliter consistit in utroque extremo. Respondeo, rationem tacti precisè nō esse relationem prædicamentalem, sed extrinsecam denominationem à corpore tangente, quapropter solum dicit formaliter superficiem corporis tangentis, connotando extrinsece alterum corpus, quod est subiectum huius denominationis, sicut esse amatum formaliter dicit amorem, ut formam connotando obiectum, quod etiam est subiectum talis denominationis, at relatio non est denominatio extrinseca, sed intrinseca fundamento, in quo tota integra invenitur, & solum extrinsece à termino pendet.

Obiiciunt primo Nominales contra secundam conclusionem ex Aristotele, docente, ad Relationem non dari motum, neq. per illam mutari subiectum, ergo solum potest esse denominatio extrinseca, posita ex positione termini, ad quam per se non datur motus; nam si admittatur aliqua forma intrinseca ad illam, dabitur per se motus, & per ipsam recepta intrinsece mutabitur subiectū. Respondeo, Aristotelem nō ex propria sententia illud asseruisse, sed veterum, qui affirmabant, relationem fieri per naturalem resultantiam à fundamento, & non per veram actionem, & mutationem, quod est falsum; nam tametsi relatio per naturalē resultantiam fiat, hoc tamen non tollit quin fiat per verā actionem, & mutationem, nam ablata columna detinente lapidem naturali resultantia descendit deorsum, & talis descensus est vera actio, & verus motus, ergo idem erit in præsenti.

5. Physico. texto 10.

Secundo. Positis duobus albis in rerum natura, quamvis Deus suspendat concursum ad producendam aliquam intrinsecam formam, nihilominus illa duo alba erunt similia in albedine, ergo signum est unum album denominari simile alteri ex sola concomitantia alterius, & non ab aliqua forma intrinseca superaddita. Respondent aliqui, Deum non posse suspendere concursum Relationis positis duobus albis. Hoc tamen nobis non placet: nam cum Relatio sit aliquid intrinsecum, distinctum à fundamento, & termino, necessario debet fieri per distinctū concursum ab eo, quo fit fundamentum, & terminus, ergo posito fundamento, & termino, potest Deus suspendere concursum, quo producitur relatio; sicut posita essentia, potest impedire concursum, quo producitur proprietas; posito enim fun-

fundamento, & termino, Deus libere concurrit ad productionem relationis; sicut posita essentia libere concurrit ad productionē proprietatis. Respondeo ergo ad argumentum. Posito fundamēto, & termino, posse à Deo impediri relationis productionem, & tunc alba fore similia fundamentaliter, non formaliter, quia deest illis forma Relativa, per quam constituuntur formaliter.

Tertio. Relatio similitudinis, quæ consurgit in una albedine, non potest illam reddere similem alteri, & potest denominatio ab alia albedine; ergo hæc, & non illa est relatio similitudinis. Probatur antecedens, quia Relatio ista, & alia albedo sunt genere diversæ, & maxime dissimiles, ergo nequit facere si nilem unam albedinem alteri: quod vero altera id præstet, ostenditur, quia una est eiusdem speciei, & rationis cum alia, sicque potest aliam sibi similem denominare. Respondeo negando antecedens. Ad primā partem probationis dico, relationem illam posse facere albedinem alteri similem, quia est alteri similis ut quo, & id sufficere quamvis sit dissimilis ut quod; quemadmodum ut notio faciat naturam universalem, satis est ut sit universalis ut quo, quamtumvis ut quod sit singularis. Ad secundam partem nego id, posse facere unam albedinem cōnotando aliam, quia est forma in sua entitate absoluta, & non potest tribuere denominationem relativam similitudinis, ut dictum.

Quarto. Sola denominatio extrinseca sufficit ad verificanda omnia quæ de relatione dicuntur, ergo frustra fingimus aliquam formam intrinsecam in fundamento, à qua sumatur denominatio relativa. Antecedens probatur. Deus intelligitur Creator per solam exttinsecam denominationē à creatura producta, ergo similiter in creaturis, denominatio Patris, v. g. solum erit denominatio extrinseca à Filio producto. Respondeo, esse discrimen, quia Deus non est capax mutationis, nec receptionis alicuius formæ intrinsece, à qua sumantur prædictæ denominationes, bene tamen entitates creatæ.

Instabis contra solutionem. Licet creatura sit capax mutationis, & receptionis novæ formæ extrinsecę, hæc tamen non est pro arbitratu fingenda, sed necessitate aliqua cogente admittenda; atqui nulla est necessitatas admittendi in creaturis formas intrinsecas, à quibus dicantur relatę: nam sicut intelligimus, Deum Creatorem per solam extrinsecam denominationem à creatura producta, ita intelligere possumus hominē, v. g. Patrem per extrinsecā denominationem à Filio genito, licet aliunde capax sit alicuius formæ positivæ. Respondeo, urgere necessitatem ad formas relativas intrinsecas constituendas, nam cū creaturæ sint eiusdem ordinis ex vi actionis, & influxus unius in alteram, vel ex vi alterius extremi similis manent inter se ad invicem ordinatę, & relatę, & indigēt formis intrinsecis relativis, per quas referantur, quod aliter in Deo contingit; nam cum sit diversi, & superioris ordinis à

creaturis, & qui de est ens summe perfectum, & omnino absolutum in (dependens à creaturis) nequit ad illam referri, & ordinari, nec habere in se formã aliquam relativam.

Quinto, esse dominum, maritum, uxoré, Proregem, &c. sunt extrinsecę denominationes, ergo & esse patrem, similem, &c. Probatur antecedens, quia ad hoc, ut aliquis dicatur dominus, non est necesse habeat in se aliquam formam intrinsecam, sed sufficit extrinseca denominatio desumpta à voluntate servi sibi subiecta, ergo ut aliquis dicatur pater, non erit necesse habeat in se formã aliquam intrinsecam relativam, sed sufficiet extrinseca denominatio. Respõdeo, diversam esse rationem, quia esse dominum, maritũ, &c. fundatur in nostris contractibus, & pendet ex nostra libera voluntate, quæ non facit ut res naturaliter inter se ordinentur, sed solum causat in illis extrinsecas denominationes; at vero denominationes patris, filii, &c. non pendent per se à nostris contractibus, vel à nostra libera voluntate, sed à reali, & vero influxu unius in alterum; vel à reali, & vera convenientia in aliqua ratione: unde provenit ut una res vere, & realiter ordinetur in aliam, & quod resultet in illa aliqua intrinseca forma relativa, referens illam ad alteram.

Instabis etiam, Patrem generare filium dependet ex libera voluntate patris, & poni in rerum natura secundum album, pendet ex libera voluntate Dei, ergo relatio paternitatis in patre, & similitudinis in albo, erit extrinseca denominatio. Respõdemus distinguendo antecedens, vel per se, & proxime; vel per accidens, & remote. Primũ est falsum, secundum verum; nam ut resultet paternitas in patre, & similitudo in albo, per accidens, & remote se habet filium, & album libere produci, nam paternitas immediate resultat ex reali actione generandi, & similitudo ex reali productione, vel positione albi; non vero ex aliqua productione alicuius actus voluntatis, quo tamen posito, immediate, & per se resultant illę aliæ denominationes domini, mariti, &c. Unde si supponamus, patrem generare filium absque ullo actu voluntatis suæ; etiam resultaret in illo relatio paternitatis; similiter si daretur aliquod album necessario productum, etiam haberet relationem similitudinis cum alio albo, ergo signum est has denominationes non pendere per se à libera determinatione voluntatis, licet per accidens, & concomitanter cum illa coniungantur.

Contra tertiam cõclusionem obiicies primo cum Suario, & aliis ab ipso relatis authoritate; nam Aristoteles hoc capite docet, eandem rem collocari in categoria Relationis, & Qualitatis, ergo relatio fundata in albedine erit realiter ipsa albedo, quę ut tribuit denominationem absolutam, locabitur in categoria Qualitatis, & ut tribuit Relativam in categoria Relationis, & idem erit de Relatione fundata in quantitate, & cęteris. Confirmatur ex divo Thoma, asserẽte similitudinem sortis non esse aliquam rem in sorte

Disput. 47. sect. 7.

Opus. 48. cap. 2.

sorte aliâ ab ipsâ albedine, sed solum, inquit, est ipsa albedo, prout se habet ad albedinẽ Platonis.

Ad responsionẽ observa, Aristotelem in hoc capite inter relationes multas miscuisse, quæ non sunt prædicamentales, sed transcendentales. Quando ergo dicit, unam rem poni in prædicamento Relationis, & Qualitatis, loquitur de relatione trãscendentali habitus, & dispositionis, quæ proprie sub relatione non ponuntur, sed sub qualitate. Adde quod capite sequenti de Qualitate, in fine, obiicit sibi istod pronuntiatum, & inter alia respondet, unam rem ad prædicamentum qualitatis, & relationis posse pertinere, si habeat utriusque rationẽ formalem, utrum vero habeat, nec ne, non ibi decernit. Vide Conimbricen. ad cap. de qualitate, pag. 456. Ad confirmationem dico, divum Thomam se explicasse, cum dicit, similitudinem sortis non esse aliquam rem in sorte aliam ab eius albedine; non enim est alia res, sed alius modus, ut vidimus dubio præterito.

Secundo ratione, quia sola distinctio per rationem relationis à suo fundamento posito termino, satis est ad omnia, quæ illi attribuuntur, ut habere fundamentum, esse denominationem intrinsecam, referre ad terminum; & præterea sic facile vitantur plurima incommoda, quæ sequuntur ex sententia distinguente relationem à fundamento ex natura rei, ergo, &c. Respondeo negandum sufficere, quod ibi affertur ad munera quæ exercet relatio circa subiectum, & terminum, & ad ea omnia quæ illi attribuuntur; neq. vero in nostra sententia vlla sunt incommoda, quæ id admittendo vitanda sint, præsertim cum maiora adversarii in sua cogantur admittere, nam mysteria difficillima, & propria divinitatis ad res creatas transcribunt.

Tertio. Relationes divinæ sola ratione distinguuntur à fundamento, scilicet ab essentia, ergo & creatæ, cum eadem sit ratio. Nego consequentiam, nam Deo propter summam ipsius simplicitatem, & perfectionem, repugnat compositio realis: unde fit ut divinæ relationes, & quæcunque intrinsece Deo conveniunt, sola ratione à divina essentia distinguantur. Accidit etiam, quod divinæ relationes sunt substantiales, & creatę accidentia; illę nequeunt separari à divina essentia, bene tamen istę à suo fundamento: sicut autem separabilitas distinctionẽ, ita inseparabilitas idẽptitatem realem indicat.

Obiicies contra ultimã conclusionem. Primo, Relatio est modus reipsa distinctus à fundamento, ergo quotiescunque producitur aliqua substantia à Deo, toties in Angelis, & quavis alia substantia mundi producitur novus modus relationis idemptitatis, & in quovis accidente universi novus modus relationis diversitatis, & mortuo uno homine Hispano, cæteri toto orbi spatii amittent realem relationem idemptitatis cũ illo, & aliæ res creatæ ab ipso essentialiter diversæ relationem diversitatis: unde facile infertur, in nobis in tot re-

rum generationibus, & corruptionibus innumeros modos quovis temporis puncto generari, & corrumpi, quæ videntur incredibilia. Respondeo, id necessario admittendum, neq. esse incredibile, cum mirabiliora ſæpe in rerũ natura experiamur, quod quidem oritur ex connexione, & consortio rerum inter se, & sicut propter eam ipsi admittunt singulis momentis incipere mille intrinsecas denominationes sine mutatione subiecti, quod est lõge mirabilius, ita & nos admittemus generari, & corrumpi tot modos.

Secundo. Si relatio esset aliquis modus, deberet fieri ab aliquo agente, sed à nullo fieri potest, ergo non est res, neque modus aliquis. Minor probatur, quia in primis non fit à termino, quia hic sæpissime est distans loco ab ipso subiecto, in quo recipitur relatio, sed nulla res potest naturaliter agere in distans, ergo non fit à termino, alioquin quando de novo produceretur aliqua albedo, illa simul ageret in innumeras albedines, producendo innumeras relationes, quod videtur excedere virtutem finitam albedinis: deinde nequit fieri à subiecto relationis, quia quis credet album exsistẽs Germaniæ producere in se aliquem modum relationis, eo quod Valentiæ producatur aliud album. Respondeo, effici per resultantiam ab ipso fundamento, scilicet albedine in qua recipitur, quæ posita uti conditione nova exsistentia termini ad id applicatur propter connexionem, atque consortium.

Tertio. Si duę albedines sunt similes, per duos modos reipsa diverſes ab illis, ergo & ipsi ut sint similes, egebunt aliis duobus modis, & hi aliis, unde processus infinitus consequetur. Sed rogo ab his authoribus, An ipsi in suis relationibus ratione distinctis à fundamentis processum in infinitum admittant, si non, sed alicubi sistant, nos ibidem cum nostris modis sistemus; si admittunt, nos pariter admittemus.

Sed dicent, in causis subordinatis, & reipsa distinctis infinitum processum ab Aristotele negari, & a nemine permitti: verum meminerint ipsi, etiam in prædicatis Metaphysicis, quę sola ratione distinguũtur, infinitum processum ab Aristotele negari, quod ergo ipsi in sua causa, idem nos in nostra dicemus. Quid autem in hac re sentiamus, aperiemus infra, cum exagitabimus, An una relatio possit esse fundamẽtũ alterius.

DVBIVM VI.

Nõnullæ difficultates de fundamento, & termino relationis eluci-dantur.

INquiritur primo: An omnis Relatio habeat fundamẽtum proximum, & remotum. Respondeo, omnes creatas prædicamentales habere proximum, ut est certum, (vt modo fileam de divinis, quibus P. Molina negat fundamentum etiam proximum, quia sunt subſtãtiales, & per se subsistentes) non tamen omnes creatę habẽt remotũ, cũ sæpe

1. p. q. 42. art. 2. disp. 2.

sæpe fundamentum proximum relationis non sit in alio subiecto, ut materia prima, & Angelus, & ita relationes in his fundatæ carent remoto fundamento.

Investigatur secũdo: An prædicamẽtalis relatio debeat versari inter extrema realiter distincta. Respondeo affirmative. Primo, quia nequit intelligi habitudo realis inter ea extrema, quæ in re non sunt distincta, sicut nequit intelligi realis unio inter extrema non distincta reipsa. Secundo, extrema correlata censentur inter se opposita, sed idem sibi ipsi non opponitur, ergo debẽt esse distincta distinctione aliqua reali, sive vt res & res, sive vt res & modus, aut ut duo modi. Tertio: quia divinæ personę ex eo præcise realiter distinguuntur, quia inter eas versatur oppositio relativa.

Indagatur tertio: An relatio prædicamentalis deposcat terminum realem, & actu existentem. Respondeo affirmative: primam partem Hurtadus probat, quia relatio prædicamentalis est ad aliud, sed ens rationis non est aliud, quia nihil est, ergo requirit terminum realem. Deinde alij ita probãt, quia relatio prædicamẽtalis est respectus realis ad terminum, ergo requirit terminum realem.

Sectio. 6. §. 51.

Verum istę rationes nihil plane efficiunt, nam ordo transcendentalis cognitionis, vere est realis, & fertur nihilominus ad ens rationis, ergo prædicamentalis licet sit realis, poterit ferri in ipsum. Confirmatur: Quia in sententia Hurtadi ordo transcẽdentalis multo magis est ad aliud quam prædicamentalis, nã iste in eius sententia essentialiter includit terminum, ille vero à se prorsus excludit.

Dices cognitionem non dicere verum ordinem transcendentalem ad ens rationis, & hoc proprie non esse terminum, sed obiectum illius: sed contra, quia ordo transcendentalis, in communi sententia nihil aliud est, quam entitas dependens ab alia re, sed cognitio entis rationis non minus pẽdet ab ente rationis, ut obiecto cognito, quam cognitio entis realis ab ente reali, quod cognoscit, ergo utraque cognitio dicet ordinem transcẽdentalem ad suum obiectũ, vel nulla, & utrumque obiectum erit vere terminus cognitionis in se tendentis, vel nullum.

Probari ergo debet, quia relatio prædicamentalis, ut consurgat requirit terminum realiter coexistentẽ fundamẽto, sed ens rationis nõ est capax realis existentiæ, sed solum ens reale, ergo necessario requirit terminũ realem. Maior in probatione secundæ partis ostendetur. Vide Suarez dispu. 47. sect. 5. à numero 4.

Secũda pars probatur primo ex Aristotele, & principiis in hac materia receptis, nimirum relationem, & terminũ esse simul tempore: posito termino in rerum natura pullulare relationẽ, & perire illo destructo, quę omnia realem termini exsistentiam exigunt. Cõfirmatur: Quia pater non dicitur pater antequam eius genitus exsistat in rerum natura: ergo relatio paternitatis (& idem est de aliis) requirit terminum actu exsistentem.

Secundo: Quia si sufficit terminus possibilis, & non existens, Paulus albus dicet actu relationem similitudinis ad Petrũ nigrum, quia potest esse albus, licet actu non sit. Immo idem Paulus albus existens æque erit similis, & dissimilis alteri homini possibili, quia homo possibilis æque potest esse albus, & niger. Adde etiã, quod homo qui nullum susceperit filium, dicetur actu Pater multorum filiorũ possibilium, quia eos potest suscipere, quæ omnia à communi sensu abhorrent.

Tertio à priori: Quia relatio est accidentarius respectus fundamenti ad terminum, ergo postulat terminum existẽtem, nã inde colligitur esse accidẽtari⁹, quia pendet à contingẽti existẽtia termini. Cõfirmatur: quia si æque & semper fundamentũ per eum respectum terminum spectat, siue existentem, siue nõ existentem, essentialis erit, & transcendentalis.

Postulatur quarto: Quo pacto discrepent fundamentum, & ratio fundandi. Prænoto ad responsionẽ, in omni relatione reali requiri ex parte subiecti rem aliquã natura sua aptam, & accomodatam, vt fundare possit respectum ad aliud, vt ab illa habeat proxime relatio suam realitatem, ut liquet ex dictis: huiusmodi res proprie appellãtur fundamẽtum relationis in quocunque relationũ genere. Insuper omnibus fundamentis relationum commune est, vt habeãt aliquam proprietatem naturalẽ, vel conditionem, ratione cuius sint apta ad fundandam relationem, quæ respectu fundamenti appellatur ratio fundandi: verbi gratia, scientiæ creatæ naturale est, ut sit mensurabilis ab obiecto, ratione cuius potest fũdare relationem ad illud. (Scientia enim diuina ideo non est relata ad suum obiectum, quia non est mensurabilis ab illo) Similiter, tali formæ, v.g. albedini, naturale est, vt habeat talem unitatem formalem, qualem habere etiam potest forma alia eiusdẽ speciei: hæc ergo est ratio ob quam talis forma potest fundare relationẽ similitudinis. Postremo in principio effectivo, quod est fundamentum relationis paternitatis, reperitur hoc, quod est esse per se ordinatum ad actionem ratione cuius aptũ est fundare relationem ad effectum. Quare tametsi in Deo sit principium efficiendi, quia non est per se ordinatũ ad actionẽ, nequit fundare relationem ad effectum.

Præterea in relationib⁹ secũdi generis, ut consurgat relatio causæ ad effectum, est necessaria actio causæ in effectu. Qua ratione actio generandi ita est simpliciter necessaria, ut resultent relationes paternitatis, & filiationis, vt si Petrus & Paulus qui modo sunt Pater, & Filius, essent immediate creati à Deo, ita ut non præcesserit actio generãdi, per quam unus ab alio processerit, non fuissent exortæ relationes Paternitatis, & Filiationis. Huiusmodi actio ab aliquibus vocatur ratio fundandi, sed revera non tam proprie ita dicitur, quam conditio necessaria, ut consurgat relatio, cum non habeat aliquem influxum in ipsam paternitatem, unde sicut actio generandi non vocatur proprie ratio subiectandi

Pater-

paternitatem, sed tãtum conditio, ut pater illam recipiat, ita neque proprie vocabitur ratio fundandi paternitatem, sed conditio necessaria ad illam fundãdam: nam sicut actio generandi non habet in paternitate concursum materialem, sic neque effectivum.

His positis dico fundamentũ & modus fundandi non discriminantur realiter: patet discurrendo per exempla supra memorata & similia: nam mensurabilitas in scientia non est distincta reipsa à scientia, neque unitas formalis ab albedine, nec demum esse ordinatum per se ad actionem, ab ipso principio efficiendi; ergo modus fundandi reipsa non differt à fundamento.

Collige in fine unam & eandem rem dici subiectum quatenus recipit in se relationé, fundamentum quatenus illam producit per veram emanationem posito termino, ut conditione sine qua non, & ratione fundandi, quatenus habet aptitudinem seu virtutem fundandi relationem.

DVBIVM VII.

An substantia possit esse fundamentum proximum relationis.

Ita tenẽt Caiet. 1. p. q. 28 & q. 45. ar. 3. Ferrara 4 contra gẽtes cap. 14. Iavellus 5. Metaphy. q. 21.

SIT Assertio. Substãtia creata esse potest fundamentum proximum relationis. Probatur primo ex diuo Thoma, qui opusc. 48. tract 5. de prædicamento ad aliquid cap. 4. ita habet. *Nihil enim obstat, quin relatio possit fundari immediate in substãtia: nam in uno in substantia fundatur idemptitas, in uno in qualitate fundatur similitudo, &c.* Et prima part. quæst. 28. art. 1. docet relationem idemptitatis genericæ immediate fundatam in substãtia esse realem, quam infra viris debitus prædicamentalem esse. Postremo quæst. 7. de potentia art. 9 ad 4. ait substantiam creaturæ esse causam relationis ad creatorem, sicut qualitas est causa relationis similitudinis, ergo, &c.

Confirmatur ex Aristotele 5. Metaphy. cap. 15. ubi inter relationes primi generis recensetur idemptitatem, & addit eam inveniri in illis rebus quorũ substantia est eadem, ergo cum duę substantiæ seclusis accidentibus sint eædem specie, erunt fundamentum immediatum relationis.

Secundo probatur ratione, quia inter causam & effectũ est vera relatio prædicamentalis, sed substãtia immediate, omni remoto accidenti est effectus Dei, & causa suarum proprietatum: ergo erit immediatũ fundamentum relationis effectus ad causam, & causæ ad effectũ.

Tertio: Quia non minus sunt similes duo homines in natura humana, quam sint duo alba in ratione albi; ergo quemadmodum in qualibet albedine fundatur relatio prædicamentalis similitudinis, ita in qualibet natura humana fundabitur relatio prædicamentalis similitudinis, sive idemptitatis.

Quarto: Relatio idemptitatis in natura humana quæ reperitur inter Petrum & Frãciscum, qua Petrus dicitur idem cum Francisco in ratione hominis, est

Sonzinas 5. Meta. q 31. & 35. Suarez disp. 47 sect 7. nu. 4 Rubius hic, & noster Blanch hic sect. 7. cõtra Toletum, & Fonsecã, hic Vasquez 1. p. disp. 173. & quosdam ex Thomistis citatos apud Sonzinas.

est relatio realis, quia versatur inter extrema realiter distincta, atqui non est relatio transcendentalis, cum Petrus non dicat essentialem ordinem ad Franciscum, nec ab eo essentialiter pendeat, quia destructo Francisco manet Petrus sine tali relatione; ergo est prædicamentalis, sed fundatur immediate in natura humana, ergo, &c.

Quinto: Quia Paternitas, & Filiatio, immediate fundantur in substantia genitoris, & geniti, ergo, &c.

4. contra Gentes cap. 14. Oppones primo. D. Tho. ait, relationem semper exigere accidentia à quibus causetur, sed si fundaretur in substãtia, non causaretur ab accidenti, ergo non fundatur in substantia. Respondeo D. Thomam loqui de relationibus, quæ magis nobis innotescunt, hæc enim in accidentibus fundantur, alioquin secũ pugnaret ut vidimus; vel dicito ideo id dixisse, quia ad relationẽ fundatam in substantia plerumque exigitur aliquod accidens, ut conditio.

Oppones secundo. Per eandẽ quantitatem est substantia extẽsa impenetrabiliter, & albedo; ergo per eandem relationem æqualitatis per quam quantitas est æqualis alteri quantitati, poterit etiam substantia esse æqualis alteri substantiæ: ergo ad id nõ requiritur alia relatio distincta, & idẽ est de relatione idẽptitatis specifice, & de alijs. Nego consequẽtiam, quia Substantia est intrinsece impenetrabilis per quantitatem, quia hęc unitur illi immediate, Albedo, solum extrinsece redditur impenetrabilis quatenus est in eodem loco, & subiecto, in quo est quãtitas, quem locum nequit alla quantitas occupare, at relatio fundata in quantitate, non immediate unitur substantiæ, & ideo nequit substantia esse æqualis, & relata intrinsece per illã, & idem est de alijs rebus fundatis in quantitate.

Oppones tertio. Substãtia non est immediate operativa; ad hoc enim tributæ sunt illi potẽtiæ, vt liquet in intellectu, & voluntate respectu animæ rationalis, sed si posset fundare relationẽ, esset immediate operativa, cum produceret illam: ergo non fundatur relatio in substantia. Nec refert si dicas, illam relationẽ, resultare per naturalem emanationem, quia solum ita resultãt proprietates: unde cum relatio non sit proprietas, non poterit ita resultare. Respondetur, optime quidem occurri ad dificultatẽ in ipsomet arguméto. Ad id autem quod objcitur, respondeo, istam relationẽ aliquo modo posse reduci ad proprietatẽ, quatenus substantia petit habere relationem quotiescũque est terminus ad quem potest referri.

DVBIVM VIII.

An una relatio possit esse fundamentum alterius.

OBserva relationem prædicamẽtalem posse dupliciter considerari. Primo in ordine ad proprium terminum sibi essentialem: v.g. Paternitas in ordine ad filium à quo essentialiter dependet, & ad quem ordinat Patrem. Secundo: in ordine ad alium terminum accidentarium

tarium disparatum,& separabilem à quo non pendet essentialiter, & in ordine ad quem non est ratio referendi.v.g.Paternitas in ordine ad aliam Paternitatem,ut sibi similem, vel in ordine ad aliam entitatem absolutam,ut essentialiter diversam ab illa,qui termini vocãtur accidentarij,& disparati, quia sine illis potest esse paternitas.

Iudico primo.Vt relatio prædicamentalis respiciat propriũ terminum,respectu cuius est ratio referendi,non eget relatione superaddita,sed seipsa est sufficiens. Probatur, quia quando aliqua forma tribuit aliquem effectum formalem, ut ipsa participet talem effectum,nõ indiget alia forma superaddita, sed ad id seipsa sufficiens est: v. g. quia effectus præsentiæ est reddere rem præsentem spatio, per seipsam est præsens in illo: similiter,quia ex vi actionis terminus pendet ab agente,ut ipsa actio ab eo dependeat seipsa sufficiens est,& idem constat in unione,quæ uniendo extrema seipsa unitur illis; atqui effectus formalis paternitatis est referre patrem ad filium, ergo ut ipsa referatur ad filium seipsa sufficiens est, & non indiget alia relatione superaddita.

Sic Scotus in 2. dist.1. q. 4. & 5. & in 4. dist 6. q. 10. Lignes, Meiron, & Antonius Andreas 5. Meta.q.13. & lib. de sex principijs q. 10. Suarez

Iudico secundo. Relatio prædicamentalis potest immediate aliã relationẽ prædicamẽtalem fundare in ordine ad terminum accidentarium, & separabilem respectu cuius non est ratio referendi. Probatur,quia sicut duę albedines sunt similes in ratione specifica albedinis, ita duæ paternitates in ratione specifica paternitatis, nõ enim minus istæ, quam illæ specie inter se conveniunt, sed duæ albedines fundant inter se relationem similitudinis,ergo & duæ paternitates.

disput. citata sect.11. n.10 & seqnẽ. Ruius hic q. 12. nu.142. N. Blanchetus sect.8. contra Toletum hic. Vasquez 1.par. disp. 166. c. 4. nu.10. Molinã 1.p. quæst.42.art.1 ad 2.et non pauci Thomistas.

Respondẽt aliqui,duas paternitates non dici similes positive per relationem superadditã, sed solum negative, quia non sunt diversę speciei. Sed hęc responsio occasionem prębet,ut de quibuscunque rebus similibus idem dicatur,atque adeo ut tollantur relationes omnes prædicamentales: nam etiam possumus dicere duas albedines non esse similes positive per superadditam relationẽ,sed solum fundamentaliter, & negative, quia non sunt diversę speciei. Si igitur albedini additur relatio similitudinis,ut formaliter & positive sit similis alteri,cur paternitati nõ addetur alia relatio,ut formaliter & positive sit similis alteri paternitati? Quod enim relatio sit modus, nihil officit quo minus possit fundare relationem, nam modus sufficienter activus est, ut ab illo resultet alter modus, quod liquet in eadem relatione à qua dimanat modus præsentiæ in spatio, & ab ipso modo præsentiæ resultat relatio similitudinis cum alia præsentia, & diversitatis ab alia re: tum etiam figura, & situs, modi sunt, & tamen possunt causare,&fundare relationẽ,ergo ex eo quod relatio modus sit, non recte deducitur destitutam esse sufficienti activitate,ut immediate fundet relationem.

Insurgis primo: hinc sequi admittendas plures quam quatuor relationes in divinis,quod pugnat cum communi Patrum, & Theologorum consensu,nam

divinæ relationes conveniunt in ratione communi relationis divinæ, & differũt iuxta peculiares rationes; sed propter hãc causam creaturæ fundant relationes similitudinis, & dissimilitudinis inter se, & à se distinctas, ergo & divinæ, & ita erũt plus quã quatuor. Respõdeo relationes divinas se mutuo respicere, ad id tamen non indigere aliis relationibus, nam cum sint in seipsis perfectissimę, & infinitę essentialiter, & indivisibiliter, claudunt omnes istos respectus, quia continent omnem perfectionem possibilem relationis; at creaturę propter suam limitationem ad respectus distinctionis, & similitudinis, ac alios huiusmodi, postulant diversas relationes, præsertim cũ sine illis existere queant, quod non accidit in divinis.

Insurgis secundo: inde sequi processum in infinitum, nam duæ paternitates sunt similes specie; ergo fundant relationem identitatis, & duæ relationes sunt diversę numero inter se, ergo fundant relationem diversitatis numericæ; hæ sunt similes in specie, ergo fundant relationem aliam, & cum istæ similiter numero differant, fundabunt relationem. Vel aliter, duæ paternitates sunt similes specie; ergo fundant relationes similitudinis, & istæ sunt diversæ ab essentia, v.g. Petri & Pauli, ergo fundant relationes diversitatis, & sic conferendo relationes inter se, & cum essentia Petri & Pauli ibis in infinitum. Respondeo admittẽdo huiusmodi processum, quod non est absurdum, sed potius necessario concedendum in relationibus, etiam si una non esset fundamentum alterius Primo, quia sicut partes proportionales quãtitatis, & indivisibilia illarum sunt infinita, ita relationes diversitatis, quæ in illis fundantur sunt infinitæ. Secundo, quia duæ præsentię fundant relationes convenientiæ, deinde istæ relationes secum adferunt proprias præsentias, quia accidentia eo ipso quod sunt existẽtia, sunt alicubi per proprias, & peculiares præsentias distinctas à præsentijs subiectorum. (ut fiet perspicuum in Physica) Rursus illæ duæ præsentiæ fundant relationes, & relationes præsentias, & sic in infinitum; ergo necessario est admittendus huiusmodi processus in infinitum in relationibus, etiam si una non sit alterius fundamentum.

Instabis. In entibus, & causis per se subordinatis nequit esse processus in infinitum, sed istæ relationes aliæ alias supra fundatæ per se subordinantur, cum una aliam supponat; ergo in his nõ licet abire in infinitum. Maior docetur ab Aristotele secundo Metaphy. cap. 2. & diuo Tho. 1. par. quæst. 2. ar. 3. vbi eo principio probant esse Deum, quia necessario deveniendum est ad aliquod primum principium, quod & sit causa cæterorum, & sui causam non agnoscat. Respondeo nõ posse dari processum in infinitum in causis, & rebus per se subordinatis, quin necessario perveniamus ad aliquam primam causam, a qua cætera fiant, ipsa vero à nulla alia; si tamen semel ista prima, & suprema causa determinata ponatur, quid implicabit infra illam dari processum in infinitum in rebus

bus subordinatis? itaque posset Deus multiplicare Angelorum species in infinitum, cū aliqua subordinatione inter se in natura & operationibus, sine ulla implicatione. Porro hoc principio sic explicato probant Aristoteles, & Diuus Thomas esse primam causam, at hæc processio infinita relationū cum ita admittatur à nobis, ut sit una prima à qua cæteræ pendeant, neque repugnat Philosopho, neque Theologo, neque rationi; esset enim illa infinita solum à parte post, quia à parte ante haberet initium.

Ex dictis collige, paternitatē non solum referri ad aliam paternitatem per superadditam relationem, sed etiam ad propriū terminum, scilicet ad filium, tū & ad filiationem, quatenus illis assimilatur, & dissimilatur in quibusdam rationibus. Suadetur primo, de paternitate comparata cum filiatione, nam posita paternitate in patre, potest Deus impedire resultantiam filiationis in filio, ergo paternitas non respicit essentialiter filiationem, sed per relationem superadditam. Suadetur secundo de paternitate in ordine ad filium. Nam tametsi paternitas per suammet essentiam, & non per superadditam relationem referatur ad filiū sub ea ratione, qua filius est illius terminus proprius, & essentialis, tamen si cōparetur ad illum quatenus convenit cum eo in ratione entis, vel differt in ratione talis entis, indiget superaddita relatione, quia per suam essentiam paternitas solum refertur ad filium sub ea ratione, qua est ratio referendi, sed paternitas non est ratio referēdi ad filium, ut similem, vel dissimilem, sed potius ut effectum patris, ergo paternitas, ut referatur ad filium, ut similem in ratione entis, vel dissimilem in ratione talis entis, indiget relatione superaddita non minus ac eget illa respectu alterius paternitatis: per accidens enim se habet, quod illa relatio similitudinis, vel dissimilitudinis coincidat cum proprio termino, scilicet cum filio.

DVBIVM IX.

Quot relationum genera ex fundamentis deducantur.

TRiplex genus relationis, iuxta triplex fundamentū distinxit Aristoteles. Primum genus fundatur in unitate & multitudine. Nomine unitatis intelligit quamlibet conuenientiam, quę si sit in essentia, fundat relationem identitatis; ut inter Petrum & Paulum in ratione hominis, si sit in eodem gradu qualitatis fundat relationem similitudinis; ut inter duas albedines intensas, ut quatuor, si sit in eadem extensione qualitatis fundat relationem æqualitatis, v.g. inter duas quantitates palmares; nomine autem multitudinis intelligit Aristoteles disconuenientiam, unde in illa fundantur relationes diversitatis, ut inter hominem, & leonem, & relationes dissimilitudinis, ut inter unam albedinem intensam ut duo, & aliā ut quatuor; tum etiam relationes inæqualitatis, ut inter unam quan-

5. Metaphy. cap. 5.

titatem bicupitam, & aliã tricubitam.

Secundum genus fundatur in potentia agẽdi & patiendi, quã actionem & passionem vocat Aristoteles, in qua fundantur relationes causæ ad effectum, & effectus ad causam.

Tertium genus fundantur in mensurabili & mẽsura, ut sunt (inquit Aristotiles) relatio scientiæ ad scibile, intellectus ad intelligibile, sensus ad sensibile, &c. Ex his autem relationibus aliæ sunt æquiparantiæ, & aliæ disquiparãtiæ; æquiparantiæ dicuntur, quæ habent eandem appellationem in utroque extremo, ut relationes similitudinis, quæ fundantur in duabus albedinibus. Disquiparantiæ nuncupantur, quę habent diversam appellationem in extremis, ut relationes paternitatis, & filiationis.

Collige præfatam relationis divisionem adæquatam esse, nã nulla excogitari potest relatio, quæ ad aliquod ex his generibus reduci nequeat.

DVBIVM X.

Difficultates aliquæ enodantur de primo relationum genere in unitate, & multitudine fundato.

PRima difficultas: An relationes primi generis sint reales. Respondeo affirmative, quia habent fundamenta, & extrema realia realiter existẽtia, & distincta: nam unitas quę est fundamentum relationis huius generis non sumitur prout addit aliquam negationem divisionis supra entitatem, sed præcise, prout dicit entitatem positivam, & realem, quę cum alia entitate reali & positiva convenit; & multitudo quæ etiam est fundamentum huius generis nõ usurpatur pro multis rebus, sed pro una, ut diversæ rationis est ab alia, ergo sunt relationes reales prædicamentales.

Dices primo: relationes convenientes rebus, tam existentibus, quam non existentibus, non sunt reales, sed ita se habẽt relationes primi generis, ergo nõ sunt reales. Minor probatur, quia non minus sunt eiusdem speciei Petrus & Paulus possibiles, quam actu existentes; ergo relationes huius generis saltem idemptitatis æque conveniunt rebus existẽtibus, ac non existentibus, & ita non erunt reales, sed rationis. Respondeo negando minorem, nam relatio idemptitatis realis solum rebus actu existẽtibus convenit, non vero possibilibus, sicut relatio similitudinis non convenit rebus possibilibus, sed actu existẽtibus. Ad probationem dico, Petrum & Paulum possibiles nõ dici eiusdem speciei propter aliquam realem relationem idemptitatis, sed propter rationem specificam quæ ab illis abstrahi potest.

Dices secũdo: Multitudo non est unum ens, sed plura; ergo nõ potest fundare unam relationẽ. Respondeo, nomine multitudinis non intelligi a nobis pluralitatem rerum, sed naturam diversę rationis ab alia, hæc autẽ una esse potest in illa re quę est diversa.

Secunda difficultas in qua uni-

unitate fundetur relationes primi generis.

Dico primo: Vnitas numerica non sufficit, nam relatio realis est ad terminum realiter distinctum, sed unitas numerica non inducit distinctionem realem, imo potius identitatem, ergo in ea non potest fundari relatio realis identitatis; unde si idem numero Petrus divinitus in duobus locis cõstituatur, ipse in uno loco nõ habebit relationem identitatis realem ad se in alio.

Dico secundo: Vnitas specifica sufficit, quia identitas est unitas essentiæ, sed unitas specifica est unitas in tota essentia communi, & ex alio capite supponit distinctionem realem extremorum, ergo sufficit, & certe si hæc non, quærã alia poterit, cum sola numerica non possit fundare relationem identitatis?

Dico tertio: In unitate generica fundari potest relatio idẽptitatis. Probatur primo, quia sicut Petrus & Paulus conveniunt in esse specifico hominis, ita homo & leo in esse generico animalis, ergo sicut convenientia in gradu essentiali specifico fundat relationem identitatis inter Petrum & Paulum, ita & cõvenientia in gradu essentiali generico inter hominem, & leonem. Secundo, quia si unitas generica non sufficeret propter varias differentias specificas per quas contrahitur, nec specifica propter differentias individuales per quas contrahitur.

Dico quarto: Vnitas analoga intrinsece etiam sufficit ad idẽptitatem fundãdam. Probatur, quia non est maior ratio unius unitatis quam alterius, cum Petrus & Paulus non minus conveniant in ratione entis, quam in ratione hominis, & animalis, ergo &c. Dixi consulto unitas analoga intrinsece, nam unitas analoga extrinsece cum non sit sufficiẽs, ut inferiora habeãt veram & propriam similitudinem, sed solum impropriam, & metaphoricam, ut liquet in convenientia hominis veri, & picti in ratione hominis, vel in convenientia animalis pulsus, & medicamẽti in ratione sani, nequit fundare relationem similitudinis realem.

Tertia difficultas: An relatio fundata in unitate specifica realiter differat ab ea quæ fundatur in unitate generica. Suarez satis probabile iudicat relationes idemptitatis in specie & genere fundatas non esse realiter diversas, nisi respectu diversorum: unde in Petro respectu Pauli unica erit relatio idemptitatis in omnibus prædicatis inclusis in homine, quamvis respectu leonis habeat aliam relationem idemptitatis fundatam in animali, & omnibus prædicatis inclusis in illo, quas relationes (docet Suarez) specie discriminari inter se, est certe probabilis sententia. *Loco citato nu. 17.*

Sed probabilius iudico, relationes in unitate generica, & specifica fundatas, adhuc respectu eiusdem termini esse realiter diversas. Probatur, quia ut relationes realiter discrepẽt, non exigunt fundamenta & terminos inter se realiter diversos, nam relatio qua Petrus est similis Paulo in ratione hominis, realiter distinguitur ab ea, qua est diversus ab eodem Paulo in

differentia individuali, & tamē ratio hominis, & differētia individualis non discriminantur realiter: ergo tametsi generica & specifica unitas non distinguantur realiter, poterunt fundare, & terminare relationes realiter diversas.

Dices. Eadē relatio cōstituit Petrum similem Paulo in ratione hominis, & in ratione animalis in homine inclusa; ergo relatio similitudinis generice nō differt realiter à relatione similitudinis specifice in eodē fundamento, & respectu eiusdem termini. Respōdeo, per relationem similitudinis in natura humana Petrum fieri similem Paulo in natura animalis mediate, & quatenus inclusa in natura humana, per aliā vero relationem fieri similē illi in ratione animalis immediate, & ratione sui; quemadmodum per illā relationem, per quam Petrus distinguitur realiter à leone, distinguitur etiam à materia leonis, vt imbibita in leone, & hoc non obstante discriminatur à materia leonis immediate, & ratione sui per aliam relationē realiter diversam, quod ex eo liquet, quia destructo leone, destruitur relatio diversitatis Petri ad illum, & manet relatio diversitatis Petri ad materiam illius.

Quarta difficultas: An relationes idemptitatis, similitudinis, & æqualitatis, & pariter relationes his enumeratis oppositæ inter se collatæ specie differant. Respondeo affirmative. Ad cuius probationem moneo relationem idemptitatis fundari in unitate cuiuscunque essentiæ, relationem similitudinis in unitate graduum, & intensionis qualitatis, & relationem æqualitatis in unitate extensionis, vel magnitudinis, quamvis improprie, & late loquendo omnes memoratæ relationes communiter nuncupentur similitudinis: unde duæ albedines intensæ ut quatuor, & æqualiter extensę quatenus cōveniūt in essentia albedinis, fundant idemptitatis relationem, ut conveniunt in eodem gradu qualitatis, fundant relationem similitudinis, & quatenus habent quatuor palmos: verbi gratia extensionis, fundant relationem æqualitatis, quæ relationes possunt ad invicem separari, quia si auferantur ab una albedine earum duo gradus intensionis, & quatuor palmi extensionis, tunc remanet relatio idemptitatis specificæ, quia semper illæ albedines sunt eiusdem speciei in essentia albedinis, licet sint inæqualiter intensæ, & extensæ; destruuntur vero relationes similitudinis, & æqualitatis, quia iam non conveniūt in eodem gradu intensionis, & in eadem extensione, vel magnitudine.

Kursus supponamus non auferri ab illa albedine nisi duo gradus intensionis permanente eadem extensione, tunc in duplici illa albedine remanet relatio æqualitatis, & destruitur relatio similitudinis; ergo istæ relationes erunt ad invicem separatæ.

Confirmatur hoc vlterius, quia albedo & nigredo æqualiter intensæ, & extensæ, non habent relationem idemptitatis specifice, & tamen habent relationes similitudinis, & æqua-

æqualitatis, ut liquet, ergo &c. Idem dicendum volo de relationibus diversitatis, dissimilitudinis, & inæqualitatis.

Hoc posito probatur responsio, quia relatio idemptitatis, proprie loquendo, fundatur in unitate essentiæ ut sic, relatio similitudinis in unitate intensionis, & relatio æqualitatis in unitate extensionis, atqui hæc fundamenta, sive modi fundandi discrepant specie, & secum important terminos formales specie diversos; ergo fundant relationes specie diversas. Minor probatur, quia unitas essentiæ reperitur in rebus, in quibus nequeunt reperiri unitates intensionis, & extensionis, ut est perspicuum in Angelis. Præterea unitas intensionis reperitur in qualitatibus spiritualibus, in quibus unitas extensionis minime reperiri potest: ergo istæ unitates quæ sunt fundamenta, seu modi fundandi, essentialiter inter se differunt; quamquam aliquando in eadem materiali entitate omnes reperiantur: ergo fundât relationes specie distinctas. Eodem modo probatur relationes diversitatis, dissimilitudinis, & inæqualitatis inter se specie distingui; siquidem prima fundatur in diversitate essentiæ; secunda, in diversitate intensionis; & tertia, in diversitate extensionis: ergo cum habeant diversum modum fundandi, & terminandi secundum speciem, erunt relationes specie distinctæ.

DVBIVM XI.

De secundo relationum genere in potentia activa, vel passiva fundato.

QVæritur primo: An relationes huius generis sint reales, & prædicamentales. Respondeo affirmative cum Aristotele, & communi sententia, quia ad illas omnia necessaria concurrunt, vt consideranti patebit; nec obstat Aristoteles numerans inter relationes secundi generis illas, quæ dicuntur esse, inter id quod facturum est, & illud quod faciêdum est, quæ reales esse nonpossunt defectu termini. Nam ut aduertit Pater Suarez, licet tales relationes rationis sint defectu termini realis existentis, numerãtur ab Aristotele hic, eo quod reales & veras immitentur: ob quam causam alias etiã quę omnium cõfessione rationis sunt, numeravit: huiusmodi est illa, quæ in impossibili fundatur. Sect. 12. nu. 2.

Quæritur secundo: Hoc loco, quod iam supra monuimus, nimirum, an actio & passio sint fundamenta relationum secundi generis. Exemplũ fuit in actione generandi patris, visumq. fuit, hãc non esse rationem fundandi, neque fundamentũ relationis paternitatis, quia nõ suscipit ipsam paternitatem in se, neque illam producit, neque est ratio producendi; bene tamen conditio necessaria ut resultet: idipsum cum proportione verificatur de passione.

Quę-

Quæritur tertio: Quænam actio sufficiens conditio sit, ut relatio causæ ad effectum resultet.

Dico primo: Actio futura nō est sufficiens ut resultet relatio prędicamentalis. Probatur, quia prædicamentalis relatio effiagitat terminum actu existentem, atqui si actio est futura, etiā terminus est futurus, & nondum existens, ergo &c.

Dico secundo: Actio præsens sufficiens conditio est, ut resultet relatio causæ ad effectum. Probatur, quia in eodem instanti in quo est actio, adsunt omnia requisita ad relationem realem prædicamentalem, siquidē existunt causa & effectus, & iste dependenter ab ea, & cætera requisita, ergo in eodem instanti in quo est actio resultat relatio prædicamentalis causæ ad effectum, & effectus ad causam.

Dico tertio: Actio præterita sufficiens est ut conseruetur relatio, quæ resultabit ex actione præsenti, quare eadem relatio paternitatis, quæ resultat in instanti generationis, manet transacta generatione; & ratio est, quia paternitas solum pendet ab actione in fieri, non verò in conservari, unde si transacta generatione manet filius, manebit in patre eadē relatio paternitatis.

Oppones: Relatio, quæ est in agēte dum actu agit, denominat illud actu agens, transacta vero actione denominat illud egisse, ergo transacta actione variatur relatio, quia variata denominatione variatur forma. Respondeo denominari actu agens, vel egisse, non provenire à relatione, sed ab actione existente, vel præterita, relationem verò solum tribuere agenti denominationem relati, agens autem eodem modo dicitur relatum ad effectum, sive actio sit existens, sive transacta: verbi gratia, Petrus eodem modo denominatur pater præsente generatione, vel transacta.

Quærirur quarto: Nū si filius semel defunctus vitæ restituatur, pullulet in genitore existēte relatio paternitatis. Affirmo, quia ponitur terminus formalis circa quem præcesit generatio, quę est cōditio necessaria, & sufficiēs: vere enim genitor iste materiam hominis redivivi cum sua forma antea per generationem univit, quamvis Deus postea regeneratione divinitus facta reunierit. Confirmatur primo, quia si Deus de facto destrueret paternitatem, quæ est in genitore, pullularet in eo alia paternitas, tametsi non detur nova generatio, solum propter generationem præteritam, ergo idem dicendum est in resurrectione mortuorum. Cōfirmatur secūdo, quia Deipara Virgo vere habuit relationem maternitatis ad Christum Dominū redivivum, ita Suarez. *Tomo 2. in 3 par. disp. 12. sect. 3.*

Quæritur quinto: An relatio paternitatis resultans in Patre ad filium resurgēte sit eadem quam prius habuit? Qui non distinguunt realiter paternitatē à substantia partis, consequenter affirmant; in nostra tamen sententia distinguente relationem ex natura rei à fundamento negādum est, quia semel corruptum nequit instaurari potentia naturali, sed relatio paternitatis corrupta fuit filio pereunte, ergo illa ipsa non redit, sed alte-

altera nova resurgit. Confirmatur, quia divina potentia nihil tunc operatur circa Patrem superstitem, sed circa filium, ipsum vitæ restituendo, ergo in Patre non redit prima relatio, sed nova numero distincta.

Dices: In filio resurgente renascitur pristina relatio, ergo etiam in Patre superstite. Dato antecedente, negatur consequentia, quia circa filium operatur potentia supernaturalis, & illi redit primam materiam quantitatem, & eandem subsistétiam, & similiter pristinam relationé, quam prius habuit; at circa Patrem non supernaturalis potentia, sed naturalis, quæ nequit semel corruptum instaurare, vt late in Physica.

Quæritur sexto: Quodnam sit fundamentum relationum huius secundi generis. Ratio dubitandi est, quia in causa solet reperiri potentia proxima & remota: verbi gratia in Patre potentia generandi, quę est qualitas quædam, & vocatur potentia proxima, & ipsa substantia Patris quę vocitatur potétia radicalis & remota. Respõdeo igitur in agente substantiali producente aliquid media potentia accidentali, duas relationes esse constituendas, unam respondentem potentię accidentali, & inhærentem in illa, & aliam potentiæ radicali & inhærentem immediate in ipsa substantia: quare in substantia Patris fundatur una relatio respectu filii, & alia in potentia proxima generandi. Probatur, quia cuilibet causæ vere & realiter influenti in effectum, debet respondere proportionata relatio, sed utrũque principium, tam substantiale, quam accidentale, vere & realiter influit in effectum, & est vera causa illius, ergo utrumque illorum debet habere proportionatam relationem.

Aduertendum tamen est, proprie loquendo, solum illam relationem esse paternitatem, quę immediate fundatur in substantia patris. Probatur primo, quia paternitas & filiatio sibi proportionate respondẽt, sed filiatio immediate afficit substantiam filij, ergo paternitas erit sola illa relatio, quæ immediate afficit substantiam Patris. Secundo, quia ablato diuinitus quolibet accidenti, aut potentia accidentali realiter distincta a substantia genitoris, si maneat cum genito, vere eius dicetur Pater, ergo paternitas manet fundata & recepta in substantia genitoris.

Quæritur vltimo, an relationes fundatæ in materia & forma, propter mutuam utriusque in alteram causalitatem physicam, pertineant ad hoc genus. Respõdeo affirmative, quia materia vere exercet causalitatem in formam eam recipiendo, & forma in materiam, illam informando, & se illi exhibendo; ergo una in virtute receptiva, & altera in informativa fundabit veram relationem huius generis. Et confirmatur ex Aristotele, qui in hoc genere ponit relationem potentiæ passivæ, cuius causalitas est materialis; ergo & etiam hic debet poni relatio potentiæ informativæ, cuius causalitas formalis, est vera & physica: par enim videtur utriusque ratio.

Colligo primo ex dictis, in potentia potente agere, & pati,

licet actu non agat, aut patiatur, si actu existat, fundari posse relationem realem prædicamentalem. Liquet primo ex Aristotele, qui hic adhibet exemplum calefactivi, & calefactibilis. Secundo, potentia ignis calefactiva actu existēs adhuc sine actuali calefactione, & potentia passiva ligni calefactibilis actu existens, habent inter se sufficientem proportionem, ergo una alteram realiter respiciet. Probatur, nam utraque habet fundamentum & terminum existentem.

Collige secundo, nomine potentię hic non intelligi tantum eam, quæ ad categoriam qualitatis pertinet, sed quamcumque rem habentem quavis ratione virtutem agendi & patiendi in ordine ad aliam.

DVBIVM XII.

De tertio relationum genere, fundato in mensurabili, & mensura.

MOneo nomine mensuræ intelligi hoc loco terminum, vel obiectum reale actus, vel potentiæ vitalis, vel habitus, quatenus illi coaptantur, & commensurantur; sic obiectum intelligibile intellectō, & scibile scientiæ mensura censetur. E contra nomine mensurabilis intelligi rem, quę ex tendentia ad aliud tanquam ad terminum, vel obiectum, habet commensurationem suę entitatis & perfectionis cum illo, ut potentia vitalis habitus, & actus scientiæ commensurantur obiectis, & ideō mensurabiles dicuntur. Nunc ergo occurrit quintuplex difficultas. Prima, an in mensurabili ad mēsuram. Secunda, num in mensura ad mē surabile relatio prædicamentalis fundetur. Tertia, an istę relationes distinguantur specie ab alijs primi & secundi generis. Quarta, an ad hoc genus reducatur quælibet mensura cuiusvis causæ. Quinta, num in solo hoc genere detur relationes nō mutuæ.

Circa primam dico primo, mensurabile fundat relationem prędicamentalem ad mensuram eius realem actu existentem. Probatur primo: Quia ex eo quod scientia coëxistat suo obiecto existenti, habet accidentariam commēsurationem cum illo, ergo fundat relationem accidentariam & prædicamentalem. Confirmatur: Quia ex eō quod scientia habeat commensurationem essentialem cum obiecto, habet relationem essentialem & transcendentalem, ergo & propter accidentariā commensurationem habebit ordinem prædicamentalem, qui est accidentarius. Secundo, convenientia Petri cum Paulo sibi coëxistenti, fundat relationē prædicamentalem ad Paulum, ergo & commensuratio scientiæ cum suo obiecto existenti fundabit etiam prædicamentalem relationem.

Oppones primo. Commensuratio scientiæ ad scibile eodem modo reperitur in scientia, sive obiectum existat, sive non, sed quando non existit non fundat relationem prædicamentalem, ergo neque quando existit illā fundabit. Respondeo, si valeret argu-

argumentum, probaret etiam convenientiam ſpecificam inter Petrum, & Paulum non eſſe ſufficiente m ad relationem prædicamentalem fundandam, cum eodem modo Petrus & Paulus ſpecifice conveniant, ſive exiſtant, ſive non: Quare dicendum eſt commenſurationem ſcientię ad obiectum ex parte relationis tranſcendentalis eodem modo reperiri, ſive obiectum exiſtat, ſive non: minime vero ex parte relationis prædicamentalis, nã ut talis commenſuratio cauſet relationem prædicamentalem, exigitur tãquam conditio obiecti exiſtentia; ſicut ut Petrus dicat relationem prædicamentalem idemptitatis ſpecifice ad Paulum, requiritur tanquam cõditio exiſtentia Pauli.

Oppones ſecundo: Sciẽtia eſt ordo tranſcendentalis ad obiectum, ergo non eget nova alia relatione, ut referatur ad ipſũ. Nego conſequentiam: nam quãvis ſcientia ſit ordo tranſcendẽ talis ad obiectum abſolute, tamen ex eo quod cum illo exiſtat, peculiarem ſortitur commenſurationem, & accidentariã cum eo, & propterea eget nova relatione ut ipſum reſpiciat: ſicut etiam cauſa & effectus abſolute ſumpti referuntur relatione tranſcẽdentali, & nihilominus quando accidentario exiſtunt, accidentariam aliam vendicant relationem: Creatura etiam eſſentialiter reſpicit Deum, & tamen dicit relationem prædicamentalem ad ipſum.

Circa ſecundam dico ſecũdo. In menſura etiam fundatur relatio prædicamentalis ad menſurabile exiſtens. Probatur primo, quia Ariſtoteles in exemplis relatorũ tertij generis adfert ſcibile ad ſcientiam, ſenſibile ad ſenſum; ſed iſtæ relationes in obiecto, quod eſt menſura fundãtur, ergo &c. Secundo, quia in menſura, v. g. in ſcibili reali & actu exiſtenti, reperiuntur omnia requiſita ad fundandam relationem realem, ergo &c. Antecedens probatur, nam in primis ſubiectum eſt reale realiter exiſtens, & habens terminum realem, ſcilicet ſcientiam. Deinde fundamentum eſt reale, ſcilicet ipſamet entitas obiecti ſcibilis, quatenus eſt menſura ſcientiæ ſecundum ſuã eſſentiam realem, nam licet eſſe actu ſcitum ſit ſola denominatio extrinſeca, tamen eſſe ſcibile eſt aliquid reale intrinſecum: ſicut parietem eſſe viſibilem eſt aliquid reale intrinſecum, quamvis eſſe viſum ſit ſola extrinſeca denominatio. Tum etiã quia licet cauſam producere actu effectum ſit ſola extrinſeca denominatio, tamen poſſe producere illum eſt aliquid intrinſecũ in cauſa, & ſufficiens fundamentum relationis cauſę ad effectũ, ego ſimiliter tametſi eſſe ſitum & intellectum, ſit ſola denominatio extrinſeca, tamen eſſe ſcibile & intelligibile erit aliquid reale & ſufficiens fundamẽtum relationis menſuræ ad menſurabile.

Nec obeſt ſi dicas licet eſſe ſcibile ſit aliquid reale, non tamẽ ordinari realiter ad ſcientiam, non inquam obeſt, nam Petrus non ordinatur per ſeipſum ad Paulum, & tamen fundat relationem, per quam refertur ad illum; ergo ſimiliter quamvis idẽ Petrus quatenus eſt obiectum ſcientiæ, non ordinetur realiter

per ſeipſum ad ſcientiam, poterit fundare relationem realem prædicamentalem, per quam ad illam referatur. Collige ſcibile realiter exſiſtens non ſolum dicere relationem prædicamentalem ad ſcientiam exiſtentem, ſed etiam ad intellectum, habitum, & ſpeciem intelligibilem, mediis quibus poteſt intelligi.

Oppones, Ariſtoteles hic docet ſcibile, & intelligibile ex eo ſolum dici relativa, quia alia ad ipſa dicuntur non vero quia ipſa ad alia referãtur, ergo in ſententia Ariſtotelis ſcibile & intelligibile non fundant relationem realem ad ſcientiam. Reſpondeo Ariſtotelem ſolum voluiſſe, intelligibile v. g. ſolum habere relationem tranſcendentalem, quia aliud, nempe ſcientia, tranſcendentaliter refertur ad ipſum, quod non eſt univerſaliter intelligendum, ſed quando intelligibile non eſt reale, vel poſitivum, vel exiſtens; nã ut in inſinuavi, in Proœmialibus dubio quinto diſputationis primæ, & probabitur ſuo loco, intelligibile reale actuale etiam dicit relationem realem tranſcendentalem ad ſcientiam. Vel dicito Ariſtotelem id protuliſſe referendo illud non tamquam ex propria ſententia, ſed antiquorum.

Circa tertiam dico tertio, relationes menſurabilis ad menſuram, & è contra, ſpecie diſtinguuntur ab alijs primi & ſecundi generis. Patet, quia habent diſtincta ſpecie fundamenta, nam in primis relationes menſurabilis ad menſuram fundantur in habitudine & commenſuratione tranſcendentali, iuxta quam potentiæ vitales, & earum actus menſurantur ab obiectis, & ab illis peculiari ratione hauriunt perfectionem; ſed hæc cõmenſuratio eſt diſtincta ſpecie ab unitate, & multitudine, à potentia agendi, & patiendi, quæ ſunt fundaméta primi, & ſecundi generis relationũ, ergo &c. Deinde ſcibile, ut eſt menſura ſcientię, non habet rationem potentiæ actiuæ, neque paſsiue, neque unitatis, neque multitudinis, ergo eſt diſtinctum fundamentum à primi & ſecundi generis fundamentis.

Oppones primo. Scientia dependet efficienter ab obiecto, ſæpe enim ab eo producitur, & ſi non ab ipſo, certe ab ſpeciebus, quæ gerunt vicem obiectis ergo relatio quæ intercedit inter ſcientiam & obiectum, eſt ſecundi generis. Reſpondeo, obiectũ, vel ſcibile tripliciter ſumi. Primo, ſecundum ſuum eſſe, quo pacto eſt quid abſolutum, & ſolet appellari ſcibile materialiter. Secundo, ut movet potentias imprimẽdo ſpecies, qua ratione dicit relationẽ ſpectantem ad ſecundum genus, & hoc ſolum probat obiectio: à nobis tamẽ in præſenti non ita ſumitur, ſed in tertio modo, ut ſcilicet terminat ſcientiã, & commenſurat illam accidentaliter, quo pacto illud ſcientia reſpicit relatione reali, & prædicamentali huius tertij generis.

Oppones ſecundo, Obiectum eſt cauſa formalis ſcientiæ, illi enim tribuit ſpecificationem, ergo relatio obiecti erit cauſa formalis, & ſic ad ſecundum genus ſpectabit. Reſpondeo, obiectum non eſſe proprie cauſam intrinſecam, quia non dat intrinſece eſſe ſcientiæ in illam phyſice influen-

fluendo, sed esse causam extrinsecam ea ratione qua terminat, sic enim dat speciem actui ad se tendēti tanquam ad terminum & obiectum.

Circa quartam dico quarto: Mensura huius generis non est sola mensura veritatis, sed etiā omnis alia mensura, quæ reperiri potest inter causam & effectum. Probatur primo de Amore, quod etiam innuit Suarez, quia mensura veritatis est ratio fundandi relationem tertij generis, ergo & mensura honestatis, ac bonitatis. Liquet consequentia, quia sicut cognitio mēsuratur ab obiecto, sic & amor, ergo etiam erunt constituendæ relationes tertij generis in obiectum & amorem, ita in obiecto constituit relationem ad amorem D. Thomas secutus Auicennam. Secundo probatur in omnibus effectibus, quia effectus mensurari possunt per causas efficientes, formales, finales, materiales, & exemplares, ergo dicent etiam relationes huius generis ad suas causas, & causæ ad illos. Respondet Suarez, mensuram horum effectuum consistere in similitudine, vel dependentia effectus à causa, & ideo non constituere distinctum genus à secundo, vel primo. Contra. Hæc dependentia non est ipsa actio, sed ordo transcendentalis effectus ad causam, hic autem ordo effectus potest concipi ad causam, vel ut causa est, vel ut illi similis in natura, vel ut mensura eius perfectionis; ergo ratione huius triplicis rationis fundandi induet triplicē relationem distincti generis. Confirmatur, quia etiam ordo transcendentalis scientiæ potest esse ad obiectum vel tanquam ad causam, vel tanquam ad simile, vel tanquam ad mensuram; sed sub hac triplici ratione constituit triplex genus relationis, ergo & omnis effectus constituere potest triplex genus relationum.

D. Thom. in 2. dist. 30. q. 1. ar. 3. ad 3. Auic. l. 3. sua Metaph. cap. 10.

Oppones, ergo etiam mensura quantitativa spectabit ad hoc genus. Nego consequentiā, quia quantitas non est ex se alterius mensura, sed tantum per nostrū intellectum, à quo sumi potest ut medium ad alterius molem seu extensionem noscēdam. Hic ergo non est sermo de mēsura, quæ id habet per ordinē ad intellectum, sed de reali termino, vel obiecto ad quod res aliqua dicit habitudinem, secundum quam illi coaptatur, & proportionatur. Ob eandem causam mensura, quę reperiri potest inter speciem perfectiorem alicuius generis, & imperfectiores, non est huius generis, cum sit per ordinem ad intellectum.

Circa vltimam difficultatem dico vltimo. In omnibus tribus generibus relationum reperiuntur relationes non mutuæ. Probatur, nam relatio non mutua est, quæ refert vnum extremum ad aliud carens relatione oppositā, sed in tribus generibus huiusmodi relationes reperiuntur, ergo &c. Minor probatur discurrendo per singula; nam in primo genere datur relatio identitatis in creatura cum Deo, in ratione entis vel substantiæ, & relatio diversitatis in essentia, & tamen Deus caret relatione reali ad creaturas. In secundo genere creatura est effectus Dei, & reali relatione respicit ipsum ut sui causam, cum tamē è con-

tra. Deus non respiciat realiter ut causa creaturam. Similiter in humanitate Christi Domini est relatio unitæ ad Verbum divinum, in quo non est relatio ad humanitatem, & tamen vel fundatur in secundo genere, vel in primo. Et D. Thomas tribuit Beatæ Virgini relationem maternitatis ad Christū Dominū, cui tamen negat relationem filiationis ad virginem. In tertio genere in nobis scientia de Deo, & eius amor habēt relationem prædicamentalem ad ipsum tāquam ad mensuram suæ entitatis & perfectionis, & tamen in Deo ut mensura, & obiecto non pullulat relatio realis ad nostrā scientiam & amorem, igitur in tribus generibus, & non solum in ultimo, inveniuntur relationes non mutuæ.

3 *par. quæst.* 35. *arti* 5.

Collige ex dictis relationes inter creaturas & Deum in tribus generibus esse nō mutuas, alias vero, quæ reperiuntur inter ipsas creaturas, esse mutuas; nulla enim occurret creaturacū relatione ad aliam, quin alia relatione opposita illi respōdeat.

DVBIVM XIII.

An terminus relationis prædicamentalis sit absolutus, vel relativus.

CVm in filio v. g. in quem tendit Paternitas, duo inveniantur, & subtantia genita, quæ est entitas absoluta, & filiatio, quæ est forma respectiva, merito dubitatur an Paternitas formaliter terminetur ad subtantiam absolutam geniti, an potius ad filiationē respectivam.

Assero primo. In relationibus non mutuis relatio terminatur formaliter ad absolutum, & nō ad aliam relationem. Probatur, *nam* in termino huius relationis, qui realis est, & realiter existens, nulla est relatio realis, sistens, quia correspondens, ergo ille terminus non per relationem, sed per aliquid absolutum constituitur aptus ad terminandum, ergo relatio non, mutua non terminatur ad relativum. Confirmatur, quia Deus ut creator non habet relationem realem ad creaturā, quia ad se relatam, ut etiam opinantur Thomistæ. Dicergo si capis, quomodo Deus terminabit relationem creaturæ per relationē, cum illa careat? Et quidem merito ait Hurtadus, se non videre quomodo ab humano intellectu hæc assertio negari possit.

Ita Scot. in 1. *dist.* 30. *q.* 1. *& cōmuni. Probatur, vitat Scotinam in termino huius relationis realis est, & realiter existens, nulla est relatio realis, sistens, quia correspondens, ergo ille terminus non per relationem, sed per aliquid absolutum constituitur aptus ad terminandum, ergo relatio non, mutua non terminatur ad relativum. Confirmatur, quia Deus ut creator non habet relationem realem ad creaturā, quia ad se relatam, ut etiam opinantur Thomistæ. Dicergo si capis, quomodo Deus terminabit relationem creaturæ per relationē, cum illa careat? Et quidem merito ait Hurtadus, se non videre quomodo ab humano intellectu hæc assertio negari possit.*

Nata 1. *q.* 13. *ar.* 7. *Fonseca* 5. *Met. cap.* 15. *q.* 4. *Vasq.* 1. *p. disp.* 159. *n.* 13. *Noster Blanc hic sect.* 4. *Hurt. disp.* 15. *Met. sect.* 4.

Negat nihilominus eam Gaietanus, (& cum eo alij) & respondet, Deum terminare relationem creaturæ non per relationem in se exsistentem, sed in creatura. Contra primo, quia ni*hil* propriè potest ad aliud referri, ni*si* per relationem, quam in *se* habet, ergo neque poterit *omnem* propriè terminare respectum ad se, nisi per id quod in *se* habet, nam ratio terminandi *positam* aliā est termino intrinseca, vt liquet in pariete terminante visionem per colorem sibi intrinsecum.

Cōtra Gaiet. ubi supra. Fonseca 5. *Met. cap.* 15. *q.* 4.

Secūdo, vel relatio, qua Deus terminat relationem creaturæ est eadem cum relatione creaturæ ad Deum, vel diversa; non eadem, quia sic eadem relatio realiter respiceret & terminaretur ad se ipsam; neque diversa, nam cū hæc intrinseca sit creaturæ,

turæ, illam intrinsece referet ad creatorem, unde terminabitur ad esse absolutum illius, in quo nulla est relatio realis terminativa respectus.

Tertio, sicut creatura procedit à Deo per creationem ita filius à Patre per generationem, sed Pater non terminat relationem filij per relationem in ipso filio existentem, ergo neque creator terminabit relationem creaturæ per relationem in ipsa existentem.

Respondent alij, relationem creaturæ terminari ad relationem rationis, quæ in Deo fingitur. Sed contra, nam relatio creaturæ realiter tēdit ad Deum independenter ab intellectu, ergo eius terminus debet esse extra operationem intellectus, sine qua relatio rationis non est.

Postremo respondet Fonseca relationem creaturæ terminari ad relationē rationis, quæ Deo hoc ipso quod creatura ad eum referatur, actu convenit, licet actu non existat obiective in intellectu; sicut esse animal rationale cōvenit homini, quamvis actu non existat. Sed revera huius nodi solutio ab autoribus minime percipitur. Nam si ista relatio actu convenit Deo quin existat obiective in intellectu, quomodo est relatio rationis, cuius esse est esse obiective in intellectu? Deinde probatur, exēplum allatum non esse ad rem, nam animal rationale non convenit actu homini, non existenti actu: licet enim sit de eius essentia, tamen cum proportione; actuale de essentia hominis actualis; possibile de essētia possibilis. Addo: licet exemplum verum esset, nihil tamen probare, quia animal ideo diceretur convenire homini non existenti, quia habet essentialem cōnexionem cum illo, at ens rationis cum Deo essentialiter connecti nequit, ergo neque potest illi convenire quin actu existat. Confirmatur, quia albedo non dicitur actu convenire parieti, nec aliud accidens proprio subiecto quin actu existat, eo quod accidens cum subiecto contingenter coniungatur, sed ens rationis contingenter etiam, & ope intellectus creati fingentis Deo competit, ergo nequit illi actu convenire quin actu existat.

Assero secundo. Etiam in relationibus nō mutuis relatio terminatur ad absolutum, & non ad relationem. Probatur primo ex præcedenti assertione. Entitas absoluta in non mutuis sufficiens est ad terminandam relationem, ergo & in mutuis, non enim potior est ratio unius, quā alterius. Cōfirmatur, quia si per impossibile genitor careret paternitate, filiatio geniti respiceret realiter illum, sicut modo relatio creaturæ creatorem relatione carentem.

Secundo, cōmune axioma est, posito fundamento & termino, resultare relationem prædicamentalem, ergo terminus vnius relationis nequit esse relatio opposita. Explicatur vis huius rationis: quia prædictum axioma intelligi nequit de termino materiali, & remoto, cum eo posito nō dimanet relatio, ut liquet, sed de formali, & proximo; neque potest intelligi de termino, ut actu terminante, & in actu secundo, nam de termino ut sic, nō verificatur, vt posito illo, in fun-

Ita Doctores supra alleg. contra Ferrar. 2. cōtra Gent. cap. 11. Nimphū 5. Met. disput. 14. Conimb. hoc cap. q. 2. ar. 1. Pla hoc loco qu. 13. Ruviū hoc cap q. 7. aut. mātes esse D. Thom. & Arist. dicēdi nam. & Antonium Sala disp. 2. de relatione prædicamētali. q. 4.

fundamento sequatur relatio, cum cõstituatur in ratione termini actu terminantis per relationem actu tendentẽ in ipsum. Modo facile probatur nostra assertio, quia una relatio non cõsurgit ex positione alterius; quia illa particula, ex, dicit antecessionem aliquam naturæ, vel originis, quæ nequit competere paternitati v. g. respectu filiationis, cum relatio, & correlatio debeant esse simul natura ex Aristotele: tum etiam quia si Paternitas esset terminus formalis filiationis, & filiatio paternitatis, sequeretur paternitatẽ præsupponere filiationem, & è converso, cum quævis relatio dependeat à termino formali, à quo specificatur, & omne quod ab alio dependet, sit posterius illo, ergo terminus relationis nequit esse opposita relatio.

Tertio: Causa formaliter refertur ad effectum quem producit, & una albedo formaliter refertur ad illud, cui dicitur similis; sed causa non producit relationem effectus, sed illius entitatem absolutam, qua posita resultat relatio; & similiter una albedo non dicitur similis relationi in altera albedine resultãti, sed alteri albedini, ergo terminus formalis relationis causæ non erit relatio effectus, sed entitas absoluta illius, & terminus formalis relationis similitudinis unius albedinis non erit opposita relatio similitudinis, sed entitas absoluta alterius albedinis.

Quarto ostenditur ex communi pronuntiato. In unoquoque extremo ratio fundandi propriã relationem est ratio terminandi oppositam, sed ratio fundandi propriam relationem est absoluta, & non relativa, ergo & ratio terminandi. Maior probatur, quia ratio cur filius fundat ad patrem relationem, est quia est substãtia genita, ergo etiam ratio cur terminat relationem paternitatis, erit quia est substãtia genita.

Quinto, iuxta D. Th. citatũ dubio trãsacto circa finẽ in B. Virgine reperitur realis relatio maternitatis ad Christũ Dõm in quo non reperitur relatio realis filiationis, ergo terminus formalis maternitatis Beatę Virginis, non est relatio aliqua opposita, sed entitas absoluta Christi Domini.

Respondebis maternitatẽ Virginis Matris esse relationem nõ mutuam, ideoque ad absolutum terminari. Contra, quia relatio maternitatis Deiparæ Virginis eiusdem speciei est cũ alijs maternitatibus mutuis, cum Deipara Virgo mater eiusdem speciei cum alijs matribus sit, ergo maternitas Virginis, & aliæ maternitates mutuæ, debent habere terminos formales eiusdem speciei à quibus specificentur; sed relatio maternitatis Virginis Matris terminatur ad absolutum, ergo & aliæ maternitates mutuæ. Vnde relatio maternitatis Beatæ Virginis ex natura sua mutua est, tametsi de facto mutua non dicatur, quia impedita fuit opposita relatio in Christo Domino propter unionem hypostaticam, qua humanitas est unita Verbo divino; quare si Deus auferret istã unionem hypostaticã, absque dubio resultaret in humanitate Christi, relatio filiationis ad Beatam Virginem.

Obij-

Obijces primo: Aristoteles hic ait servum referri nó ad hominem ut sic, sed ad dominum, ergo refertur ad relativum. Respondeo, mentem Aristoteles esse servum non referri ad dominũ qua homo est præcise, sed qua dominus fundamentaliter; scilicet ut habet moralem potestatẽ, quæ est ratio fundandi relationem domini, vel potestatem cohercendi subditos, quo pacto id declarat in Deo Suarez citatus nu. 30.

Obijcies secundo: Vna relatio non terminatur ad aliam, ergo relata non sunt simul natura, quod est contra Aristotelem & communem sententiam. Antecedens probatur, nam si paternitas, verbi gratia, Francisci, non terminatur ad Eugenium ut filium, ergo prius natura Franciscus est pater quam habeat filiũ. Probatur consequentia, nam Eugenius prius natura est Eugenius, id est, substantia genita, quam filius; pendet enim filiatio ab eius entitate genita, ergo Franciscus prius natura est pater quam Eugenius filius. Confirmatur, quia una relatio formaliter ut talis solum pendet à suo fundamento, & termino formali; ergo si eius terminus formalis non est altera relatio, illi opposita, non pendebit ab illa, & consequẽter erit prior natura quam ipsa.

Respondeo efficaciter retorqueri posse argumentum in ipsos; nam relatio resultat ex fundamento & positione termini; ergo si terminus est relatio opposita, ex positione unius resultabit altera, & ab illa pendebit; ergo non erit simul natura cum ipsa, sed posterius. Quare ideo solum relata sunt simul natura, quia posito fundamento & termino in eodem instãti in utroque extremo pullulat relatio cõ comitanter sine ordine prioris & posterioris inter se. Etenim tria hic possumus instantia distinguere. In primo: Simul intelligitur substantia generans ante paternitatem, & substãtia genita ante filiationem, nam sicut prius natura est substãtia generans quam habeat Paternitatẽ, ita prius est substantia genita, quam habeat filiationem. In secundo, resultat simul in substantia generante paternitas, & in genita filiatio, utraq. enim supponit suum fundamentũ & terminum actu exsistentem. In tertio, Generans & Genitus simul & mutuo referuntur: unde constat ad argumẽtum & eius confirmationem, quomodo relata sint simul natura, quamvis una relatio terminetur ad fundamẽtum oppositę relationis. Namin eodem instanti in quo Paternitas Francisci terminatur ad Eugeniũ, etiã Eugenij filiatio terminatur ad Franciscum, sine ordine prioris, & posterioris inter se, ut declaratum.

Obijcies tertio: In divinis relatio respicit relativum, v. g. Paternitas divina filiationem divinã, ergo similiter in creatis. Respondeo disparem esse rationem, nã in divinis id quod producitur distinctum à producente est sola relatio; at in creatis id quod producitur ab agente non est relatio effectus, sed entitas absoluta illius; v. g. à Patre solũ producitur entitas absoluta filij. Atque hinc urgentur adversarij, nam in divinis, id quod generatione producitur

terminat relationem Patris, ergo & increatis; sed quod producitur generatione creata est substantia absoluta filij, ergo relatio creata terminatur ad absolutum. Adde, substantiam divinam filij non differre realiter à Paternitate, nam omnia absoluta in divinis inter se, & cum relativis realiter idemptificantur, & consequenter non posse esse terminum paternitatis.

Objicies quarto: Relata sunt simul cognitione, & definitione, ut traditum ab Aristotele, & ab omnibus receptũ, ergo unius cognitio dependet à cognitione alterius, ideo enim censentur simul cognitione & definitione, ergo unius relationis terminus erit altera relatio. Consequentia est clara, nam notitia relationis solum pendet à suo fundamento intrinseco, & à termino formali: ergo iste terminus formalis erit altera relatio, nã aliàs non penderet à cognitione relationis oppositæ. Respondeo negando consequentiam, relata enim vel relationes ideo dicuntur simul cognitione, quia una non pendet ab alia in cognitione; sicut ideo dicuntur simul natura, quia una non pendet ab alia in esse, & fieri; vel certe quia per easdem causas & principia utraque relatio cognoscitur, nã dum intellectus videt duorum hominum coëxistentiam, quorum unus ab alio sit genitus, simul venit in cognitionẽ paternitatis & filiationis: (idem est de simultate definitionis, quæ est notitia clara) unde sicut relatio creaturæ ad Deum potest exactè cognosci quin aliqua relatio cognoscatur in Deo; ita & in relatis mutuis, relatio v. g. filiationis cognosci potest quin cognoscatur formaliter relatio paternitatis, quod non est contra Aristotelem, nam ipse, ut benè notat Vasquez, solum dixit hoc capite non posse unam relationem cognosci quin cognoscatur id ad quod refertur, quod nõ est relatio opposita, sed eius fundamentum.

Objicies quarto: Relatio essentialiter includit oppositionem relativam: ergo relata mutua dicunt oppositionem mutuam relativam, sed oppositio mutua relativa consistit in hoc, quod relatio in quolibet extremo sit simul ratio referendi, & terminandi; ergo saltem in mutuis relatio terminatur ad relativum. Respõdeo relationem mutuam essentialiter includere oppositionem relativam fundamentalem, id est, distinctionem ab alia relatione, quę est in termino, non quia formaliter ad eam terminetur, sed quia eo ipso quod opponatur termino, & ab eo distinguatur, debet etiam opponi, & distingui à relatione in illo fundata, & hæc appellatur oppositio relativa saltem materialis, & fundamentalis; in relationibus autem non mutuis non datur oppositio inter correlata proprie, sed dumtaxat inter unam relationem, & terminum absolutum.

Objicies, duæ paternitates, v. g. sunt similes; ergo fundant, & terminant relationem quæ terminatur ad relativum. Respondeo, nos solum negare unam relationem terminari ad aliam oppositam simul resultantem in altero extremo, non vero negare unam relationem terminari ad aliam veluti disparatam. Vnde re-

relatio similitudinis fundata in una paternitate terminatur ad aliam paternitatem, & non ad relationem similitudinis in ea resultantem, & ita paternitas terminans similitudinem, tunc se habet veluti materialiter, & fundamentaliter respectu illius relationis similitudinis in ea fundatę, cum ei non opponatur.

DVBIVM XIIII.

A quo relatio suam sumat speciem.

PONO primo ut certum, principium intrinsecum distinctionis specificę inter relationes sicut inter omnes res esse differe etiam essentialem, & specificą cuiusque; sicut enim hæc constituit essentialiter rem in suo esse, ita ab omnibus aliijs distinguit; in præsenti ergo non est dubitatio de principio intrinseco specificationis relationum, sed de extrinseco, id est, ex quibus signis colligi possit, & debeat relationes esse eiusdē, vel diversæ speciei.

Pono secundo. Vnitatem & distinctionem specificam relationum non esse sumendam à fundamento materialiter sumpto, nam relationes specie diversæ possunt in eodem fundamento subiectari, & relationes eiusdem speciei in fundamentis specie diversis. Primum patet, nam idem Petrus fundat relationem idemptitatis ad Paulum, & diversitatis specificæ ad equum. Secundum etiam constat, nam relatio qua equus refertur, ut idem in natura animalis cum homine, est eiusdem speciei cum ea, qua homo in eadem natura refertur ut idem cum equo.

Pono tertio: Etiam unitatem & distinctionē relationum non esse sumendam à termino materialiter sumpto, nam similiter relationes specie diversæ possunt ad eundem terminum materialem terminari, & relationes eiusdem speciei ad terminos materiales essentialiter diversos. Primum liquet, nam idē Petrus est terminus materialis relationis idemptitatis, quam dicit Paulus, & distinctionis essentialis quam dicit equus. Secundum etiam cōstat, nam relatio idemptitatis in animali quę ab homine terminatur ad equū, est eiusdem speciei cum ea, quæ ab æquo terminatur ad hominem.

His positis dico. Relationes sumunt speciem à fundamento in ordine ad terminū. Probatur, quia relatio essentialiter est respectus fundamenti ad terminū; essentialiter enim utrumque requirit, & sine utroque neq. esse, neque intelligi potest; ergo ab utroque speciem sumet. Secundo, quia licet relatio specificetur intrinsece à propria differētia, illam tamen habet in ordine ad fundamētum & terminū, ergo ab his extrinsece specificabitur.

Collige: Relationē præcipue specificari à termino quā à fundamēto; à fundamēto enim specificatur tanquā à causa materiali, à termino vero tanquā à formali extrinseca, quæ magis exprimit rationem propriam & formalē relationis per quam distinguitur ab aliis accidētibus. Et pro-

1.p.q.32.ar ti. 2. pter hoc divus Thomas specificationem relationis simpliciter tribuit termino.

Objcies. Pater & mater respiciunt filium diversis in specie relationibus, & tamen filius est idem terminus formalis; ergo relationes non captunt speciem à termino formali. Antecedens probatur, quia pater & mater in sententia divi Thomæ in diverso genere causæ concurrunt, pater in genere causæ efficientis, mater in genere causæ materialis, ergo fundant ad filium diversas specie relationes.

Respondeo: si cum divo Thoma admittatur patrē active concurrere ad generationem, matrē vero passive, fatendum fore in filio esse duplicem rationem terminandi formaliter, & specie distinctam, qua terminet relationes specie distinctas; si tamē cū Lib. 1. de semine. Galeno, & communi Medicorum dicatur utrumque parētem active cōcurrere, de quo in Physica, consequenter dicendum esse in filio esse unicam solum rationem terminandi secundum speciem.

DVBIVM XV.

Vnde capiatur distinctio relationum numerica.

Dico primo: Distinctio numerica relationis sæpe accipitur ex subiecto, seu fundamēto proximo. Probatur, quia quando referūtur duo fundamenta ad eundem terminum, distincta numero uendicant relationes: unum enim accidens nequit realiter inesse diversis realiter subiectis; ergo distinctio numerica relationis sæpe sumitur ex subiecto, & fundamento proximo. Maior difficultas est, an possit relatio in eodem subiecto in ordine ad diversos numero terminos numero multiplicari, & distingui realiter. Negant communiter Thomistæ contra quos

Dico secundo. Sola distinctio terminorum sufficit, ut distinguantur numero relationes in eodem subiecto, itaque unus pater sortitur diversas numero paternitates ad plures filios, & unum albū plures similitudines ad plura alba. Probatur primo, posito primo filio resultat in patre prima relatio paternitatis; ergo posito secundo filio resultat secunda. Probatur consequentia, nam posito secundo filio incipit pater referri ad illū, & denominari pater illius, sed hoc non habet ex vi primæ paternitatis, ergo resultat in illo secunda. Minor probatur, quia relatio nequit transgredi suum terminum adæquatum, sed primus filius est terminus adæquatus primę paternitatis; ergo nequit pater respicere secundum filium per primam paternitatē. Minor probatur, quia relatio nō resultat nisi posito suo termino totali, & adæquato, nam ut resultet relatio debet poni totum illud à quo dependet, atqui posito primo filio resultat prima paternitas, ergo primus filius est terminus totalis illius, atque adeo ad novum filium exigitur nova paternitas.

Ita Scotus in 3. dist. 8. q. unica. Suarez disp. citata sect 17 nu. 16. Vasquez 1. p. disp. 21. n. 24 Hurta. sect. 10. Metaph. § 19 & Nesler Blanchis sect. 18

Secundo, quotiescunque augetur vel variatur effectus formalis, debet forma variari, vel augeri, sed cum producitur secundus filius, augetur effectus forma-

formalis in patre, nam respicit duos filios, & antea unum respiciebat; ergo per novam formam, seu relationem quam antea non habebat. Augetur vis argumenti, quia prima relatio, v. g. paternitas Petri, confert Petro totum effectum quē illi tribuere potest, quia tota est in subiecto, & effectus formæ nihil aliud est quam forma communicata subiecto, ergo ut postea Petrus pater referatur ad secúdum filium, eget nova relatione.

Omissis aliquibus responsionibus, quæ videri possunt apud Suarium & Blanch citatos, quibus iam non utuntur Thomistę, Respondent communiter, posito secundo filio advenire patri aliquid novum, hoc autem non esse relationem, sed modum extensionis, quo præexistens relatio se extendit ad secundum filium. Sed contra primo, ille modus est nova paternitas, ergo advenit nova relatio paternitatis. Antecedens probatur, quia paternitas est modus referens genitorem ad genitum, sed ille modus per te refert genitorem ad novum genitum, ergo est nova paternitas à priori distincta. Confirmatur, quia utraque est independens ab alia, & in se totalis sicut & termini, quos respiciunt; ergo & utraque est distincta. Secundo. Illud quod resultat in patre, posito secundo filio, debet esse eiusdem speciei cum eo quod resultavit posito primo filio, cū termini isti sint eiusdem speciei; sed quod resultavit posito primo filio, est vera relatio, ergo & quod resultat posito secundo. Tertio. Posito secundo filio resultat in illo relatio filiationis, ergo debet resultare in patre aliquid, quod talem relationem terminet, nam in sententia Thomistarum relatio unius extremi terminatur formaliter ad illud, quod resultat in alio extremo; sed in eadē sententia una relatio terminatur ad aliam relationem, ergo illud quod resultat in patre posito secundo filio, & terminat relationem filiationis, in sentētia adversariorum, debet esse vera paternitatis relatio. Quarto. Posito secundo filio resultat in patre modus quidam extensionis præexistentis paternitatis ad filium secundum, ergo posito tertio filio resultabit in patre alter modus extensionis, quo paternitas ipsa extendatur ad tertium filium, ergo tunc dabitur duplex modus extēsionis numero tantum distinctus in eodem subiecto, cum nullum sit vestigium distinctionis specificæ. Si igitur isti duo modi solum numero distincti in eodem subiecto simul esse possunt, cur non & duæ relationes paternitatis, etsi numero discrepent?

Tertio probatur dictum, labefactando thomisticum fundamentum; nam in eodem subiecto esse possunt duo accidentia numero diversa, si sint munere dissimilia; sed duæ paternitates in ordine ad diversos filios sūt dissimiles munere, nam referūt subiectū ad diversos terminos, & inter se separabiles, ergo in eodem subiecto possunt esse distinctæ numero relationes in ordine ad diversos terminos. Maior probatur, nam duæ species visibiles solo numero distinctę, ut duplicis folij papyri, semper sunt in eodem subiecto, ut in medio aere, & in oculo, quod

iam alibi attigimus,& in libris de Anima ostendemus.

Obijcies primo. Accidētia accipiunt unitatem numericam à subiecto, ergo in eodem subiecto non multiplicantur relationes, quantumvis termini multiplicentur. Nego antecedens: nam in bona Philosophia accidentia nequaquam individuantur à subiecto: plura enim accidentia numero distincta, v. g. plures species visibiles, reperiūtur de facto in eodem subiecto, de facto etiam in eodem subiecto sunt accidentia, non numero solum, sed etiam specie diversa,ut calor,& frigus. Divina item potentia posset eadem albedo in diversis subiectis constitui, & idem subiectum habere plures albedines; sicut ergo accidens generatim individuatur, non à subiecto, sed à differentia ñbi intrinseca,cum ordine tamen ad subiectum, sic relatio nō individuatur à subiecto, sed ab intrinseca differentia in ordine ad subiectum, & terminum.

Obijcies secundo. Relatio paternitatis v.g., solum requiritur ad constituendum formaliter patrem, sed ad id satis est una numero relatio,ergo ad multiplicationē filiorum non sunt multiplicandæ relationes,alioquin enim quis esset multiplex pater. Respondeo sufficere unā relationem paternitatis ad constituendum unum hominem patrem in ordine ad unum filium tantum, non vero in ordine ad plures; nam relatio quæ est ratio referēdi patrem ad primum filium, non est ratio referendi eundem patrem ad secūdum filium, licet autem multiplicatis filijs, multiplicentur in eodem homine paternitates, non dicitur tamen multiplex pater, sed unus,nam concreta non multiplicantur ex sola multiplicatione formarum,sed simul ex multiplicatione subiectorum.

Obijcies tertio. Duo accidentia absoluta numero solum distincta, ut duæ quantitates, vel duæ albedines, nequeunt realiter esse in eodem subiecto, ergo neque duo accidentia relativa numero tantum distincta. Respondeo negando consequētiam: discrimen est: nam cum duæ quantitates, vel duæ albedines sint accidentia in munere & officio similia,ita ut effectus formalis quem secunda quantitas, vel secunda albedo tribuere potest,sufficiēter per primā quantitatem, vel albedinem tribuatur, scilicet reddere subiectum quantum,vel album,non est cur multiplicentur numero naturaliter in eodem subiecto; at duæ paternitates in ordine ad duos filios sunt accidentia in munere,&officio dissimilia,quia per unam paternitatem respicit pater primum filium,& per secundam secundum, & ita possunt esse in eodem subiecto. Vnde argumentum solum probat in eodem patre non posse reperiri duas paternitas respicientes eūdem filium, quia essent similes in munere & officio, cum respicerent eundem effectum formalem.

DV-

DVB. VLTIMVM.

De serie, & proprietatibus huius prædicamenti.

Quæst. 25. SIne fundamento Scotus duplex genus supremum huic præfigit prædicamento: ait enim relationem in communi indigere termino communi, sed terminus relationis est relatio, ergo indiget alia relatione in communi.

Dicēdum ergo est, in hoc prædicamento unicum tantum esse genus supremū. Probatur, quia omnes relationes reales prædicamentales sunt similes in communi ratione relationis realis prædicamentalis, non minus ac substantię & quantitates in suis rationibus, ergo potest abstrahi ab illis una ratio relationis cōmunis illis quæ sit genus. Confirmatur, quia ab illis duobus generibus supremis, quæ fingūtur, potest abstrahi una ratio cōmunis, in qua conveniant, scilicet esse ad aliud, ergo hæc ratio constituet unicum genus supremum: nam si semel admittatur posse abstrahi unam relationem communem omnibus, immerito negabitur esse genus, cū illi omnia requisita non deficiant.

Ad rationem propositam, respondeo, relationem in communi habere terminum in communi sibi adæquate respondentem, non relativum, sed absolutum in nostra sententia. Si vero objicias, ergo saltem talis terminus debet constituere aliquod genus entis absoluti, & communis omnibus terminis: Occurrēdum est negando consequentiam, quia ratio terminādi non est aliquid superadditum ipsis rebus absolutis, nam quælibet res per suā met entitatem est apta ad relationem terminandam: unde ratio terminandi est transcendentalisconveniens omnibus rebus physicè & metaphysicè completis, & ideo nequit cōstituere genus, vel prędicamētum aliquod: quemadmodum ob eandem rationem relationis fundamentū illud constituere nequit.

Hoc prædicamentum aptissime ordinabitur, si pro capite summo unum genus supremum relationis in concreto formali statuatur, & primo dividatur in relationem materialem, & immaterialem: deinde utraque in tria illa genera, iuxta triplex fūdamentum ab Aristotele assignatum: & hæc in suas species ex dictis facile colligendas, ac tandem in individua.

Circa secundum, quatuor enumerat Aristoteles relationis proprietates. Prima est habere contrarium, cuius oppositum docuerat cap. de quantitate: verum in præsenti intelligendus est, non de vera contrarietate, sed de aliqua oppositione. Vel dici potest in hoc capite loqui de relativis transcendētalibus, quod innuūt exempla ab eo allata, scilicet virtus, & vitium, scientia, & ignorantia, hæc autem neque est relativa prædicamentaliter, neque transcendentaliter, cum sit carentia: ex quo liquet non loqui Aristotelem de veris relativis. Vel locutus est ex antiquorum sensu, ut enim interpretantur Ruvius hic, Conimbric. & Suarez sectione vltima num. 1.

Præ-

Prædicamentales autem contrarium habere nequeunt, non enim ſe mutuo pellũt ab eodem ſubiecto in quo ineſſe poſsint: relationes enim albedinis & nigredinis nõ ſunt in eodem ſubiecto.

Secunda eſt, ſuſcipere magis & minus, quam docet Ariſtoteles convenire quibuſdam relationibus, non tamen omnibus. Sed hic obſervandum eſt, aliter tribui hanc proprietatem relationi, quam qualitati; qualitati enim convenit quia vere eſt intenſibilis & remiſsibilis; relationi vero cum non ſit intenſibilis & remiſsibilis, ſolum convenit propter variationem, id eſt, quia quædam relativa denominantur magis & minus talia per acceſſum, vel receſſum ab uno perfecto termino: tamen illæ relationes maioris, vel minoris acceſſus, vel receſſus, revera sũt diverſæ, & non eadem quæ augeatur vel minuatur, quia termini & fundamenta earum diverſa ſunt.

Tertia eſt, dici ad conversionem. Hanc proprietatem non nulli ita explicant, ut idem ſit, quod mutuo referri, ſeu quod uni relationi correſpondeat altera, ſed hęc explicatio nequit eſſe univerſaliter vera, cum dãtur relationes nõ mutuę, ut vidimus, unde iſte non eſt Ariſtotelis ſenſus, ſed ſolum ut ſecundum aliquam denominationem unum denominetur cum ordine ad aliud, & è converſo, v. g. quemadmodum ſcientia dicitur ſcibilis ſciẽtia, & ſcibile dicitur ſciẽtiæ ſcibile, & propterea ait Ariſtoteles hanc conveniẽtiam interdum fieri in eodem; interdũ in diverſo caſu.

Quarta relatorum proprietas eſt, eſſe ſimul natura cognitione & definitione, de qua ſermo fuit dubio 13. huius diſputationis.

CAPVT OCTAVVM.

De Qualitate.

SVMMA CAPITIS.

IN hoc capite quatuor præſtat Philoſophus. Primum agit de Qualitate, eique ſpecies tribuit. Secundum ſermonem init de quali, eius concreto. Tertium proprietates qualitatis aſſignat. Tandem quoddam dubiolum præſentat, illudque diſſolvit. Definitur ergo qualitas ita: Id quo quidam dicuntur quales. In quatuor diſtribuitur ſpecies, quarum prima eſt Habitus, & Diſpoſitio, ſecunda Potentia, & Impotentia, tertia Patibilis qualitas, & Paſsio; quarta Forma, & Figura. Deinde Ariſtoteles exponit quale in plu-

plurali, dicens: Qualia sunt ea; quæ à qualitatibus denominative dicuntur. Rursus proprietates qualitatis assignat, dicens esse tres, scilicet habere contrarium, suscipere magis & minus, & ut secundum illam res dicantur similes & dissimiles. Postremo proponit hoc dubium, ortum ex collatione huius capitis, cum superiori: scientia, & quilibet habitus sunt relata, ut dictum capite superiori; ergo nequeunt constituere speciem qualitatis. Et respondet primo, habitum & dispositionem in genere spectare ad relationem, & in specie ad qualitatem. Secundo respondet, habitum & dispositionem secundum varias rationes formales ad diversa spectare prædicamenta, quod ait non esse inconveniens.

EXPLICATVR CAPVT.

Qualitatem vero, &c. Definit Philosophus qualitatem, à qua res dicuntur quales, ut ab albedine dicimur albi. Notato in huiusmodi definitione istæ particulæ, qua res dicuntur quales, idem valere, ac qua aliquid dicitur quale, nam Philosophus utitur verbo in plurali posito loco singularis. Num autem prædicta definitio sit essentialis, vel non, in dubijs videbitur.

Est autem qualitas, &c. Dum eius species numerat, nihil mireris quasdam appellare genera, eo quod dantur aliquæ subalternæ. Prima species est habitus & dispositio. Dissidium statuit inter utramque speciem, & de dispositione inquit, esse minus diuturnam, & magis facile mobilem à subiecto, ut patet de scientia & virtute. De habitu autem esse diuturniorem, & difficile mobilem à subiecto: ut liquet de calore, frigiditate, morbo, &c. Ponit aliud dissidium inter habitum & dispositionem, seu affectionem, quod omnis habitus est dispositio, seu affectio, non autem è contra, omnis affectio est habitus, nam qui habent habitus, dicuntur affici qualitate, non tamen omnes qui affecti sunt qualitate, dicuntur habere habitus.

Aliud autem qualitatis genus est, &c. Hic attribuit qualitati secundam speciem, quam vocat naturalem potentiam, & impotentiam. Naturalis potentia est, qualitas à natura indita ad agendum & resistendum, ut est potentia intellectiva ad intelligendum, & potentia quam habet ferrum ad resistendum. Hæcque distinguitur ab habitu, quod iste est adquisitus, illa est naturalis. Naturalis impotentia est qualitas, qua res tarde resistit, vel est principium agendi, vel resistendi cum imbecillitate coniunctum, ut potentia currendi in pueris, & potentia resistendi in ferro.

Tertium qualitatis genus, &c. Ter-

tia qualitatis ſpecies eſt patibilis qualitas, & perturbatio. Patibilis qualitas eſt qualitas, quę difficile ſeparatur à ſubiecto, & movet ſenſum, ut dulcedo in melle, quæ movet guſtum. Perturbatio, ſive paſsio, eſt qualitas facile mobilis à ſubiecto movens ſenſum, ut rubor ex verecundia ortus, & pallidus color ex metu, vel ex iracundia. Has omnes qualitates eſſe probat, quia ſubiecta his accidentibus affecta qualia denominantur.

Vt omnis æquivocatio aufera tur, noto hoc nomẽ paſsio, quadrifariam poſſe uſurpari. Primo prout idẽ eſt, quod proprietas, quo pacto riſibile paſsio hominis nuncupatur: ſic capitur ab Ariſtotele lib. 4. Topi. cap. 5. Secundo pro receptione cuiuſcunque formæ in ſubiecto, ſive forma conveniens, vel diſconveniens ſubiecto ſit. Tertio, pro receptione ſolius formæ, nocumẽtum inferẽtis ſubiecto, ut qualitates, quæ cauſant dolorem, vel expulſionem formę alterius conuenientis ſubiecto. Ita accipitur ab Ariſtotele 5. Metaphy. cap. 21. Poſtremo ſumitur pro qualitate, quę ex paſsione ſecũdo modo accepta provenit, dum modo ſit cito tranſiens, et ſic uſurpatur in præſenti paſsio, ut liquet in exemplis adductis.

Nam per paſsionem, &c. Docuerat Ariſtoteles colores diu, multumque permanentes in ſubiecto, eſſe patibiles qualitates, tameſi ex aliqua animi paſsione dimanent, quod nunc ita ſuadet, quia ex brevi paſsione verecundiæ dimanat rubor cito tranſiẽs; igitur ex paſsione diuturna oriri poterit rubor diuturnus. Nam quemadmodum ſe habet cauſa brevis ad effectum durationem brevem, ita diuturna ad effectum diuturnum.

Quartum qualitatis genus, &c. Iã devenit ad quartam ſpeciẽ qualitatis, quam appellat formam, & figuram, ſub qua continentur triangulus, quadrangulus, rectitudo, obliquitas, & alia huiuſmodi. Confirmat autem Ariſtoteles figuram eſſe ſpeciẽ qualitatis hoc argumento. Qualitas eſt à qua quales nominamur, ſed à figura res nominantur figuratæ, ut à quadrato quadrati, ergo figura erit ſpecies qualitatis. Quid autem nomine figuræ & formę intelligat Ariſtoteles, & an duo hæc ſpecie diſcrepẽt, deinde enodabitur in dubijs.

Qualia vero ſunt, &c. In ſecunda capitis parte agit de quali concreto à qualitate deducto, quod ita in plurali exprimit: Qualia ſunt ea, quæ denominantur à qualitatibus, aut aliquo alio modo; id eſt qualia ſunt illa, quæ denominantur à qualitate, ut iuſtus à iuſtitia, albus ab albedine. Dixit, aut aliquo alio modo, ut intelligantur aliquando qualitates qualificare ſubiectũ, & tamen non eſſe denominantes reſpectu illius: ſtudioſus enim qualificatur à virtute, & tamen non denominatur ab illa; una enim ex conditionibus neceſſarijs ut aliqua accidentalis forma ſit denominans, traditis à nobis diſputatione prima de anteprædicamentis dubio quarto 5. quarto, eſt, ut inter formã denominantem, & ſubiectum denominatum, detur in nomine aliqua conuenientia, quæ non reperitur inter ſtudioſum, & virtutem.

Eſt autem qualitatibus, &c. Adducit

ducit in tertia parte capitis tres proprietates qualitatis. Prima est habere contrariũ, verbi gratia, iniustitia iustitiæ adversatur, & albedini nigredo, quæ proprietas non solum competit qualitati, verum etiam qualiti; nam iustum contrariatur iniusto, album nigro. Insuper monet non omnes habere contrarium, quod ostendit in aliquibus qualitatibus tertię speciei, nam rubro & fusco colori nihil contrariatur; idipsum suadere poterat in naturalibus potentijs, quæ non habẽt contrarium, & in forma & figura. Ait præterea, si unum contrarium sit qualitas, alterum debere etiam esse qualitatem, verbi gratia, quia iniustitia iustitiæ adversatur, & spectat ad qualitatis prædicamentum, iniustitiam debere ad idẽ prædicamentum spectare.

At vero qualia ipsa, &c. Secundum attributum assignatur suscipere magis, & minus; nam datur unũ candidius altero, & unũ iustius altero. Subdit, non omnem qualitatem sumere magis & minus, nam unus triangulus, non est magis triangulus alio, licet possit esse maior altero. Exemplum etiam adducere poterat de omnibus qualitatib⁹, quæ sunt potentiæ à natura inditæ, quales sunt intellectus, & voluntas. De qualitatibus abstractis solum insinuat quorundam sententiam, inter quos fuit magister Aristotelis Plato, ut optime notarunt Alexander, & Boetius hic, qui asserebãt abstracta non posse suscipere magis & minus, quia suscipere magis & minus est habere plures partes eiusdẽ qualitatis in eadẽ parte subiecti; at in abstractione nõ datur subiectũ

Similia autem, &c. Tertia proprietas qualitatis ab Aristotele assignata est, ut ab ea dicamur similes, vel dissimiles; intelligе fundamentaliter, nam sola qualitas potest fundare relationes similitudinis, vel dissimilitudinis. Quare à qualitatibus dicuntur res similes, vel dissimiles fundamentaliter; à relationibus vero similitudinis, vel dissimilitudinis, dicuntur res similes, vel dissimiles formaliter, & relative, ut dictum supra.

Sed nihil est quod vereor, &c. Demum in ultima capitis parte proponit dubitationem propositam in summa huius capitis, & dissolvit illam duplici solutione, ut vidimus. Sed ad primam solutionem refellendam opponi potest primo; Genus & species ad idem prædicamentum debent pertinere, nam prædicamentum includit totam attributorum superiorum, & inferiorum seriem, ergo male dicitur scientiam & habitum in genere spectare ad prædicamentum relationis, & in specie ad prædicamentum qualitatis. Secundo, quia sicut scientia & habitus in communi respiciunt obiectum in communi, ita scientia & habitus in particulari respiciunt obiectum in particulari; ergo si scientia & habitus in communi propter illum ordinem spectãt ad prædicamentum relationis, ita scientia & habitus in specie. Addo tamen utrumque falsum esse, quia relatio scientię tam in communi, quam in particulari ad obiectum est transcendentalis, & consequenter non pertinet ad prædicamentum relationis.

Contra secũdam solutionem

opponitur sic: eadem res nequit habere plures essentias metaphysicas, sed si eadem res ad diversa pertineret prædicamenta, haberet plures essentias metaphysicas, ergo nequit pertinere. Maior patet, nam cum genus & differentia sint eiusdem prædicamenti, si eadem res contineretur sub duobus prædicamentis, haberet duo genera, & duas differentias, ergo haberet diversas essentias. Respondeo, eandem rē formaliter non posse habere plures essentias metaphysicas, bene vero si sit eadem materialiter, & diversa formaliter; ut entitas quę est actio & passio sub diversis rationibus formalibus ad diversa spectat prædicamenta. Moneo tamen habitum & dispositionem non habere duas rationes formales prædicamentales, & consequēter non spectare ad prædicamentū relationis & qualitatis simul, sed solum ad qualitatis prædicamentum. Quare Aristoteles utramque solutionē adhibuit, secundum definitionem relatorum à veteribus traditam, iuxta quam quia scientia alicuius dicitur scientia, ponitur in prędicamento; Grammatica vero quia iuxta communē modum loquendi non dicitur alicuius rei Grammatica, non collocatur in prædicamento relationis, sed qualitatis.

Et hæc de littera textus.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Natura, speciebus, & proprietatibus qualitatis.

IN quarto prædicamento qualitatē collocavit Aristoteles, illius varias innuēs appellationes, solum rigorosam usurpandam censui, quatenus est quoddam accidentis intrinseci genus, quod peculiari quadam ratione qualificat, & ornat subiectum, omissis alijs ad nostrū institutum nihil referentibus.

DVBIVM I.

De essentia Qualitatis.

IN ipso vestibulo communiter interpretes Instituti difficultatem prętendunt, & profitētur. Tantæ enim sunt qualitatis species munere inter se lōge distantes, ut unam rationem communem, in qua omnes conveniant, colligere operosum sit. Et quidē Aristoteles valde obscuram eius notitiam nobis reliquit, cum solum dixerit, qualitatem esse formam, qua res quales dicuntur, æque enim nos fugit quidquale, quid qualitas sit, sicut si quātitas defineretur, qua dicimur quanti, hoc enim quæritur quid sit quantum & quantitas, quale & qualitas.

Thomistæ ergo nonnulli qualitatem sic declarant: Accidens absolutum intrinsecum consequens

quens formã. Sed falsò. Primo, quia figura ex Aristotele est qualitas, & sequitur materiam & eius quantitatem. Tum etiam qualitates Angelicæ, ut species intelligibiles, intellectiones, volitiones, & qualitates aliæ supernaturales, quæ cum nostris essentialiter conveniũt, nullam formam consequuntur, cum ea careant. Secundo: Quia ubi, duratio, & motus, consequuntur formam, & non sunt qualitates. Tertiò Quia ita non exprimitur qualitatis essentia, sicut neque exprimeretur quantitatis essentia, si quis diceret quãtitas est accidens absolutum cõsequens materiam, nisi exprimatur eius effectus formalis proprius.

Alij ex D. Thoma qualitatem asserunt modum esse substantiæ determinãtem potentiam eius ad peculiare esse accidentale. Abherranthi, quia etiam quodlibet accidens, v. g. quantitas, determinat substantiam ad esse peculiare accidentale. Et accidens in communi determinat substãtiam ad esse accidentale. Quod autem addit Caietanus intelligendũ de esse accidentale qualitatis, obscurius est, hoc enim inquirimus quodnam sit hoc esse qualitatis, & in quo à quantitate differat.

Quidam recentiores qualitatem definiunt. Accidens per se intensum: sed contra. Primo, quia multæ sunt qualitates incapaces intẽsionis, ut intellectus, voluntas, figura, & caracteres sacramentorũ; hi enim sunt vere qualitates, & non capiunt intẽsionẽ, & remissionem: ut bene docet Suarez cum communi Theologorum sentẽtia: alioqui enim posset aliquis dici magis Christianus, confirmatus, Sacerdos, & Episcopus, sicut dicitur magis albus ab intensiori albedine.

Secundò Quia si esse accidẽs per se intẽsum est essentia qualitatis, sicut quantitatis (ut illi authores volunt) esse accidens per se extensum, ergo sicut quantitas facit subiectum, ubi est extensum, & qualitas faciet subiectum intensum: sed hoc est falsum, ut ipsi fatẽtur, nam quamvis albedo sit per se intẽsa, non reddit subiectum per se intensum; ergo &c. Confirmatur, quia cum tota essentia accidentis sit in ordine ad subiectum, semper illi tribuit rationem formalem, & propriam per quam constituitur, ut patet inductione in omnibus, nam Quantitas facit extensum; Relatio ordinatum ad aliud, Vbi præsens in spatio, sed qualitas non facit subiectũ intensum, ergo intensio non est ratio formalis ipsius constitutiva.

Dicent: Præsentiam Angeli in spatio divisibili esse extensam, & non facere aut denominare Angelum extensum. Sed cõtra: quia propria ratio præsentiæ extensę non est facere subiectum extensum in se, sed illud constituere in spatio extenso, & divisibili, quod præstat in Angelo præsentia extensa.

Definiunt postremo alij qualitatem: Accidẽs absolutum intrinsecum perficiens substantiã, vel in se, vel in ordine ad operationem. Sed perperam. Primo, quia nulla ratio superior definiri debet per differentias contrahentes, non enim animal definiendum est per relatione, vel

in Cõmẽ, ar ticuli 5.

Tom. 3. in 3 par. ad q. 63

11. 2. q. 49 art. 2.

irrationale; sed perficere substantiam, vel in ordine ad se, vel in ordine ad operationem, sunt differētiæ contrahētes qualitatē, ergo. Cōfirmatur, quia differentię cōtrahentes sunt accidētales rationi superiori ut sic, animal enim formaliter neque est rationale, neque irrationale, sed vivens, sentiens; ergo nulla ratio superior definienda est essentialiter per differētias contrahentes. Secundo. Ratio qualitatis præcisa convenit, & includitur essentialiter in quovis inferiori, sed esse perfectivam substantiæ in se, vel in ordine ad operationem, non convenit cuicunque inferiori, ergo &c.

Vt vera sententia exponatur observandum est, substantiam creatam, cum sit finita & limitata, non cohibere in se omnem perfectionem, qua eget ut sit in se perfecte constituta, quam ob causam ei adduntur accidentia ut ipsam ornent, & perficiāt aliquod esse accidentale communicando, & licet id sit omnibus commune, peculiari quadam ratione convenit qualitati quę instituta est ānatura ad substantiam primo & per se ornandam & perficiendam, ut bene constituta sit, vel ratione existendi, vel agendi.

Ita Suarius disp. 42. sec. 1. nu. 5. Conimbric. his q. 1. artic. 1. Noster Blārb tic sectio. 2. Placet multis recentiorib⁹, nec omnino displicet

Sit assertio. Essentia qualitatis est esse accidēs per se primo perfectivum substantiæ. Probatur primo: Quia hæc ratio est communis omnibus qualitatibus, tam naturalibus, quam supernaturalibus; ergo hæc est essentia illarum in communi. Antecedens probatur: nam omnes species qualitatis ab Aristotele enumeratæ, vel perficiunt substantiam in exsistendo vel operando, ergo ratio accidentis perfectivi abstrahens à perfectivo in essendo, vel operando, erit ratio essentialis communis multis. *Hurta. disp. 14. Metaph. §. 4.*

Secundo: Per hanc rationem discrepat ab alijs accidentibus, nam tametsi omne accidens aliquo modo perficiat substātiam, cum illi tribuat suū esse, quod aliquam perfectionem dicit, tamen id habet qualitas primo, & per se, & veluti ex prima sui institutione, nam alia accidentia semper tribuuntur substātiæ ratione alterius effect⁹ formalis, videlicet Quātitas ut sit substātia extensa impenetrabiliter, Relatio ut referat illam ad aliud, Actio ut reddat illam agentem, Passio patientem, Duratio ut perseveret in suo esse, Vbi ut sit præsēs loco, Situs ut habeat partes in loco ordinatas, Habitus ut habeat aliquod ornamentum extrinsecum, at qualitas solum est concessa substantiæ ut illam ornet atque perficiat, vel in suo esse ut albedo, vel in virtute operandi, ut intellectus species intelligibiles, &c.

Postremo adde ex Alberto. Hanc rationem constitutivam qualitatis, & distinctivam eius ab aliis, fuisse indicatam ab Aristotele cum dixit, à qualitate fieri subiectum quale, id est, perfectum; quo modo eius definitio sustineri potest, & profecto nequit aptius qualitatis essentia exprimi, ut liquet ex aliarum opinionum confutatione. *In Predica. cap. 1.*

Oppones primo cum Hurtado. Quantitas etiam complet, & perficit substantiam, ergo &c. Antecedens probatur, nam quantitas cum sit proprietas materiæ

teriæ primæ, non potest non esse eius perfectio intrinsecastum etiam per se facit ad ornatum substantiæ; etenim pulchritudo exigit partium convenientem extensionem. Respondeo. Quantitatem primo & per se tribuere extensionem subiecto, & quia hæc extensio est entitas, consequenter communicare illi aliquam perfectionem veluti transcendentalem consequentem ens ut sic. Vnde con convenit ei essentia qualitatis quæ per se primo, & veluti prædicamentaliter perficit substantiam. Præterea extensio ipsa solum facit ad pulchritudinem, sicut tabula levis ad picturam præsuppositive, quo circa, ipsa neque est perfectio proprie, neque pulchritudo.

Oppones secundo. Calor destruit substantiam aquæ, & actus, & habitus vitij, & erroris fœdant substantiam animæ, & tamen sunt qualitates, ergo &c. Respondeo. Calorem perficere ignem, cui primo datus est, neque est opus ut perficiat aquam, dum non sit ei à natura tributus, sed contraria qualitas. Actus autem, & habitus vitij, & erroris, tametsi non sint perfectio moralis, id est, naturæ rationalis, quatenus appetit consentaneũ rationi, sunt tamen perfectio materialis, & entitativa illius secundum esse naturæ spectatæ, quia cum actus, verbi gratia erroris, sit actus vitalis, & similiter actus vitij, suam peculiarem perfectionem entitativam obtinẽt, eamque subiecto communicant, & sic illud perficiũt. Similiter philosophandum est de alijs qualitatibus, quæ infectionem potius quam perfectionem videntur afferre.

Deducitur primo ex dictis. Qualitatem essentialiter definiri, Accidens per se primo perfectivum substantiæ. Accidens est ratio communis omnibus accidentibus. Perfectivum differentialis, per quam discrepat ab omnibus illis. Quare in hac definitione non est addẽda particula (absolutum) ut qualitas discreper à relatione, ut voluit magister meus Blanch cum non pauciesnam cum ratio perfectivi solum conveniat qualitati, illam sufficienter distinguit à Relatione.

Deducitur secundo. Probandam non esse illam definitionem, quam præ ceteris elegit Médoça citatus. Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum, nam per hanc non declaratur quid sit qualitas, sed tantum de ea cognoscitur non esse relationem, neque quantitatem, quid autem sit, prorsus ignoratur.

DVBIVM II.

Divisio qualitatis Aristotelica expenditur.

QValitatem divisit Aristoteles in quatuor species, quarum prima est, Habitus & Dispositio. Secunda: Potentia, & Impotentia. Tertia: Patibilis qualitas, & Passiõ. Quarta: Forma, & Figura, circa hanc divisionem quærimus primo, An sit adæquata. Secundo, An immediata.

Dico

Sic Philoſophi fere omnes, & Theologi.

Dico primo. Sufficiés & adæquata eſt iſta diviſio. Probatur, nam qualitas natura ſua eſt accidens perfectivum ſubſtantiæ creatę, ſubſtantia autem cũ duo tantum habeat, & eſſe, & operari, in his duobus tantum poteſt illam qualitas perficere. Si perficiat in eſſe, illam fovendo & ornando in ſeipſa ut res & forma perfecta, eſt tertia ſpecies Ariſtotelica, ſcilicet patibilis qualitas, & paſſio; ſi perficiat ut modus, & terminus extenſionis, eſt quarta ſpecies, videlicet figura, & forma; ſi in ordine ad operationem ut principium neceſſarium, vel ad illam recipiendam, vel eliciendam per ſe primo inſtitutum, eſt ſecunda ſpecies, ſcilicet potentia & impotentia; ſi perficit inclinando, & diſponẽdo ad operationem, ſupponendo facultatem, eſt prima ſpecies habitus, & diſpoſitio: Atqui nequit inveniri ulla qualitas, quę non aliquo ex his mẽbris contineatur, ergo eſt ſufficiens, & adæquata Ariſtotelica diviſio.

Objcitur primo. Pulchritudo & ſanitas ſunt qualitates, ſed non continentur ſub aliquo ex his membris; ergo diviſio non eſt adæquata. Reſpondeo, pulchritudinem, & ſanitatem non eſſe qualitatis ſpecies, cum ſint entia per accidens ex varijs rebus aggregata, nam ſanitas eſt aggregatum ex primis qualitatibus, ſcilicet, frigore, calore, &c. redactis ad certam temperiem. Pulchritudo vero etiam non eſt aliqua ſimplex entitas, ſed quid conflatum ex figura, colore, & proportione aliarum rerum: unde ratione ſui non ſpectant ad aliquam ſpeciem qualitatis, ſed revocantur per partes ad varias qualitates, ex quibus coaleſcunt.

Nec refert quod Ariſtoteles aliquando eas adduxerit uti exẽpla aliarum ſpecierum, nam in exemplis, ut ipſe teſtatur, non requiritur veritas in omnibus.

Objcitur ſecundò. Ariſtoteles hic poſtquam qualitates diſtinxit in quatuor ſpecies, aſſerit fortaſſe poſſe inveniri alias qualitatis ſpecies, ergo non eſt adæquata diviſio. Reſpõdeo Ariſtotelem non protuliſſe illa verba quaſi cenſeret plures eſſe ſpecies, ſed ut excitaret torpentia philoſophorum ingenia ad inveſtigandas alias ſpecies ſi eſſent.

Dico ſecundo: Præfata diviſio non eſt immediata. Probatur: quia duæ priores ſpecies, ſcilicet, habitus & potentia, conveniunt in ratione qualitatis operativę, & aliæ duæ, videlicet patibilis qualitas, & figura, in ratione qualitatis non operativæ: ergo iſta duo genera ſunt immediate infra qualitatem in communi, & ſupra illas quatuor ſpecies, ergo poterit immediate dividi qualitas in operativam, & non operativam. Deinde operativa in habitum, & potentiam, & non operativa in patibilem qualitatem & figuram. Secundo ſecari poteſt qualitas in eã quæ eſt modus, & in illã quę eſt res. Qualitas quę eſt modus eſt figura, quævero eſt res ſubſecari poteſt in operativam, & non operativã, & iſtæ in varias ſpecies, iuxta dicta, ergo hæc Ariſtotelica diviſio non eſt immediata.

Dices ergo non eſt bona Ariſtotelis diviſio, quia hæc debet tradi ſemper per immediata mẽbra.

bra. Respondeo ad institutum Aristotelis optimam esse, nã per illam satis explicauit varias species qualitatis, quod intẽdebat. Deinde quia ex illis facile erat alias immediatiores species colligere.

DVBIVM III.

De Patibili Qualitate & Passione.

ARistoteles prius explicat species, quę perficiũt subiectum in ordine ad operationem, ut habitum & dispositionem, potentiam & impotẽtiam; & postea, quæ perficiunt in ordine ad se, ut patibilẽ qualitatem, & passionem, formam, atque figuram; nos tamen prius de his, quam de illis disputabimus: quia sicut prius est naturã exsistere in se, & postea operari, ita etiam prius est in suo esse, & exsistentia perfici, & postea in ordine ad operationem.

Passio plura significat, præcipue tamen significat receptionẽ formæ in subiecto; & quia huiusmodi receptio in alteratione sensibili maxime cernitur, ideo in præsenti qualitas quæ per talem actionem fit, Passio appellatur. Et quoniam qualitas, quæ per alterationem sensibilem fit, aliquando subito tranfit, ut rubor ex verecundia, pallor ex metu; aliquando vero est stabilis, ut idem color rubrus, & pallidus, quando conveniũt à natura, ideo qualitas, quę priori ratione se habet, vocatur ab Aristotele Passio, quia hæc magis videtur significare rem in fieri, quam in facto esse; quæ vero posteriori modo se habet, Patibilis qualitas dicitur. Vsus est autem Aristoteles his nominibus, non quod exsistimarit qualitates omnes tertiæ speciei esse sensibiles, sed quia istæ nobis sunt magis familiares, & notæ; qualitas enim tertiæ speciei etiam ad insensibiles & spirituales se extendit.

Dico primo Patibilis qualitas, & passio non bene definitur per se primo immutativa sensus, ut color, sapor, sonus. Primo, quia dantur qualitates pertinentes ad hanc speciem, quæ non sunt immutativę sensuum, scilicet gratia, quæ est in anima, & characteres producit à sacramentis, quæ cum qualitates spirituales sint, nequeunt adhuc de potentia absoluta videri, aut sentiri, & tamen pertinent ad hanc tertiam speciem, quia cum non sint primo & perse operativæ, neque modi, ad primam vel secundam, vel quartam speciem pertinere minime possunt, ergo &c. Deinde, actus intellectus & voluntatis pertinẽt ad hanc tertiam speciem, ut docebitur suo loco, & tamen non possunt percipi à sensibus. Si autem respondeat quispiam per sensum intelligi etiam intellectũ à quo possunt cognosci, impugnabitur facile, nam omnes res & qualitates essent huius speciei, cum possint percipi ab intellectu, & mutare illum. Demum falsum est obiecta sensuum, v. g. albedinem, sonum, &c. primo & per se ordinari ad mutandum sensum, quia hoc convenit illis consequenter, sicut homini v. g. non convenit primo & per se intelligi ab intellectu, sed consequenter.

Obijcis, Aristotelem hanc speciem per vim immutandi sensum definientem. Respondeo non intendisse definire omnem qualitatem huius speciei, sed tãtum illam, quæ sensibus patent, qua cognita, omnis alia qualitas patefiet.

Dico secundo: Patibilis qualitas & Passio ita potest essentialiter definiri: Qualitas per se primo perfectiva subiecti, ut res. Qualitas est genus, cætera differentiæ. Per se primo perfectiva subiecti in ordine ad se, discrepat eam à potentia & impotẽtia, habitu, & dispositione, quæ sunt perfectivæ per se primo in ordine ad operationem. Vt res, à figura secernit, quæ est modus.

Dico tertio. Patibilis qualitas & passio solum discrepant accidentaliter. Probatur ex Aristotele, docente solum distingui per brevem & diuturnam durationem in subiecto, sed brevis & diuturna duratio solum differunt accidentaliter, ergo, &c. Minor probatur, quia color durans multo tempore in homine, cui convenit connaturaliter, rõ differt essentialiter ab eo, qui parum durat in alio homine, in quo ex verecundia oritur. Tum etiam calor in igne diuturnus est, & in aqua parum stabilis, & tamen solum differunt accidẽtaliter, & sunt eiusdem speciei; ergo duratio diuturna & brevis non distinguit res essentialiter, atque adeo patibilis qualitas & passio non differunt essentialiter.

Obijcies. Diuturna & brevis duratio est signum distinctionis essentialis, quando illam petunt per se qualitates: unde cum dentur qualitates aliquæ, quæ natura sua petunt diu permanere, v.g. albedo, calor ignis, &c. & dentur aliæ, quæ natura sua postulant cito defluere, ut sonus, istæ distinguuntur essentialiter ab alijs, & ita dici poterit patibilem qualitatem esse specie distinctam à passione, nam illa petit ex natura sua diu permanere, hæc vero cito transcire. Respõdeo, in primis certum esse durationem diuturnam & brevẽ absolute non esse differentias essentiales, quod nobis sufficit, cum passionem vocitemus quãcunque qualitatem cito transeuntem, quamvis id non petat natura sua, & patibilem qualitatem omnem illam diu permanentem, quamvis non sit ita ex natura sua. Negari tamen non potest qualitatem natura sua diu durantem, essentialiter differre à qualitate natura sua cito transeuntem; verum hoc non provenit ex communi ratione passionis, aut patibilis qualitatis, sed ex peculiari natura alicuius: unde non convenit omni passioni, & omni patibili qualitati, & hac ratione etiam intra limites patibilis qualitatis dantur qualitates essentialiter distinctę propter suas speciales rationes; quare rationes formales passionis & patibilis qualitatis solum arguunt distinctionem accidentalem, licet aliquando istæ rationes reperiantur in qualitatibus aliũue essentialiter distinctis.

Ex dictis colligitur, ad hanc speciem pertinere omnes qualitates, quæ per se primo ordinantur ad perficiendam substantiam in suo esse, & sunt res, & non modi: huiusmodi autẽ sunt gratia

gratia habitualis, characteres, actus vitales, primæ qualitates, & obiecta sensuum. Neque obstat calorem v. g. esse productivum alterius caloris, & obiecta sensuum producere species in potentijs, quia hoc non habent primo & per se, sed secundario & consequenter, in quo consistit discrimen inter intellectū agentem, & obiecta sensuum; nā intellectus agens per se est institutus à natura, ut producat species intelligibiles, ita ut secluso hoc munere, superfluus esset; at vero obiecta sensuum primo & per se perficiunt sua subiecta, & consequenter habent producere species in potentijs, & ideo intellectus agens ponitur in secūda specie qualitatis, obiecta vero sensibilia simul cū alijs qualitatibus assignatis, collocātur in hac tertia specie.

DVBIVM IIII.

De Forma & figura.

FIgura hic accipitur pro quodam modo resultāte in corpore, & termināte eius extensioné, Forma vero pro eodē modo, nam unus & idem modus appellatur à Mathematicis figura, quatenus consideratur abstractus à subiecto; à Philosophis vero vocatur forma, quatenus consideratur in subiecto: ex quo infertur formam & figurā solum distingui accidentaliter, nam hoc vel illo modo considerare illam, non potest variare illius essentiam, cum sit aliquid extrinsecum.

Assero primo. Quarta qualitatis species, scilicet forma & figura, ita essentialiter definitur: Qualitas terminans extensionē rei. Qualitas est genus, altera pars est differētia, per quam differt hæc species ab alijs: unde sub hac specie qualitatis continentur raritas, & densitas, asperitas & lenitas, quia sunt qualitates modales aliquo modo terminantes extensionem rei: raritas est modus, quo parva materia ita disponitur, ut possit occupare maiorem locum: densitas est modus, quo magna materia ita disponitur, ut possit occupare minorem locum: asperitas est modus ortus ex inæquali dispositione partium rei: lenitas vero est modus ortus ex æquali & suavi dispositione partium rei. Quare omnes istę qualitates modales continentur sub figura generice & late sumpta, tametsi figura specifice & stricte sumpta solum supponat pro qualitate modali inseparabiliter sequente partes rei ut dispositas in ordine ad se, & prout hoc vel illo modo inter se unitas præcise sive rēs rarefiant, sive condensentur.

Vt magis liqueat essentia figuræ, noto primo: Partes quantitatis, exempli gratia, trifariā posse considerari. Primo, quatenus inter se sunt unitę, ita ut prima pars sit immediate unita secundæ, & secunda tertiæ, &c. & modus consequens huiusmodi unionem, & dispositionem partium in ordine ad se vocatur figura. Secundo, quatenus absolute correspondent spatio, quidquid sit de dispositione partium inter se, & modus consequens partes quantitatis ut sic, dicitur ubi. Tertio, quatenus partes disponuntur in ordine ad locum,

ut scilicet sint in tali distantia, propinquitate, & dispositione in ordine ad locum, & modus consequès partes quantitatis, ut sic nuncupatur situs, & etiam vocitari solet figura localis, quo pacto ad cathegoriam Situs spectat. Ad hanc vero speciem pertinet primus modus ex tribus memoratis.

Noto secundo: Præfatos modos inter se realiter discrepare. Probatur: Nam in Christo domino in Eucharistię mysterio permanet primus modus sine tertio cum partes quantitatis sint primo modo dispositæ, & non secundo: caput enim est immediate unitum collo, & non pedibus vel manibus, &c. sine ulla dispositione in ordine ad locũ, quia hæc dispositio effugitat, ut una pars non sit in loco in quo est alia. Rursus quãdo Christus Dominus movetur in Sacramẽto, variatur secundus modus, scilicet ejus præsentia, seu ubi, & tamen permanet illius primus modus cum semper permaneant partes unitę, & dispositæ eodem modo in ordine ad se; ergo realiter differt primus modus à secũdo, & tertio. Ex dictis constat etiam secũdum modum, scilicet ubi, seu præsentiã distingui realiter à tertio, nempe à situ. Nam in eodem Christo reperitur ubi, seu præsentia, & non reperitur situs, ut vidimus; tum etiam cõstat in corpore rotundo, in quo quando movetur variatur præsentia, & tamen non variatur situs, quia semper retinet eandem dispositionem partium in ordine ad locum.

Assero secundo. Figura non solum reperitur in quantitate, sed etiam in substantia, & alijs accidentibus materialibus. Probatur, quia substantia materialis, & alia accidẽtia habent partes entitative distinctas, & inter se unitas, & dispositas ita, ut quædam cum quibusdam immediate, cum alijs vero mediate copulentur, ergo etiam in substantia materiali, & alijs accidentibus illius debent resultare proprię figuræ, sicut propter cãdem rationem resultant in quantitatibus.

Confirmatur. In substantia, & alijs accidentibus resultant propriæ præsentiæ, ergo & propriæ figuræ, non enim est maior ratio unius quam alterius.

Assero tertio. Figura substantiæ & accidẽtium materialium spectant etiam ad hanc qualitatis speciẽ. Probatur primo, quia nulla est ratio cur excludantur à ratione qualitatis, & consequenter ab hac specie, ergo spectant. Probatur antecedens, quia si propter aliquã rationem excluderentur, maxime quia fundantur in substantia, & alijs accidentibus, & ita quæ fundatur in substantia erit substantia, id est, modus substantialis reductivæ pertinens ad categoriam substantiæ, sicut subsistentia, & idem est de figuris aliorum accidentium, sed hæc ratio est nulla, ergo &c. Minor probatur, nã ubi fundatum in substantia non est substantia, & relatio fundata in substantia non est substantia, nec ponuntur illi modi reductive in categoria substantiæ, ergo nec figura. Probatur secundo à priori, quia figura non est complementum illius rei, quam afficit, sed consequitur eãdem completam & constitutam ex partibus talis sit, ergo non spe-

spectant ad idem prædicamentum cum sua re, sicut nec relatio, ubi, &c. propter similem rationem. Confirmatur. Figura quantitatis non est quãtitas, sed qualitas; ergo nec figura substantiæ erit substantia, sed qualitas, & sic de alijs.

Dices: Subsistentia substantiæ est substantia, ergo figura substantiæ pariter erit substantia. Nego consequentiam, nam subsistentia complet substantiam in suo esse, minime vero figura.

Assero quarto. Figura substantiæ quantitatis, & aliorum accidentium specie discrepantium specie discrepãt. Probatur, quia sunt modi afficientes, & omnino necessario modificãtes subiecta specie distincta, ergo & specie distinguuntur. Confirmatur, quia modi unionum substãtialium propter formas specie distinctas, quas uniunt; & subsistentiæ propter naturas specie diversas quas terminant, differunt specie, ergo & figuræ propter subiecta specie diversa, quę terminant: omnes enim æque sunt modi.

Dices primo: Albedo & similes qualitates non distinguuntur specie eo quod insint diversis specie subiectis, ergo neque figuræ. Nego consequentiam, discrimen enim est latum, nam albedo, & similes qualitates sunt res, figura vero est modus, & determinatio subiecti, & ita ab illo pendet, ut nec divina potentia possit ab eo separate cõservari.

Dices secundo: Præsentiæ sunt modi, & tamen in diversis specie subiectis sunt eiusdem speciei, ergo solutio allata non est optima, sed retorqueo argumentum, nam istæ præsentiæ, ut in Physicis ostendam, specie distinguuntur, ergo & figuræ: unde fit figuram esse speciem subalternam, cum sub se contineat figuras specie diversas.

DVBIVM V.

De Potentia, & Impotentia.

MONEO primo: Hoc nomen potentia multa significare Primo, quamcunque non repugnantiam, qua ratione res non existentes dicuntur habere potentiam obiectivã ad existendum, quæ vagatur per omnia prædicamenta. Secũdo significat, quamcunque realem agendi virtutem, aut recipiendi, qua ratione cõperit substantiis, quæ nullo medio accidente eliciunt suas proprietates, & recipiunt accidentia. Tertio, significat primum principium accidentale per se primo institutum ad aliquid agẽdum, vel recipiendum, ut intellectus, voluntas, &c. & hac ratione à nobis hic sumitur.

Moneo secundo: Impotentiam si vim nominis attendamus, significare negationem, & privationem potentiæ, qua ratione nihil est reale positivum. Deinde significare potest aliquam realem potentiam collatam cum actibus alterius potentiæ, respectũ quorum dici potest impotentia, eo quod illos nequeat producere. Demũ signifi-

qualitatem aliquam positivam per se primo institutam ad operandum, ut primum principiũ, quę tamen, quia impedita est & imbecillis, ita ut nequeat in actum prodire, impotentia vocitatur, ut potentia ad ambulandum in ægroto, intellectus ad intelligendum in puero, qua ratione hic à nobis capitur.

Dicendum primo. Naturalis potentia optime definitur: Qualitas per se primo instituta, ut primũ principium ad agendũ, vel recipiendum non impedita tamen. Impotentia vero hac ratione: Qualitas per se primo institura, ut primum principium ad agendum, vel recipiendum impedita tamen. Ex dictis istæ definitiones liquent.

Dicendum secundo. Potentia & impotentia solum differunt accidentaliter. Probatur, quia Potentia, & Impotentia solum discrepant per esse impeditam, & expeditam; sed facultatem aliquam esse impeditam, & expeditam, non sunt differentiæ essentiales, sed accidentales, nam eadem numero potẽtia, quę modo est impedita, ut intellectus in pueris, & potentia currendi in ægrotis, postea decursu temporis est expedita, ut quando puer ad provectiorem ætatẽ accedit, & ægrotus pristinam valetudinem recuperat, ergo potẽtia, & impotentia solum differunt accidentario.

Colligitur primo, ex dictis. Hoc secũdum dictum etiam esse verum, si nomine potẽtiæ intelligamus realem aliquam potentiam collatam cum actibus alterius potentiæ, nam tametsi quælibet determinata potentia consequenter sit impotentia in ordine ad actus alterius potentiæ, quos nequit producere, tamen per se primo est potentia in ordine ad actus proprios, quos elicere, aut recipere potest, ut liquet in visu, qui licet sit impotentia in ordine ad audibilia, est tamen potentia in ordine ad visibília.

Colligitur secundo. Hanc secundam speciem secundum suã essentiam ita debere definiri: Qualitas, quæ est primum principium per se primo ordinatum ad operationẽ. Qualitas genus est, quo differt à forma, & quavis alia virtute agendi substantiali, & convenit cum alijs qualitatibus. Reliquę sunt differentia, ponitur principium primũ, ut discripet à principio proximo superaddito, ut sunt habitus & species impressæ. Additur per se primo ordinatũ ad operationem, ut discriminetur à qualitatibus tertiæ & quartæ speciei, quæ primo, & per se ad operationem minime diriguntur.

Postulabis primo. An potentia pure activa, & activa simul, & passiva sint qualitates huius speciei. Respondeo affirmative, quia utraque potentia univocè convenit in ratione potentiæ, ergo utraque cõtinetur sub hac specie. Illustratur exẽplis. Potẽtia purè activa est illa, quæ elicit actionem transeuntem, quã in se non recipit, ut potentia nutritiva, & loco motiva, & virtus magnetis. Potentia vero activa, & passiva simul, est illa, quæ elicit actionem immanentem, & in ipsa receptam, ut intellectus, voluntas, visus, &c. Sed omnes istæ qualitates pertinent ad hãc speciem, ut constat ex illius definitione, ergo &c.

Po-

Postulabis secundo. An detur qualitas, quæ sit potentia pure passiva. Respõdeo, de facto non dari, possibilem tamen esse. Suadetur prima pars primo: nam ut substãtia recipiat accidẽtia, non eget qualitate aliqua superaddita, sed seipsa sufficiens est, ergo non datur qualitas, quæ sit potentia pure passiva. Secundo suadetur inductione, nam si aliqua esset, maxime siccitas, humiditas, & diafaneitas; sed hæ nõ sunt, ergo nulla datur. Minor probatur, nam licet humiditas & siccitas disponant materiam ad receptionem formæ substantialis, vel accidentalis, tamen illas in se non recipiunt; & licet diafaneitas disponat subiectum ad recipiendum lumen, illud in se minimè recipit. Deinde istæ qualitates etiam sunt activæ quamvis non primo & per se.

Suadetur secunda pars, quia nulla est ratio propter quam non possit divinitus dari aliqua qualitas, quæ sit per se primo ordinata ad recipiendum aliquod accidens, sicut de facto datur aliqua substantia, scilicet materia prima, per se primo ordinata ad formam substãtialem recipiẽdam; ergo dicendum est illam esse possibilem. Ex quo cõstat, sub hac specie collocari potentiam pure passivam, nam cũ hæc sit possibilis, collocari debet in aliqua categoria, & specie, sed in nulla potest nisi in hac, ergo in hac collocatur. Confirmatur quia ut aliqua res collocetur in categoria, non exigitur illius existentia, sed sufficit essentia realis possibilis; ergo cum ista qualitas pure passiva sit realiter possibilis, tametsi de facto non existat, poterit in hac categoria, & sub hac secunda specie collocari.

Postulabis tertio. Num potentia violenta, & coacta collocetur in hac specie. Respondeo affirmative: nã impulsus est qualitas per se primo instituta ad operandum ut primum principium, ergo est potentia pertinẽs ad hanc speciem, atqui dicitur potentia violenta in lapide, si fit versus partem superiorem, quia est contra inclinationem naturalem eius, & in homine coacta si fit contra voluntatem hominis, quia est contra inclinationem elicitam, id est contra actum elicitum voluntatis, ergo hæ potentiæ collocãtur sub hac specie. Noto hic. Potentiam nõ dici violentam, vel coactam respectu sui actus, quem producere potest, nam sic semper est naturalis, cum ad illum natura sua ordinetur & inclinetur, sed solum respectu subiecti in quo est. Declaratur exemplis. Impulsus sursum impressus lapidi in ordine ad proprium actũ, scilicet ad motum sursum, est potentia naturalis, & respectu lapidis in quo recipitur, est potẽtia violenta. Similiter impulsus impressus homini contra eius voluntatem est connaturalis respectu motus ad quem inclinatur, & coactus respectu hominis.

Postulabis quarto. An Potentia obedientialis contineatur sub hac specie. Respondeo negative, nã potentia obedientialis nõ est aliqua qualitas superaddita, sed ipsamet entitas creaturæ, quatenus est subiecta Deo, & quatenus ab illo potest elevari ad agendum vel recipiendum aliquid, superans eius vires: qua ratione potentia obediẽ

tialis

tialis animæ ad recipiẽdam gratiam est ipsamet entitas animę: unde potentia obedientialis in substantijs est substantia, in accidentibus accidens, atque adeo vagatur per omnia prædicamenta, ergo non pertinet ad hanc speciem.

Dices, ergo saltem potentia obedientialis, quæ est in qualitate, v.g. in intellectu ad visionem beatificam, & ad actum fidei spectabit ad hanc speciem. Respondetur negando consequentiam: nam licet entitas illa, quæ est potentia obedientialis, pertineat ad hanc speciem quatenus est potentia naturalis ordinata primo, & per se ad operationem naturalem, non tamẽ pertinet ut obedientialis est formaliter, quia ut sic non ordinatur primo, & per se ad actus supernaturales, neque ab illis specificatur, quod exigitur ad hoc ut aliqua potentia contineatur sub aliqua specie.

Postulabis quinto. An potentia neutra spectet ad hanc speciem. Respondeo, si nomen potentiæ neutræ improprie usurpetur, & tribuatur potentię non determinatæ ad hunc numero actum, sed indifferẽti ad hunc, vel illum, qualiter intellectiva potentia indifferens est ad hanc, vel illam intellectionem producendam, vel recipiendam, spectare ad hanc speciem; at si nomen potentię capiatur proprie quatenus significat potentiam ad nullum actum ordinatam, sic nec datur talis potẽtia, nec si daretur, collocanda esset in hoc prædicamento, nam prędicamentalis potentia ordinatur per se primo ad aliquem actum vel operationem, ut constat ex definitione potentię, atqui talis potentia ad nullum actum ordinaretur, ergo non esset potentia prædicamentalis.

Postulabis sexto. An potentia resistiva ponatur sub hac specie. Respondeo nẽgative. Probatur: quia duplex est potentia resistiva, una activa, quæ resistit agendo, & debilitando contrarij vires, quo pacto calor frigori resistit; altera formalis, quæ resistit informando tantũ suum subiectum; quomodo densitas, & durities ferro, albedo nigredini resistunt, sed nulla ex his ponitur, ergo &c. Probatur minor, nam in primis potentia resistendi activa quamvis producat aliquid in subiecto contrario, & ita habeat actum secundum, tamen non ordinatur ad talem actũ primo, & per se, sed secundario, & consequenter, ut patet in calore, ergo nõ est sub hac specie; si autem daretur aliqua qualitas, quæ simul resisteret efficienter, & esset ordinata natura sua primo & per se ad actum secundum, esset vera qualitas huius speciei. Deinde potentia resistiva formalis non est actus primus ordinatus primo, & per se ad actum secundum producendum, vel recipiẽdum, ergo non est vera potentia spectans ad hanc speciem. Confirmatur, quia nulla datur qualitas per se primo ordinata ad resistendum formaliter, nam albedo v. g. solum est instituta ad perficiendum subiectum, & consequenter, & quasi per accidens ad resistendum nigredini, & idẽ est de alijs; sed ut qualitas spectet ad hanc speciem, debet esse primo & per se ordinata ad suũ actum, ergo potentia resistiva

non

non ſpectat ad hanc ſpeciem.

Dices, potentiam reſiſtivam etiam habere actum ſecundum, licet nõ poſitivum, ſed negativum ſolum, ſcilicet retardationem contrariæ actionis. Reſpõdeo non poſſe proprie vocari actum ſecundum, nam actus ſecundus debet eſſe proportionatus actui primo; unde ſi actus primus, ſcilicet potentia, eſt poſitivus, etiam actus ſecundus debet eſſe poſitivus; ſi vero actum ſecundũ late capiamus pro quacunque re, ad quam alia dirigitur, hac ratione verum eſt poſſe dici actum ſecundum, nego tamen illum eſſe ſufficientẽ ad potẽtiam huius ſpeciei conſtituendam. Quidquod nulla datur qualitas per ſe primo ordinata ad talem actum negativum.

Collige in calce huius dubij ex dictis, poni ſub hac ſpecie omnes potentias vitales pure activas, tum etiam activas ſimul, & paſſivas, quales ſunt intellectus, voluntas, viſus. Claudit præterea qualitates quibus in ſuum locum & centrum elementa feruntur, ut gravitas, levitas, impulſus, & virtutes agẽdi occultæ herbarum, & lapidũ, quales in magnete, & ſuccino experimur, ratio omnium eſt, quia ordinãtur per ſe primo ad operandum tãquam primum principium accidentale.

DVBIVM VI.

De habitu & diſpoſitione.

OBſerva primo, multifariã uſurpari habitum. Primo pro qualibet forma poſitiva, ſic dicitur ab Ariſtotele habitum, & privationem privative opponi. Secundo, pro quolibet ornamento corporis, & ſic habitus eſt ſubſtantia. Tertio pro illo accidente, quod reſultat in corpore ex applicatione veſtis, vel alterius ornamenti ad ipſum corpus, ut ueſtitum eſſe, ornatum eſſe, &c. quo pacto ſpectat ad ultimam categoriam. Quarto, pro facilitate, ſeu qualitate addita potẽtiæ ad operandum relicta ex frequentatione actuum, quæ dat propenſionẽ, & inclinationem ad ſimiles actus eliciendos. Demum habitus uſurpatur pro eo quod additur potentiæ ad operandum, ſive id ſit ad facile, ſive ad ſimpliciter operandum, qua ratione complectitur, non ſolum habitus naturales, qui adduntur potentiæ ad facile operandum, ſed etiam ſupernaturales, & ſpecies intentionales, & intelligibiles; ſine quibus non poſſumus operari. Et in hac quinta acceptione, in qua à nobis ſumitur, definitur habitus, Qualitas addita potentiæ ad operandum. Vnde habitus differt à potentia, quia eſt quid additum potentiæ; à patibili qualitate & figura, quia iſtę non ſunt primo ordinatæ ad operandum.

Obſerva ſecundo, diſpoſitionem plures etiam habere ſignificationes. Primo, ſignificat ordinem partium alicuius rei in ordine ad locum: qua ratione conſtituit categoriam ſitus. Secundo, quidquid diſponit materiam ad formam ſubſtantialem recipiendam: qua ratione calor eſt diſpoſitio ad ignem. Tertio, quidquid diſponit ad operandũ, & hoc modo complectitur ſub ſe ſpecies impreſſas, & habitus

Capite 7.

bitus naturales,& ſupernaturales. Quarto, ſignificat qualitatem diſponẽtem ad operãdum, facile tamen mobilem à ſubiecto. Difficultas ergo eſt,an habitus & diſpoſitio prout pertinẽt ad qualitatem, diſcrepent eſſentialiter.

Sit concluſio. Habitus & diſpoſitio ſolum diſcriminãtur accidentaliter. Probatur ex Ariſtotele, aſſerente diſpoſitiones eſſe illas qualitates, quæ facile poſſunt à ſubiecto dimoveri,quæ ſi decurſu temporis difficile ſint mobiles, habitus ſunt;ergo iuxta Ariſtotelem diſpoſitio fieri poteſt habitus;ergo ſolum differunt accidentaliter: ſiquidem una res migrare non poteſt in aliam eſſentialiter,& ſpecie diverſam. Cõfirmatur primo,quia hic Ariſtoteles aſſerit habitum & diſpotionem conſtituere primam ſpeciem qualitatis, ergo ex illius mente non diſtinguuntur ſpecie. Confirmatur ſecũdo, quia in reliquis tribus ſpecieb⁹ geminatæ voces non conſtituũt qualitates ſpecie diſtinctas, ergo neque in hac ſpecie. Secundo, inter Habitũ,& Diſpoſitionem,prout hic uſurpãtur,uulla poteſt aſsignari differẽtia eſſentialis, ut ſtatim conſtabit, ergo non diſtinguũtur eſſentialiter: unde Habitus ſolum diſcrepat à diſpoſitione tãquam perfectum ab imperfecto, & tanquam id quod difficile poteſt moveri, ab eo quod facile poteſt à ſubiecto divelli; & ita habitus ſcientiæ parum intenſus erit diſpoſitio, idem vero multum intenſus dicetur Habitus.

Secunda concluſio, eſſentia Habitus,& Diſpoſitionis,ſolum conſiſtit in eo, quod ſit qualitas addita potentiæ, primo, & per ſe inſtituta ad perficiẽdam ſubſtantiam in ordine ad operationem. Quare ad hãc ſpeciem ſpectant omnes ſpecies impreſſę,intellectus,ſenſus interni, & externi, omnes habitus intellectus omnium ſcientiarum, artium, opinionum, errorum, & omnes virtutes, & vitia habitualia,tum etiam lumen glorię, & habitus ſupernaturales, nam hæc omnia ſunt qualitates,quę adduntur potẽtijs, ut primo & per ſe adiuvent illas ad operandum;hæc autem ſpecies non eſt infima, ſed interiecta, nam poteſt ſecari in varias ſpecies.

Vt autem noſtra ſententia roboretur,proponendi,& refellendi ſunt varij modi exponendi habitum,& diſpoſitionem.

Primus modus eſt aliquorum Thomiſtarum,autumantium habitum & diſpoſitionem ſpecie diſcrepari, ex eo quod Habitus natura ſua ſit difficile ſeparabilis à ſubiecto, diſpoſitio vero facile;eſſe vero facile & difficile mobile à ſubiecto ex ſua natura, differentiæ ſunt eſſentiales iuxta eos,quia conveniũt rebus ex eſſentialibus, & intrinſecis principijs. Vnde ſcientia erit habitus, quia ex natura ſua eſt difficile mobilis à ſubiecto, eo quod fundetur in principijs certis & euidentibus; opinio vero & error diſpoſitiones,quia ſunt facile mobiles à ſubiecto ex natura ſua, eo quod fundentur in principijs incertis, & falſis.

Sed hic modus dicẽdi improbatur primo, quia ut vidimus, habitus & diſpoſitio nequeunt in ſententia Ariſtotelis eſſentialiter diſcriminari,cum diſpoſitio aliquando migret in habitum.

tum. Improbatur ſecundo, quia falſo Thomiſtæ opinionem & errorem in intellectu, & vitium in voluntate removent à ratione habitus. Primo, quia eſt contra Ariſtotelem, diſtribuentem habitum in virtutes & vitia, & contra D. Thomam, dividentē habitus intellectus in eos, qui ſunt virtutes, & in eos, qui non ſunt virtutes, ut opinio, & error. Secundo, quia ſcientia, opinio, & error, vitium, & virtus conveniunt ſinonyme in hoc quod eſt eſſe qualitates ſuperadditas potentiæ, adiuvantes & facilitantes illam in ordine ad operationem, in quo eſſentialis ratio habitus ſita eſt, ergo ſciētia, opinio, & error, vitium, & virtus participant eandē rationem habitus. Confirmatur, quia ſicut ſcientia in principio eſt parum intenſa, deinde vero intenſior fit, & magis radicatur, ita ſimiliter error in principio eſt parum intenſus, & deinde intēſior fit, & magis radicatur. Et idem eſt de opinione, & vitio, ergo ſicut ſcientia dividi poteſt in habitum, & diſpoſitionē, ita & error, opinio, & vitium. Improbatur tertio, nam habitū ſcientiæ eſſe difficile mobilem à ſubiecto, non provenit ex ratione ſpecifica ſcientiæ, ſed ex maiori intenſione, aliter enim habitus ſcientiæ intenſus ut unum, eſſet difficile mobilis à ſubiecto, cum habeat rationem eſſentialem ſcientiæ, ergo opinio magis intenſa erit difficile mobilis à ſubiecto, & conſequenter ſicut ſcientia eſt habitus, ita & opinio. Nec refert ſi dicas, habitum ſcientiæ ut unū ex ſe eſſe difficile mobilem à ſubiecto, quia producitur per demonſtrationem, quæ eſt argumentum euidens, & efficax, & nititur medio certo, & euidenti, facile vero per accidens, & ratione minimę intenſionis. Nam in primis non minus efficax eſt argumentum probabile ad producendum habitum opinionis, cum ſit naturalis cauſa, quam demonſtratio ad producendum habitum ſcientiæ, ergo ſi ſcientia eſt difficile mobilis, quia cauſa per quam producitur eſt efficax, etiam opinio in quocunque gradu erit difficile mobilis à ſubiecto ex natura ſua, quia cauſa à quafit eſt etiam efficax. Deinde non minus nititur medio certo, & euidenti actus ſcientię quam habitus, ſed hoc non obſtante actus ſcientiæ eſt facile mobilis ex natura ſua, ergo & habitus. Verū tamē eſt habitus opinionis, erroris, & vitij non habere cauſas ita firmas, & immutabiles ſicut habitus virtutū & ſcientiarum, hoc tamen ſolum efficit iſtos habitus ſpecie inter ſe diſtingui, non tamen non eſſe habitus in rigore, vel non convenire in ratione qualitatis difficile mobilis.

Ariſtotelis 7. Phyſi. c. 3. tex. 13 D. Tho. 1. 2. q. 57. art. 1. ad 3.

Communis tamē dicendi modus inter recentiores eſt, Habitum eſſe omnem qualitatem ſuperadditam potentiæ ad operandum per modum actus primi, v.g. habitus ſcientiarum, & ſpecies impreſſæ, & cetera huiuſmodi, diſpoſitionem vero eſſe omnes actus primarum potentiarum, v.g. actus immanentes intellectus, & voluntatis.

Ceterū hic modus nobis non placet, quoadvltimum quod addit de actibus immanētibus, autumamus enim illos ad tertiam ſpeciem ſpectare, & non ad pri-

mam. Suadetur primo, quia ex Ariſtotele paſsiones animę ſpectant ad tertiam ſpeciem, ſed ſunt actus immanentes & vitales, ergo omnes actus immanentes ſpectãt ad tertiam ſpeciem. Secundo, quia ad hanc primam ſpeciem ſolum ſpectant qualitates operativæ, quę primo & per ſe perficiunt ſubſtantiam, ordinando illam ad operandum, ad tertiam vero qualitates reales, quæ perficiunt ſubſtantiam in ſuo eſſe, ut albedo calor, &c. ſed actus vitales immanentes, v. g. , cognitio, & amor, perficiunt ſubiectũ in ſuo eſſe, denominando intellectum, & voluntatem intelligẽtem & amantem, & non ordinantur primo & per ſe ad operandum, ſed potius ſunt termini operationum, nam quemadmodum calor eſt terminus calefactionis, ita actus intellectus eſt terminus intellectionis, ergo &c. Tertio, ſi propter aliquam cauſam actus vitales ſpectarent ad primam ſpeciem, maxime quia diſponunt, & efficiunt habitum, ſed hæc ratio eſt nulla, ergo non ſpectant ad primam ſpeciem. Minor probatur, quia actus vitales non ſunt primo, & per ſe ordinati ad producendos habitus, ſed ad informãdas potẽtias, & ad illis tribuendos ſuos effectus formales, licet ſecundario ad id ordinentur, ſicut albedo non eſt per ſe primo ordinata ad producendam ſpeciem ſui, & calor calorem, ſed ad reddendum ſubiectum album, vel calidum; ergo ſicut albedo, & calor in ſententia adverſariorum ad tertiam ſpeciem ſpectant, ita & actus vitales. Nec refert ſi dicas, albedinẽ ornare corpus in ordine ad ſe, & non ad rem extrinſecam, actum vero ornare intellectum in ordine ad obiectum, nam hoc ipſum eſt ornare intellectum in ordine ſolum ad ſe; nam non ornat illud in ordine ad obiectũ tamquã ad perfectionem intrinſecam ipſius intellectus, ſed tãquam ad terminum extrinſecũ illius extrinſecę perfectionis, quod claret in potẽtia, hęc enim non perficit in ſe primo ſubiectum, quia ordinatur ad actum, qui eſt perfectio ſubiecti intrinſeca, unde actus ipſe erit tota, et ultima perfectio ipſius intellectus.

DVBIVM VII.

De diſtinctione ſpecierum qualitatis inter ſe.

Dico primo. Quatuor huius diviſionis membra ſunt diſtinctæ ſpecies. Eſt contra Scotum, autumantem eſſe diviſionem ſubiecti in accidentia, & illa membra ſolum eſſe diverſos modos accidentales. Probatur primo ex Ariſtotele ſæpe vocante hæc membra ſpecies, vel genera. Secundo, quia ſi differẽtiæ aſsignatę ſunt accidentales, nullæ ſunt nobis notæ, & fortaſſis neque eſſe poterũt aliæ eſſentiales differẽtię qualitatis, quod non eſt probabile: quare certum omnino eſt, eas eſſe ſpecie diſtinctas; non eſt tamen ita certum, an realiter, vel ſolũ ratione diſtinguantur. Nam Toletus, Vaſquez, & alij, opinantur per rationem tantũ differre, cum eadẽ entitas caloris ſub diverſa ratione ſpectata, poſsit ad potentiã, ut ſcilicet eſt operativus, & ad patibilem qualitatẽ, ut conſer-

Hic quæſt. 1. & in 4. diſt. 6. q. 1a.

Toletus hic. Vaſquez 3. p. tom. 1. diſp. 139. c. 3. num. 31.

ſervat ignem in ſe, pertinere. Nihilominus

Dico ſecundo. Membra iſtius diviſionis, ut à nobis explicata realiter diſtinguuntur, nam hoc modo nulla qualitas pertinet ad duas ſpecies, ut conſtat ex iã diſputatis, calor enim cũ primo & per ſe ſolum ſit inſtitutus ad conſervandam ſubſtantiã ignis, & non ad agendum, ſpectat ſolũ ad patibilem qualitatẽ, & non ad potentiã. Et quidẽ hoc modo tradita diviſio aliis eſt merito anteponẽda; tũ quia clarior eſt, cum faciat ipſa membra inter ſe impermixta, & minime confuſa; tum quia eſt aptior ad inferiorum eſſentias intelligendas.

Quæres, an eidẽ qualitati de potentia abſoluta cõvenire poſſit eſſentialiter perficere primo & per ſe ſubiectũ in ordine ad ſe, & in ordine ad operationẽ. Reſpondeo affirmative. Probatur primo. In hoc nulla reperitur repugnantia, nam hę differẽtiæ nullã invicẽ habent oppoſitionem, imo maximã connexionẽ, quia ſicut operari oritur ab eſſe, ita ordinari ad operationẽ habebit connexionẽ, & oriri poterit ex ratione perficiẽdi in ordine ad ſe. Secundo, eadem entitas actionis eſt dependens ab agente, & paſſo, eſtque actio, & paſsio, ergo etiã eadem entitas qualitatis habere poterit duplicẽ rationẽ; ſcilicet perficiendi in ordine ad ſe, & in ordine ad operationẽ. Conſequẽtia liquet, non minus enim pugnat in eadẽ entitate duplex ratio duorũ prædicamentorũ, quã duarũ ſpecierũ eiuſdẽ prędicamẽti, habentiũ inter ſe connexionẽ. Tertio, licet ſenſitivũ, & intellectivum convenire poſsint alicui, unum ſine altero, coniunguntur tamen in aliquo, ergo etiã perficere in ordine ad eſſe, & in ordine ad operationẽ, coniungi poterunt in eadem qualitate.

Dices primo. Illæ duę formalitates dividunt adęquate qualitatẽ in cõmuni, & ſunt differentię oppoſitę, ergo nequeunt eidẽ eſſentiæ cõpetere. Reſpõdeo has differentias adæquatẽ ſumptas pugnare, ſecus inadęquate, nam adæquate includit una alterius negationẽ, ſcilicet perficere in ordine ad ſe tantũ, vel in ordine tantũ ad operationẽ, at inadęquate & ſecũdũ formalitates ut ſic; nullam involvũt oppoſitionem, potius connexionem, ut dixi.

Dices ſecũdo, rationale, & irrationale, vel equinitas, aut leoninitas, nequeunt eandẽ conſtituere eſſentiã, ergo neq; perficere in ordine ad ſe, & in ordine ad aliud. Nego conſequentiam: quia illę differentiæ non habẽt inter ſe illã connexionẽ, & convenientiã dictã, quę in iſtis reperitur; nõ enim ſunt operationes quarũ una exalia oriri cẽſeatur.

Collige, qualitatem, quę haberet illã duplicem rationẽ perficiendi ſubiectũ in ordine ad ſe, & ad operationẽ, debere cõſtitui formaliſsime, per formalitatem perficiendi ſubiectũ, quę ſpectaret ad patibilẽ qualitatẽ. Secundã vero formalitatẽ eſſe proprietatem, noſtro intelligẽdi modo, conſequẽtem eſſentiam, & ſpectantem ad potentiam.

DVB. VLTIMVM.

De proprietatibus, & ſerie qualitatis.

PRima proprietas eſt, habere contrarium; ſic frigus contra-

riatur calori, non convenit omni qualitati, nam intellectus, voluntas, intētionales ſpecies, lux inter naturales qualitates, contraria minime agnoſcunt; inter ſupernaturales characteres ſacramentorum habitus per ſe infuſi, & lumen gloriç non habēt contraria.

Secunda, ſuſcipere magis & minus, ſive intendi & remitti, quæ etiam ex Ariſtotele omni qualitati non convenit, nam intellectus, voluntas, characteres ſacramentorum, & ſimiles, non intenduntur, & remittuntur. Sequenti etiam capite hāc tribuit actioni proprietatem, quæ tamen illam habet à qualitate, ut à radice.

Tertia eſt, ut à qualitate dicamur ſimiles, & diſſimiles, quę convenit ſolis qualitatibus, quę intenduntur, & remittuntur: nā hæ relationes fundantur præcipue in gradibus intenſionis, & remiſſionis.

Circa Prędicamenti ordinem dicendum eſt, caput ſummū eſſe qualitatem in concreto, quæ ſecatur in operativam, & non operativam. Nō operativa ſubſecatur in patibilem qualitatē, & figuram. Patibilis qualitas diſtribuitur in vitalem, & non vitalem. Non vitalis finditur in naturalem, ſub qua continentur omnia obiecta ſenſuū, & in ſupernaturalem, ſub qua comprehendūtur gratia & characteres. Vitalis vero dividitur in actum cognoſcitivum, & appetitivum. Cognoſcitivus ſubdividitur in ſenſitivum, vel intellectivum, vel in materialem, & ſpiritualem; & hic diſpergitur in naturalem, & ſupernaturalem: & ambo in varias ſpecies. Eodem modo actus vitalis appetitivus poteſt partiri. Figura poſtremo abire poteſt in varias ſpecies, iuxta diſpoſitionis partium diverſitatem.

Deinde qualitas operativa ſcinditur in habitum, & potentiam. Potentia diſpergitur in pure activam, pure paſſivam, & in activam, & paſſivam ſimul, & in alias ſpecies, ſi ſint poſsibiles, iuxta varias opiniones adductas. Potentia pure activa diſtribui poteſt in varias ſpecies, iuxta varietatem rerū, quæ operantur actione trāſceunte. Potentia activa ſimul & paſſiva dividitur in cognoſcētem, & appetētem, & utraque in ſpiritualem, & corpoream, quæ deinde diſpergi poſſunt in varias ſpecies. Potentia autem pure paſſiva finditur in varias potentias. Deinde habitus ſecatur in appetitivum, & cognoſcitivum; cognoſcitivus ſubſecatur in apprehenſivum, ſub quo claudūtur ſpecies impreſſæ, & iudicativum abſolute, vel cum illatione, qui abire poteſt in innumeras alias ſpecies. Habitus vero appetitivus diſtribuitur in ſpiritualem, & materialem, & ambo in varias ſpecies.

✠

CA-

CAPVT NONVM.
De sex vltimis prædicamentis.

PERCVRRIT Aristoteles brevißime Actionem, Paßionem, Vbi, Quando, Situm, & Habitum, vel quia satis omnibus nota, vel quia alibi fusius de illis agit, & uberius. Nam de Actione, & Paßione in tertio Physicorum agit: de loco, & tempore in quarto, de situ & habitu iam supra fecit mentionem. Actioni duæ tribuit proprietates, habere contrarium, & suscipere magis, & minus. Apponit exemplũ in calefactione, quæ contrariatur frigori, & suscipit intensionem & remißionem, sed intelligendus Aristoteles cum actiones habent terminos contrarios, & intensos: Rationes formales aliorum prædicamentorum, & cætera ad illa pertinentia, libuit in Commentariis disquirere, sectando Aristotelis commentatores, qui hoc caput hac brevitate, quautor, solum exponunt, vel quia explanatio textus non eget maiori commentario, vel quia non omnia insinuat Aristoteles, quæ dicenda restant.

DISPVTATIO OCTAVA.

De sex vltimis prædicamentis.

BREVISSIME se expedit Aristoteles à sex vltimis prædicamentis; tum ne logico instituto, quod erat necessarium, negaret; & ne physico, quod tanquam sibi proprium vẽdicat, auferret; nos vero Aristotelicam brevitatem emulantes, libabimus solum, quæ logico operi necessaria, & opportuna videbuntur.

DVBIVM. I.

Actionis essentia.

PRæmoneo triplicem esse causam physicam. Prima est efficiens, quæ producit realiter effectum extra se, aut quasi extra se reponit. Secunda materialis, quæ recipit in se effectum ab efficiente productum. Tertia for-

formalis, quæ eſt ipſe effectus receptus in materiali. Rem ſol illuſtrabit. Sol enim eſt cauſa efficiens luminis, ipſum enim in aëre producit. Aër cauſa materialis, quia recipit in ſe lumen à ſole productum; lumen ipſum cauſa formalis, quia eſt forma recepta in aëre: unaquæque ex his cauſis phyſicam ſibi vendicat cauſalitatem, ſola tamen cauſalitas efficientis, actio nominatur.

Dico primo. Actio eſt influxus cauſæ efficiẽtis in effectum. Vera eſt, & eſſentialis definitio. Dicitur influxus, quia cauſa ſolum eſt potens influere in actu primo, accedente vero actione, ea media actu influit in effectũ, & illi communicat eſſe, & ideo merito dicitur influxus. Apponitur cauſæ efficientis, ut actio ſeparetur à duplici alio influxu, vel phyſica cauſalitate cauſæ materialis, & formalis. Poſtremo additur, in effectum, ut oſtenda tur actionẽ eſſe aliquid mediũ, et quaſi viam inter agens & terminum. Hinc liquent tres aliæ definitiones actionis ſatis celebres inter Philoſophos. Prima, quam tradit Suarez eſt dependentia effectus à cauſa efficiente. Secunda, Conimbricẽſes, Actio eſt vltimus actus agẽtis ut agens eſt, quo mediante aliquid efficit. Atque ab hac parum differt alia, quam adfert Hurtadus. Tertia demum, quam alij adferunt: eſt via ab agente in effectum; illa tamen à nobis poſita eſt facilior, quia ratio influxus agentis in effectum, clarius exprimit actionem eſſe dependentiam termini ab efficiente, et actum vltimum agentis ut agẽs eſt, et pariter eſſe viam ab agente in terminum.

Suarez diſp. 48. ſect. 1. num. 15. Conimbric. hic q. 1. Hurtad. diſp. 16. Metaphy. ſect. 1. §. 2.

Dico ſecundo. Actio ut actio eſt dicit ordinem eſſentialem, vel tranſcendentalem ad agens, & ad terminum. Probatur primo, nam actio ut actio eſt influxus cauſæ efficiẽtis in effectum, ergo eſſentialiter reſpicit utrũque. Secundo. Actio eſt id quo Agens agit formaliter; ergo actio formaliter reſpicit agens; atqui agens per actionem aliquid formaliter agit, ergo per actionem aliquid formaliter agitur, nempe terminus: ergo actio eſſentialiter reſpicit agens, & terminum. Poſtremo, actio formaliter eſt via, ergo ab aliquo ad aliquem, non niſi ab agente ad terminum, ergo reſpicit eſſentialiter agens, & terminum.

Collige, actionem ſe totam, ſive indiviſibiliter reſpicere agens, & terminum ſicut unio utrumque unibile, quia inintelligibilis eſt aliquis conceptus actionis quin per eum efficiens efficiat, & terminus efficiatur, ſicut inintelligibilis eſt conceptus aliquis unionis, qui non uniat duo.

Dico tertio: Actio diſcrepat ex natura rei ab agente, et termino. Probatur primo. Ordo eſſentialis nequit eſſe ad ſe, ſed ad aliud, ſaltem ex natura rei diſtinctum, ſed actio dicit ordinem eſſentialem ad agens, et ad terminum, ergo diſcrepat ab utroque ex natura rei. Secundo, Agens poteſt manere ſine actione, ergo hæc ex natura rei ſaltẽ differt ab eo. Deinde terminus poteſt produci, et eſſe ſine hac, aut illa actione, quod ita ſuadeo, nam idem effectus, qui fit à cauſa ſecunda creata, poteſt fieri à ſolo Deo, cum enim ſit eſſe per eſſen-

essentiam, claudit in se omne es se participabile à creaturis, & se solo potest esse principium activum sufficiens cuiusvis effectus creati, ergo cum idem terminus possit esse sine hac vel illa actione, erit Actio modus ex natura rei diversus à termino, vel effectu.

Rogas hic. An de ratione actionis, ut actio est, sit habere aliquod subiectum inhæsionis? Ad responsionem noto, duplicem esse actionem, unam creativam, quæ producit terminum à subiecto independêtem, talis est productio materiæ primæ, animæ rationalis, & Angeli. Alteram eductivam, quæ producit terminum dependentem à subiecto, talis est productio formæ materialis.

Hoc posito respondeo primo, De ratione actionis ut actio est, non esse habere subiectum inhæsionis. Probatur primo: quia si habere subiectum inhæsionis esset de essentia actionis, ut actio est, cõveniret omni actioni; sed non convenit, nam creatio est vera actio transiens, & nullo pacto inhæret subiecto; fit enim ex nihilo, id est, ex nullo præexsistente subiecto; ergo de ratione actionis, ut actio est, non est habere subiectũ inhęsionis. Quod autem creatio sit vera actio, nunc suppono ex Physica cũ communiori, & veriori sententia, & patet ex definitione adducta. Secundo, quia Actio cum sit influxus efficienti in effectum formaliter ut actio, tantum spectat agens, & terminum, sed neutri inhæret; ergo ut talis non habet subiectũ inhæsionis. Suadetur prima pars minoris, nam actio ut actio non denominat agens, ut id in quo est, sed ut id à quo est: ergo actio ut actio nõ inhæret agenti. Suadetur secunda minoris pars, quia actio non supponit prius natura terminũ tanquam id ex quo fiat, cum potius illi det esse; ergo non est in ipso tanquam in subiecto inhæsionis. Tertio. Ideo actio eductiva, de qua potest esse difficultas, solum inhæret in subiecto, quia est receptio termini in ipso, sed tunc iam formaliter non est actio, sed passio; ergo tametsi ut passio inhæreat formaliter, non tamen ut actio.

Respondeo secundo. Actionẽ ut sic habere subiectum inhæsionis, & denominationis. Patet, quia denominat extrinsece agens, & attingit intrinsece terminum, cum quo est intime cõiuncta tanquã effectio cum termino effecto, & ita pendet, ut licet in eo non recipiatur, tamen nequeat consistere sine ipso, eo modo quo punctum tametsi non recipiatur in partibus lineę, nequit esse sine illis.

DVBIVM II.

Quænam actiones in hoc prædicamento sedem habeant.

Difficultas procedit de actionibus immanentibus, & substantialibus. Actiones immanentes illæ dicuntur, quæ remanent in eadem potentia à qua eliciũtur, ut intellectio, volitio, visio, &c. Substantiales vero, quę terminantur ad substãtiam, v. g. generatio, nutritio, &c. Circa primum

Dico primo. In actionibus immanentibus reperiuntur vere actiones, & termini producti per illas, qui sunt qualitates, v. g. quando intellectus intelligit datur ibi intellectio, quę est propria actio, & datur terminus, scilicet cognitio, quæ est qualitas producta per illam. Probatur cõclusio. Actiones immanentes sunt aliquid, vel ergo sunt propriè actiones, vel aliquid aliud, si propriæ actiones, ergo habent terminum, quia nequit dari actio in rerum natura, quin per illam non fiat aliquis terminus, nam actio est fieri termini, & modus illius; nequit autem dari fieri sine facto esse, neque modus sine re cuius est modus. Si vero actiones immanentes sint aliquid aliud distinctum ab actione, debẽt esse aliquid factum, sed nihil fit nisi per veram actionem; ergo dabitur ibi vera actio immanens, & verus terminus.

Dico secundo: Actiones quæ reperiuntur in his actibus immanentibus, spectãt ad hoc prędicamentum. Probatur primo ex Aristotele, enumerante actiones dolendi, & gaudendi, quæ sunt immanentes, inter actiones quæ sedem habent in hoc prædicamento. Probatur secundo, quia nulla est ratio cur excludãtur, cum sint vere, & proprie actiones productivæ qualitatum realium, à quibus realiter modaliter discrepant, sicut omnis alia actio à suo termino, ergo sicut calefactio, illuminatio, &c. quæ sunt actiones transeuntes productivæ qualitatum, in hoc prædicamento collocantur, ita etiam intellectio, volitio, &c. quæ sunt actiones immanentes, collocabuntur.

Oppones. Actiones immanentes dicuntur grammaticales, & nomine tenus, ergo nõ sunt vere & proprie actiones. Respondeo, solas qualitates immanẽtes dici actiones grammaticales, quia aliquo modo imitantur veras actiones, eo quod tendant in obiecta: minime vero ita dici actiones ipsas inmanentes, per quas fiunt ipsæ qualitates.

Circa secundum dico tertio. Actiones substantiales ponuntur in hoc prædicamento. Probatur primo, nam si actio substantiæ, quia est via ad substantiam, & ponit illam in rerum natura, esset modus in sua entitate substantialis reductive positus in prædicamento substantiæ, & non per se in aliquo prędicamento, ergo actio qualitatis, vel quantitatis, quia est via ad qualitatem, vel quantitatem, & ponit illam in rerum natura, erit modus qualitativus, vel quãtitativus, reductive positus in prædicamento qualitatis, vel quantitatis, & non per se in aliquo prædicamẽto, idemque erit in alijs, & consequenter prædicamẽtum actionis de medio tolletur.

Dices, non posse utramque poni sub uno genere summo, quia sunt analogæ in ratione actionis; sed hoc falsum est in nostra sentẽtia, ut fiet perspicuum infra. Deinde, si id teneas, saltẽ debes necessario cõstituere duo genera suprema Actionum, ad substantiales unum, aliud ad accidẽtales. Si enim per te ab accidentalibus abstrahitur unum genus summum ipsarũ, cur non à substantialibus aliud, quod eas contineat? Vnde duo erunt præ-

Ita cõmunis sententia quã tenet Rubius hic nu. 4. Conimb. q. 1. art. 1. Noster hic sect. 2. Hurtado. disp. 10. Metaph. sect. 3. contra Suarium disput. 48. sect. 6.

prædicamenta Actionis.

Secundo. Relatio fundata in ſubſtantia, & ad ſubſtantiam terminata, ponitur in prædicamento relationis ſimul cum relationibus terminatis ad accidẽtia, ut fatetur Suarez, ergo ſimiliter actio terminata ad ſubſtantiam collocabitur in prædicamẽto actionis, cum actionibus terminatis ad accidentia, par enim eſt ratio, cum non minus relationes, quam actiones ſpecificentur à terminis.

Oppones primo cum Suario. Actio ſubſtantialis & accidentalis non conveniunt univoce in ratione actionis, ergo nequeunt collocari ſub eodem genere actionis. Antecedens probatur, nam cauſa ſubſtantialis, & accidentalis efficiẽs non conveniũt univoce in ratione cauſæ, ergo neque actio ſubſtantialis, & accidentalis in ratione actionis: ſed hoc argumentum nobis, qui cenſemus ad ſubſtantiam & accidens poſſe dari rationem univocam, parum negotij faceſſit, multum vero his, qui id negant, ex quo non facile ſe expediunt, ut notat Suarez, vide numero 6. quo quidem cõfirmari noſtra ſententia poteſt de univocatione entis ad ſubſtantiam & accidens ſatis efficaciter.

Oppones ſecundo. Tanta eſt diſtinctio inter actiones ſubſtãtiales & accidẽtales, quanta inter ſuos terminos, nam omnis actio ſumit ſpeciem, & eſſentiã à termino, ſed termini non ponuntur in prædicamento, ergo neque actiones. Sed retorqueo argumentum quia quantitas, & qualitas ſpectãt ad diverſa prædicamenta, & tamen actiones ipſarum productivæ, quæ ab ipſis ſpecificantur, ponuntur in uno, eodemque prædicamento, ergo licet ſubſtantia & accidẽs pertineant ad diverſa prædicamenta, ad unum poterunt pertinere actiones ipſorũ productivæ. Et ratio eſt, nam omnes cõveniũt in ratione communi influxus in effectum, licet eſſentialiter magis & minus propter ſuos terminos diſtinguantur.

Oppones tertio. Modus ordinatus ad conſtituendã, & complendam ſubſtantiam, & non ſupponens illam conſtitutam, ſed illam conſtituens, ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ tanquam modus ſubſtantialis, vt liquet in ſubſiſtẽtia, & unione formę ad materiam, ſed actio ſubſtantialis eſt huiuſmodi, ergo ſpectat ad prædicamentum ſubſtantiæ. Reſpondeo, argumẽtum nihil concludere, alioquin idem concluderet de actionibus accidentalibus, & ita è medio prædicamentum actionis tolleretur. Maior igitur tantum eſt vera de modis intrinſece, & formaliter conſtituentibus ſubſtãtiam componendo illam, huiuſmodi ſunt ſubſiſtentia, & unio, non vero de modis extrinſece conſtituentibus, producẽdo tantum eſſe ſubſtantiæ cuiuſmodi ſunt actiones ad ſubſtantiam terminatæ, & idcirco non ſpectant ad prædicamentum ſubſtantiæ.

Hinc conſtat actionem eductivam tam accidentis, quã ſubſtantiæ, poni in prædicamento actionis. De creativa eſt ſpecialis difficultas, quam hinc reijciunt Suarez, & Vaſquez: ille, quia exiſtimat eſſe modum ſubſtantialem, iſte, quia opinatur non eſſe veram actionem, ſed re

Suarez citatus num. 5. Vaſquez 1. par. diſp. 173

lationem transcendentalem non distinctam à creatura. Vtrumque falsum, ut in Physicis ex instituto probandum. Quare dicendum est, esse veram actionem prædicamentalem hic ponendã. Primo, quia est accidens in sua entitate, non enim complet intrinsece substantiam, ergo pertinet ad hoc prædicamentũ. Secundo, quia licetesset substantia in sua entitate, nihil id obstaret in sententia Suarij, asserentis, Paternitatem esse in entitate substantiam, quia non differt realiter a substantia genitoris, & tamen quia est conceptus accidentarius genitori, pertinere ad prædicamentum relationis cum relatione, quę in entitate est accidens. Tertio, quia creatio est verus influxus agentis in effectum, distinctus à re creata ex natura rei, ergo, &c. Antecedẽs ex eo deducitur, quia potest Deus variare actionem creativam, v.g. Angeli, manente eadem entitate termini; nam potest Deus se solo creare Angelum, & postea assumere aliud instrumẽtum, tuncque necessario variabitur creatio, nam per eandem numero creationẽ nequit Deus solus, & per ipsam cum instrumenti contortio, Angelũ creare, ergo est distincta ab entitate termini, & vera actio prędicamentalis. Demum quia saltem creatio accidentis, ut quantitatis in Eucharistiæ mysterio est accidens, quod fatetur Suarez, & creatio accidentis, & formæ materialis est vera actio, distincta à termino creato, in sententia Vasquez, igitur istæ huc pertinent, & consequenter quęlibet alia creatio.

Moneo primo in fine, genus supremum huius prædicamenti esse Actionem physice completam à cunctis præcisam, quæ dividi potest in spiritualem, & corpoream; spiritalis in creativam, ut productio Animæ rationalis, & Angeli; & in eductivã, ut productio verbi mentis, & amoris. Corporea similiter distribuitur in creativam, ut productio materiæ primę, aut alterius accidentis materialis, quando divinitus ponitur extra subiectum; aut in eductivam, ut productio lucis, & caloris: tam creativa quam eductiva findi potest in substantialem, & accidentalem; & postremo istæ in varias species, iuxta varietatem specificam terminorum. Alij alias, præsertim Hurtadus, excogitant divisiones, quas consectari non liber, quia nullam invitant utilitatis speciem.

Moneo secundo, Aristotelem duplicem actionis proprietatem assignasse, quarum prima est, habere contrarium: nam calefactio, & frigefactio cõtraria sunt. Secunda, suscipere magis & minus: accidit enim ut quis magis, vel minus frigefiat, & calefiat, utraque neque convenit omnibus actionib⁹, vt liquet in generatione, quæ non habet contrarium, nec suscipit magis, & minus, neque convenit actioni ratione sui, sed ratione termini productiː nam ex eo quod calor, & frigus sibi contrarientur, frigefactio, & calefactio sunt contraria, & ex eo quod calor producatur magis vel minus intensus, calefactio dicitur magis & minus suscipere

DV-

DVBIVM III.

De essentia passionis.

OMissis varijs significationibus ad præsens institutum nihil referentibus, Passio, de qua hic est sermo, receptio est alicuius entitatis, quę triplici pacto potest contingere. Primo, ita ut id quod recipitur, non differat à recipiente, sic enim quælibet creatura media sua productione dicitur a Deo recipere suum esse, & veluti pati, & ipsa productio passio, sed improprijssime, nam sicut inter agens & actum debet reperiri diversitas realis, ita & inter recipiens & receptum, nihil enim recipit proprie seipsum, esse autem existens quod recipit creatura à Deo, non est diversum ab ipsa. Secundo, ita ut forma, quæ recipitur, discrepet à recipiente, non tamen sit in illo, ut in subiecto inhæsionis, sed ut summum adhæsionis; sic quilibet terminus dici potest recipere actionem sibi adhærentem, & actio quævis passio, sed etiam minus proprie, quia ista receptio non est in vero subiecto inhæsionis, ex quo fiat ipsa actio. Postremo, ita ut forma recipiatur in subiecto inhæsionis à se realiter distincto, & ex eo tanquam ex causa materiali fiat dependenter, & hæc est vera passio constituens hoc prædicamentum. Declaratur exemplo. Ignis producit calorem in aqua ut in subiecto, emanatio seu fluxio caloris ab igne est actio ipsius, quia per illam producit calorē: Receptio vero caloris in aqua ut in subiecto, ex quo fit dependenter est passio, quia per illam aqua patitur calorem quem in se recipit.

Dico primo. Passio essentialiter definitur, Receptio formæ in subiecto. Dicitur receptio, quia est id quo medio subiectū formaliter recipit, ut discrepet ab actione, quæ est fluxus formæ ab agente, passio vero receptio eiusdem in patiente. Additur in subiecto non ut cumque, sed quod sit causa materialis, ex qua fiat forma, & in illa recipiatur. Subditur formæ, ut intelligatur esse modum mediū inter subiectum recipiens, & formam receptam, & inter utrumque versari reale discrimē, alioqui non esset vera receptio, neque passio, ut notabimus. Declaratur definitio. Sicut agens influit esse in effectum, ipsum agēdo, & extra se producendo, ita subiectum influit in effectum illum in se recipiendo, ergo sicut causalitas agentis est actio & productio, ita causalitas patientis, vel subiecti est receptio. Cōfirmatur, quia tunc formaliter subiectum patitur, quando recipit in se formam, eique subijcitur, ergo passio formaliter erit receptio formæ in subiecto.

Ex dictis sunt perspicuæ aliæ tres definitiones passionis, quibus ab alijs passionis natura enodatur. Prima est, dependentia termini à subiecto, nam effectus per passionem formaliter dependet à subiecto influente, dum eum recipit, sicut per actionem ab agente, dum ab eo fluit. Secunda est actus patiētis ut patiens, nā sicut per actionē agens formaliter agit, ita patiens per passionem. Quare sicut illa de-

finitur Actus agentis ut agens est, ita hæc, Actus patientis ut patiens, id est forma, à qua subiectum formaliter fit, & denominatur patiens. Tertia est, via à subiecto in effectũ, vel formam, quas omnes definitio à nobis tradita maxime illustrat, & superat bonitate, & claritate.

Dico secundo. Passio formalissime sumpta dicit transcendentalem respectum ad subiectum, & ad formam cuius est receptio, minime vero ad agens. Prima pars suadetur, quia actio qua effectus manat ab agente, & ab eo agitur, claudit transcẽdentalem respectum ad utrumque, ergo & passio, qua formaliter effectus recipitur in subiecto, claudet similem respectum ad subiectum & effectum. Secunda pars ostenditur, quia passio ut passio ad sui essentiam solũ eflagitat subiectum & formam cuius est receptio in illo, ergo non dicit formalissime ut talis essentialem respectum ad agẽs.

Dico tertio. Passio modus est ex natura rei distinctus à subiecto & forma. Patet, quia actio est modus distinctus ex natura rei ab efficiente, & termino, ergo & passio à subiecto, & forma recepta, utrumque enim ijsdem rationibus probatur.

Collige ex dictis, Passionem dumtaxat comitem esse actionis eductive, quia cum hæc operetur ex subiecto, & in subiecto semper, & solum, semper etiam & solum cum ea est coniuncta receptio effectus in subiecto, & consequenter passio. Creatio vero non infert passionem, quia est à subiecto inhæsionis penitus libera.

DVBIVM IIII.

An actio, & passio inter se realiter discrepent.

CErtum est distare Passionẽ realiter à creatione, quæ est actio à subiecto independẽs, ideoque passionem non infert. De eductione vero, quæ est productio rei dependenter à subiecto, specialis est difficultas, an re differat à Passione.

Assero primo. Actio eductiva re ipsa non distinguitur à Passione. Non est intelligenda assertio de actione comparata cũ Passione disparata, sed de actione collata cum Passione quam secum adfert. v.g. non est intelligenda de Actione productiva caloris comparata cum Passione frigefactionis, sed cum passione, vel receptione eiusdem caloris in subiecto; primo enim modo non solum Actio & Passio inter se realiter discrepant, sed etiam ipsęmet actiones. Hoc posito probatur assertio. Primo ex Aristotele tertio Physicorum capite tertio, docente Actionem & Passionem esse eundem actũ, sive motum, & solum differre per diversos respectus. Secũdo, sicut actio est dependentia termini ab agente, ita passio dependentia eiusdem à subiecto, ubi recipitur, sed eadem realitas actionis eductivæ est utraque dependentia realiter, ergo actio eductiva & passio sunt idẽ in re. Minor probatur: nam eductio est productio termini dependenter à subiecto ex quo fit, ergo per ipsam terminus dependet

Sic D. Tho. 11. Met. lect. 9. Vasq. 1. p. disp. 173. n. 5. Suarez disp. 49. Metaph. sect. 4. & tom 2. in 3. par. disp. 44. sect. 5. §. hoc igitur Noster Blãc hic sectio. 3. Hurta. disp. 16. Metaph. sectio. 4.

det à ſubiecto, atqui per eandem dependet ab agente, ergo ipſiſſima realitas actionis eductivæ eſt depẽdentia termini ab agente & ſubiecto.

Tertio. Actio eductiva eſſentialiter attingit ſubiectum, ergo eſt paſsio: antecedens patet, quia in hoc ſolum à creatione differt. Conſequẽtia demonſtratur: Ex eo quod actio eductiva attingat ſubiectum, hoc exercet in illa aliquod cauſę genus, non efficientis, neque formalis, ergo materialis; atqui cauſalitas cauſæ materialis ut ſic eſt receptio & paſsio, ergo actio eductiva eſt receptio & paſsio. Maior vero illa probatur. Actio eductiva pendet à ſubiecto in aliquo genere cauſæ, ergo ſubiectum exercet in illam aliquod cauſæ genus. Confirmatur, ſubiectum, & paſſum ſunt idem formaliter, ſed actio eductiva pendet à ſubiecto, ergo & à paſſo, atqui ut ſic non eſt ſubiectum paſſum per aliam paſsionem diſtinctam ab actione, ergo ea actio eſt paſsio.

Dices, actionem eductivam differre à creativa, nõ quod attingat ſubiectum, ſed quia poſtulet aliam actionẽ productivam unionis formę in ſubiecto. Sed occurro ita, quia etiam animæ rationalis creatio poſtulat aliam actionem productivam unionis animæ cum materia, & tamen non eſt eductio, ergo eductio per ſe ipſam ſubiectum attingit. Reſpondebis, animam rationalẽ ex vi eius actionis poſſe eſſe ſeparatam à materia, non vero altera actio eductiva, cæterũ inepte dicitur; ideo enim actio animæ rationalis poteſt eſſe ſine ſubiecto, quia formaliter non attingit illud, ergo etiam ſi eductio per ſeipſam ſubiectũ non attingat, poterit eſſe ſeparata à ſubiecto. Confirmatur, quia etiam actio qua fit accidẽs extra ſubiectum, poteſt eſſe ſine illo, quia per ſe non attingit ſubiectum, ergo ſi actio eductiva ſubiectum non attingat, poterit eſſe ſine illo.

Quarto probatur aſſertio, nam ſi paſsio eſt aliquid reale phyſicum creatum re ipſa diſtinctum ab actione, igitur factum per aliquam actionem diſtinctam à ſe, ſola enim actio non fit per aliam actionem; vel igitur actio, qua fit Paſsio recipitur in ſubiecto, vel non; ſi non recipitur erit creatio, quod eſt falſum; ſi recipitur, rogo, an per ſe ipſam, vel media alia paſsione. Si ſeipſa, ergo iã actio eſt realiter paſſio; ſi per aliam paſsionẽ, de hac redit idem argumentum factum de priori paſsione, & ſic vel cogeris infinitum proceſſum admittere ſine neceſsitate, vel ſiſtere in aliqua actione quæ idẽptificetur realiter cum paſsione. Hinc probatur vltimo. Actio qua producitur paſsio, v.g. calor is in ſubiecto, recipitur ſeipſa in illo, & eſt realiter paſsio ut probatum eſt, ergo & actio illa qua producitur forma caloris, ſimiliter recipietur ſeipſa in ſubiecto, & erit realiter paſsio, utraque enim eſt eductio, & dependens ęque à ſubiecto. An veroActio differat à Motu, in Phyſicis diſquirendum.

Objcis primo: Quando Sol conſervat calorem ab igne productum in aqua mutatur actio, non vero paſsio; ergo actio diſtinguitur ex natura rei à paſſione ſeparatio enim realis inter aliqua ſignũ eſt diſtinctionis realis.

realis. Antecedens patet de Actione, nam hæc variatur ad variationem agentium: de passione liquet, quia remanet eadem forma, idemque subiectum, ergo eadem passio. Respõdeo, quâvis passum & terminus à quibus solum pendet formaliter passio maneant, non manere passionẽ, quia variatur agens à quo pendet realiter, mutato enim agente mutatur dependentia formæ cum subiecto, v.g. mutato igne variatur dependentia caloris cũ aqua, quia mutatur actio conservativa eius, quæ erat dependẽs à subiecto.

Objicis secundo. Actio nõ recipitur realiter in eodem subiecto in quo passio, ergo reipsa discrepant cum realiter separentur. Antecedens probatur: nam Passio recipitur in subiecto patienti, sed actio nõ recipitur in illo, ergo non in eodem subiecto. Minor probatur, nam actio non tribuit suum effectum formalem passo, non enim denominat illud agens, neque actum, ut est manifestum, nam forma generationis non facit materiam primam in qua recipitur genitam aut generantem, ergo non recipitur in illa. Consequẽtia hæc videtur certa, quia forma nequit esse in subiecto, quin illi det suum effectum formalẽ. Respondeo negando antecedẽs. Ad probationẽ nego minorem, nam realiter in eodem subiecto sunt actio, & passio, quamvis actio formaliter solum sit in agente ut in subiecto denominationis quatenus dicit conceptũ ab, id est fluxum ab alio; & in termino ut in subiecto adhæsionis quatenus dicit conceptum ad, id est tendentiam ad terminum, atque ita illud denominat agens, & hunc actum. Ad minorem probationis, dato antecedẽti, negatur consequentia, nam non est necesse ut forma tribuat omnem denominationem quam habet subiecto; nam Amor Dei denominat Deum amatum, non tamen voluntatem in qua recipitur, quia ista denominatio respicit extrinsecum terminum; sic etiam relatio denominat terminum respectivum, non tamen subiectũ, sic igitur actio tametsi realiter inhæreat subiecto, nõ denominat illud agens, quia ista est veluti extrinseca denominatio principij, à quo manat, neque actum, hęc enim est termini in quem tendit, sicut forma visionis non denominat subiectum visum, quia est denominatio propria termini, vel obiecti in quod tendit. Adde, posse etiã dici denominare subiectum realiter affectum actione.

DVBIVM V.

An Actio eductiva & Passio ratione distent.

OBserva ex Hurtado, bifariã posse duo aliqua inter se ratione discriminari. Primo. Quando habẽt diversa connotata, & in ordine ad illa cognoscuntur, tuncque perfecte ratione differunt, ut eadem entitas hominis in animal & rationale, nam cognitio animalis cõnotat sensationem in ordine ad quam concipitur animal, & cognitio rationalis cõnotat discursum in ordine ad quem concipitur. Secundo. Quando habẽt eadem *Disp. 6. Metaf. sect. 5. §. 76.*

dem connotata diverſo vero modo concepta, quod optimo exemplo declarat Hurtadus, nã unio materiæ cum forma, quæ realiter eſt informatio, & materializatio, ratione differt ut eſt informatio à ſe ipſa ut materializatio, licet ſemper connotet materiam, & formam, nam ut informatio concipitur ſubiective in ſola forma, & terminative in materia, id eſt, ut cauſalitas formę tendens in materiam ut terminum, & ut materializatio concipitur ſubiective in materia, & terminative in forma, id eſt, ut cauſalitas, & influxus materiæ tendens in formã. Addit, quãdo vero res habet eadem connotata, & eodem modo, licet ſint plura, nulla eſt diſtinctio rationis, v. g. unio hypoſtatica, quia ſemper concipitur in verbo divino terminative ſolum, & in humanitate ſubiective, non diſtinguitur in duos cõceptus formales ſicut aliæ uniones.

Ita Ariſtoteles ſuperiori dubio citatus, & Autores ibi allegati: omnes deniq. qui actionem & paſſionẽ duabus categoriis diſtinguunt contra Hurtadum. diſputa. 11. Phyſi. ſect. 4 & diſp. 16. Metaph ſec. 4. à §. 26.

Sit concluſio. Paſsio formaliter ſeu per rationem differt ab actione eductiva, & è contra. Probatur primo. Paſsio ut paſſio præciſe dumtaxat includit reſpectum ad ſubiectum & formam, & non agens, ſed eductio præciſe, ut eductio includit reſpectum ad agens, ergo Paſsio formaliter differt ab eductione. Probatur minor: nã Paſsio præciſe ut paſsio, ut etiã vult Hurtadus eſt determinatio ſubiecti ad formam, vel receptio huius in illo quo ſolum cognito eſſentia paſsionis agnoſcitur. Minor liquet, quia eductio ut eductio eſt actio, ergo formaliter includit reſpectum ad agens, quia eſt determinatio agentis ut agens eſt. Conſequentia illa eſt optima, quia iſtæ ſunt diverſæ formalitates. Confirmatur exipſo, nam commune illud dictum Paſsio infert actionem, ait eſſe negandum de illatione phyſica & cauſali, nam ſignificaret realem diſtinctionem, concedendã vero de illatione conſequentiæ: eſt enim bona conſequentia, à paſsione ad actionem, v. g. eſt paſsio, ergo eſt actio, licet non è contra, ergo Paſsio per rationem differt ab actione tanquam inferens ab illato, nam conſequentia illa formalis eſt.

Secundo. Eductio ſedem habet in aliquo prædicamento, cũ ſit accidens prędicamentale, ſedſi in eductione non diſtinguatur per intellectum ratio paſſionis à ratione actionis, nequit locum habere in aliquo prædicamento; ergo per rationem diſcriminantur. Probatur minor, quia tunc non poſſet locari in prædicamento Actionis tantum, quia formaliſsime etiam eſt paſſio; neque in paſsionis prædicamento ſolum, cum ſimiliter formaliter ſit actio, & non ſit maior ratio, cur in uno quam in alio collocetur. Neque vero dici poteſt poni in utroque prædicamento, nam idem ſub eadẽ omnino ratione formali nõ ponitur in diverſis prædicamẽtis; ergo neceſſe eſt in eductione diſtinguatur duplex ratio, una paſſionis, & altera actionis, ut ſedẽ habeat in eis prædicamentis uti debet.

Reſpondebis collocari in prędicamento Actionis tantum, nã ſicut creatio in eo collocatur, quę eſt actio, paſsione, & dependentia à ſubiecto carens, ita & eductio quæ eſt actio cum paſ-

sione, & dependens à subiecto. Sed cõtra, quia sic è medio tollitur passionis prædicamẽtum, quod Peripatetica Schola distinguit ab actionis prædicamento; nulla enim esset pure passio.

Tertio. Vt in re aliqua mente distinguamus duas formalitates, non est opus habeat duo cõnotata, sed sufficit ut in ordine ad eadem diverso modo concipiatur, sed eductio, & passio, tametsi habeãt eadem connotata, diverso tamen modo in ordine ad illa concipiuntur; ergo differunt ratione ut duæ formalitates. Maior perspicua est ex doctrina ipsius Hurtadi initio observata. Minor vero probatur: nam licet eductio & passio respiciãt eadem connotata, (quod nunc do) subiectum scilicet, formam, & agens, non tamen eodem modo concepta, nam passio formaliter connotat subiectum, ut causalitas illius causæ, scilicet materialis, & patientis, & ut influxus tendẽs à materia in formam, non vero ut causalitas agentis. At vero eductio formaliter concipitur ut causalitas agentis, & influxus tendens ab agente in formam connotando subiectum; ergo eductio & passio tametsi habeant eadem connotata, cum concipiãtur diverso modo in ordine ad illa, distinguentur ratione in eadem entitate, sicut informatio, & materializatio in eadem realitate unionis.

Opponit primo Hurtadus. Vt aliqua ratione differãt inter se, effiagitant diversa connotata, vel certe eadem diverso modo, sed Actio eductiva in ratione talis actionis sortitur eadem connotata, & eodem modo, quo sub ratione passionis, ergo Actio eductiva, & Passio, nec ratione differunt. Minor probatur: quia actio eductiva respicit extrinsece agens, & intrinsece terminũ, quia essentialiter est determinatio agentis ad terminũ, & sicut in illo est extrinsece denominãdo, ita in hoc intrinsece adhærendo tanquam effectio suo termino; respicit etiam intrinsece subiectum, quia in ratione actionis est eductio, hoc est productio concurrente subiecto, sed passio, ut passio respicit similiter intrinsece subiectum, quia est eductio ex illo, & intrinsece terminum, quia est determinatio subiecti ad illum, tum etiã agens extrinsece, quia quod movetur, ab liquo formaliter movetur, ergo, &c. Respõdeo quãvis permittamus habere eadẽ connotata, non habere illa eodem modo, ut constat ex dictis, & cõstabit magis ex dicendis.

Secundo. Per eandem formalitatem est videns potentia, & obiectum visum, ergo per eandem formalitatem ignis calefacit, & lignum calefit; ergo Passio includit formaliter actionẽ. Nego consequentiam, nam ideo obiectum per eandem rationem per quam oculos videt videtur, quia est pure terminus, & non causa respectu visionis, sic enim similiter per eandem rationem formalem qua fundamẽtum respicit terminum, terminus respicitur, & per eandem etiam causa efficiens agit, & terminus agitur, at lignum est subiectum caloris, & concurrit ad eum in genere causæ materialis, & ita per diversam rationem formalem, id est causalitatem, calefit ab igne, atque ignis illud calefacit,

facit, cum huius causalitas sit activa, illius passiva, seu causæ materialis.

Tertio. Sicut Eductio est ratio formalis educendi formam in subiecto, ita & educendi seipsam ut quo, non enim educitur per aliam eductionem, ergo erit Passio, hæc enim non est ratio formalis per quam aliquid educitur de subiecto. Confirmatur, quia eductio ex sua ratione formali est productio formę ex subiecto, ergo ad ipsam ut talem concurrit subiectum ut ad terminum eductum ut quo, & educentem aliud ut quod; sed concursus subiecti est causæ recipientis, ergo concurrit ad eductionem ut ad id, quod recipitur ut quo, & est ratio formaliter recipiendi aliud ut quod: quare est formaliter passio. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam. Nam passio formaliter ut sic, non est ratio formalis per quã aliquid educitur de subiecto, sed per quã forma educta recipitur in ipso. Ad confirmationem respondeo, subiectum ad eductionẽ ut sic, solum concurrere formaliter ut quid per ipsam connotatum, nõ vero ut exercens suam causalitatem passionis, & receptionis formaliter, sicut necessario informatio formæ connotat materiam & subiectum tanquam id in quo tendit, vel circa quod exercetur, non tamen illam cõnotat ut formaliter exercentem iam suam causalitatẽ materializationis, id enim est diversa formalitas: idem plane accidit in eductione formæ è subiecto. Quare cõsecutio realiter & physice est admittenda, minime vero formaliter.

Quarto. Eductio distinguitur formaliter à creatione, non solũ in ratione Passionis, sed & formaliter in ratione Actionis, sed talis differentia in eo est posita, ut eductio sit in subiecto sicut creatio non est, immo illi repugnat esse in ipso, ergo eductio in ratione formali, & essentiali est passio. Respõdeo distinctionem eductionis à creatione intra limites Actionis non consistere in eo, ut eductio qua talis sit in subiecto, saltim ut receptio, sed ut connotet subiectum in quod tendit, tanquam causalitas causæ formę educentis, seu extrahẽtis ex illo ipsa actione, at vero creatio neque connotat ullum subiectum ut creatio Angeli, neque in illud tendit tanquam causalitas educentis, est enim productio termini per se. Vnde sequitur ut eductio per se & physice invehat passionem, nõ vero ut sit formaliter passio, creatio autem nec per se, & physice illam invehat in subiectũ.

Vltimo, Passio est ens reale, ergo ut tale concipitur, sed non est ens à se, cum non sit Deus, ergo ab alio, ergo oritur ab alio principio activo, sed non per actionem à se distinctam, ergo per seipsam, ergo ipsa est formaliter actio eductiva, cum seipsa educatur ex subiecto. Respondeo, quæ concludit argumẽtum vera esse tantum realiter, non formaliter: nam passio cum sit ens reale physicum, realiter est à principio à quo est eductio, & fit realiter seipsa, quia est idẽptificata cum eductione, quæ fit seipsa; at vero formaliter ut passio neque seipsa, neque per aliã actionem fit, sed est quid consequens actionem eductivam,

quæ realiter & formaliter per seipsam fit. Sic enim & plerique Theologi in divinis relationibus philosophantur, dum tuentur eas non includere formaliter divinam essentiam: aiunt enim divinam relationem, v. g. Paternitatem, non esse ens simpliciter à se, & increatum, quia sic esset Deus formaliter; neque esse ens ab alio, sed simpliciter creatū, quia esset creatura, sed esse aliquid entis à se, & simpliciter increati, & eius naturam consequens.

Collige primo. Caput huius prædicamenti obtinere passionem in communi, quę distribuit potest in substantialem, & accidentalem, corpoream, & incorpoream, & alijs modis, quibus supra divisimus actionem eductivam. Noto hic. Sicut datur actio transiens, & immanens, ita dari passionem transeuntem, & immanentem, verum Passionem transeuntem non esse illam, quæ transit in aliud subiectum, sed quæ correspondet Actioni transeunti, quæ dicitur transiens, quia recipitur in subiecto distincto à potētia activa.

Collige secūdo, passionis passiones esse duas. Prima est susciperе magis & minus, nam corpus nunc magis nunc minus frigefit. Secunda, habere contrariū, nam calefieri, & frigefieri, contraria sunt. Vtraque cadit in passionem ratione termini, sicut in actionem, ut vidimus.

✠

DVBIVM VI.

De Vbi, seu Præsentia.

VBI est præsentia rei in spatio loci, v. g. præsentia quam habet Petrus Romę, dicitur ubi. De eo agam ex professo quarto Physicorum, nunc breviter attingam ea, quæ ad illius quidditatem explorandam spectant. Pro qua noto, duplex esse spatium loci. Primum imaginarium, secundum reale. Imaginariū est vacuitas apta repleri corpore reali, quę vel est quid negativum, vel quid confictum, & cogitum; ut spatium sine termino protensum, & fixum ad præsentię naturam enodandam: hoc spatiū Deus replet sua immēsitate, & in qualibet eius parte potest constituere corpus reale; si ergo Deus extra Empyreū cœlum corpus locaret, illud esset in spatio loci imaginarij. Spatium reale est locus realis, qui itadefiniri solet: Superficies extrema corporis ambientis immobilis, in quo loco uniuscuiusque nostrum corpus exsistit, quia extrema aēris superficie circumquaque ambitur.

Sit Assertio. Vbi non est sola extrinseca denominatio, sed modus intrinsecus superaddit⁹ rei præsenti, per quem constituitur res formaliter præsens in spatio loci. Probatur primo ex Aristotele asserente, ad ubi terminari per se motum, sed motus non terminatur ad denominationē extrinsecam, sed ad aliquid intrinsecum, ergo &c. Hæc ratio confirmabitur in Philosophia, ubi ostendemus contra nonnullos recentiores motum localem esse

5. *Physicorū*

esse veram actionem modi præsentię productivam, & nō qualitatem.

Secundo. Per solam extrinsecam denominationem non mutatur res realiter ut per se constat, sed corpus si modo sit in hoc loco, & postea ponatur alibi, realiter mutatur, ergo non adquirit solam extrinsecam denominationem, sed aliquid reale intrinsecum.

Tertio. Si præsentia esset denominatio extrinseca, esset desumpta à loco reali, vel imaginario, sed neutra esse potest, ergo &c. Minor probatur: quoad primam partem, quia potest mutari denominatio extrinseca à loco reali, quin mutetur ubi; & è converso mutari ubi, quin mutetur talis denominatio extrinseca. Quod ita suadeo. Arbor fixa continuo mutat superficies corporum ambientium, v. g. aquæ, aëris, &c. & consequenter mutat denominationem extrinsecam desumptam ab illis, & tamen non mutatur ubi, cum semper arbor immutata persistat. Tum etiam dum aqua in vase defertur, mutat præsentiam cū moveatur localiter, & tamen nō mutat denominationem extrinsecam desumptam à superficie vasis ambiente, ergo præsentia non consistit in denominatione extrinseca à reali superficie ambiente, id est à loco reali. Cōfirmatur, quia si quis partim igne, partim aëre, partim aqua, partim q. terra ambiretur, eius locꝰ realis esset ens per accidēs, & cōsequēter & denominatio ab eo desumpta, & tamē haberet præsentiam prædicamentalem, quæ est unū ens per se, ergo hæc non est denominatio à loco reali.

Probatur minor quoad secundam partem, quia denominatio realis extrinseca debet sumi à forma reali extrinseca, sicut denominatio realis intrinseca à forma reali intrinseca, sed spatiū imaginariū nihil reale est, ergo ab illo non potest sumi denominatio realis cōstituēs hoc prædicamentum.

Postremo probatur assertio, evellendo fundamentum adversariorum: quia si propter aliquā rationem præsentia nō esset modus intrinsecus superadditus, sed sola denominatio extrinseca, maxime quia eo ipso quod producitur res, præintelligitur præsens loco per suammet entitatem, secluso modo superaddito, nam talis modus debet fieri dependenter ab illa re in tali loco, ergo res ipsa antequam illum producat debet intelligi præsens in tali loco, prius enim est esse in loco, quam operari in illo, ergo superflue additur modus præsentiæ ut sit in loco. Sed contra primo, quia si hoc argumentū aliquid valeret, concluderet etiam superfluam esse denominationem extrinsecā, quia etiam supponere debet rem in loco, prius enim est rem esse in loco, quam recipere in illo denominationem extrinsecam. Secundo, quia quemadmodum relatio similitudinis inter duo alba supponit illa per suasmet entitates fundamentaliter & negative similia, & subsistentia naturam substantialem independentem ab alio tanquam à supposito, ita præsentia supponit rem fundamentaliter, & negative præsentem in spatio, sed duo alba egent relationibus superadditis, ut dicantur formaliter

& positive similia, & similiter natura eget subsistentia ut dicatur formaliter & positive independens, ergo pariter res aliqua egebit præsentia, seu ubi, ut dicatur formaliter & positive præsens in loco.

Ex dictis colligo duo. Primũ præsentiam distingui à re præsente, ut modus à subiecto, quia permanẽte tota entitate rei mutantur variæ præsentiæ, & tamen præsentiæ esse nequeũt adhuc per divinam potentiam, sine re præsente. Secũdum, genus supremum huius categoriæ esse præsentiam creatam, quę ita definiri potest: Forma accidentaria faciens rem præsentem in spatio loci. Dividi potest in spiritualem, & corpoream, in naturalem, & supernaturalem, indefinitivam, & circumscriptivam, de quibus suo loco erit sermo.

DVBIVM VII.

De Quando, seu Durationc.

HVius prędicamenti forma est duratio rei creatę, qua res assistit spatio temporis. Pro cuius notitia premoneo duplex esse spatium temporaliũ, imaginarium unum, & alterum reale. Primum est spatiũ quoddam ab ęterno usque in æternũ extensum, quod concipitur continuo fluens. Hoc Philosophi cõfixere ad facilius intelligendam nostræ durationis naturam, quæ sine ordine ad mensuram extrinsecam non innotescit. Secundũ est tempus primi mobilis, vel circulatio, vel motus illius, aut horologij in orbem currentis: isti enim motus, vel eorum duratio instituta est ad res corruptibiles, vel actus humanos mẽsurandos.

Iudico primo. Durationem realem constituentem hoc prædicamentum non esse aliquid intrinsecum, quod sit idem realiter cum re dundante. Probatur primo, quia si duratio est idem realiter cum re durante, ergo duratio substantiæ est substantia, & duratio quantitatis quantitas, & sic de reliquis; atque adeo duratio non esset peculiare accidens huius prædicamenti. Secundo. Duratio substantiæ nõ differt realiter à substantia; ergo duratio substãtiæ non potest esse accidens huius prædicamenti. Consequentia est manifesta, quia accidens reale prædicamentale debet realiter inhærere subiecto, sed si duratio substantiæ non discreparet realiter à substãtia, nequiret illi realiter inhærere; illud enim quod realiter inhæret alteri, realiter discrimi natur ab illo, ergo duratio substantię nequit esse accidens reale huius prædicamenti, si non differat realiter à substantia. Tertio. Si duratio non distingueretur ab entitate rei durantis, tota ratio intrinseca durationis erit in primo instanti in re durante, ergo denominabit illam durantem cum forma nequeat esse in subiecto, quin illi tribuat suum effectum formalem.

Ita Rubius 4. Physicorũ q. 4. Placet physico etiã 4. disp. 2. q. 3. contra Suarium disp. 50. Met. sect. 1. & 2. Nostrũ Blãc hic sec. 4. & alios.

Iudico secundo. Durationem huius prædicamenti non esse denominationem extrinsecam. Nã vel esset denominatio extrinseca à spatio imaginario, vel à duratione reali primi mobilis; nõ à spatio imaginario, quia Quando

Ita Suarez, nostri Blanc citati, & plures alij.

do prædicamentalis debet esse realis, à spatio autem imaginario mere confícto nulla denominatio realis proficisci potest; neque à duratione motus primi mobilis, nam secluſa omni circulatione cœli, si res in sua exsistentia perseveret, durat, ergo non est denominatio à duratione motus primi mobilis. Secundo. Duratio motus primi mobilis pertinet ad hoc prædicamentum, sicut aliæ, sed ista non est denominatio extrinseca, ergo neque duratio prædicamentalis cæterarum rerum. Minor probatur, nam duratio motus primi mobilis non habet aliam à qua denominetur extrinsece, ut à sui mẽsura, nisi durationem spatij imaginarij, quæ nequit præbere denominationem realem. Postremo, quia cum æternitas Dei modo denominetur extrinsece à duratione primi mobilis, etiam ad hoc prędicamentum pertineret, quod est falsum.

Ita auteres citati pro prima conclusio ne.

Iudico tertio. Durationem cõstituentem hoc prædicamentum esse modum intrinsecum distinctum ex natura rei ab ipsa re durante. Probatur primo, nam relatio ut iam visum, est modus re ipsa diversus à fundamento, ergo & duratio. Probatur consequentia, nam utraque est intrinseca denominatio, & rei, ac subiecto de novo advenit; nam sicut res, quæ antea non erat relata, postea denominatur relata ad terminum, ita res, quæ in primo instanti non durabatur postea intrinsece denominatur durans, ergo sicut propterea, ut supra probatum, Relatio est nova forma distincta adveniẽs subiecto, ita & Duratio. Secundo. Præsentia, ut vidimus, est modus distinctus à re præsenti, ergo & duratio. Consequẽtia probatur: nam sicut res permanens in tota sua entitate potest mutare varias præsentias, ita & varias durationes, ergo utraque reipsa distinguitur à subiecto proprio. Antecedens patet, nam duratio quam quis habet hodie, distincta est ab ea quam cras habebit, alias hodie duraret per duos dies, immo & duratio præsens non differret ab ea viginti annorũ spatio, quia viginti annorum spatio erat potiturus.

Obijcies primo. Eo ipso quod res permanet in sua exsistentia post primum instans productionis suæ, durat præcisa qualibet entitate & modo, ergo duratio non est accidens realiter diversum à subiecto durante. Distingo antecedens: Durat negative, concedo, quia non amittit exsistentiam: durat positivè nego: quare neganda est consequentia, quia modus iste exigitur, ut res positivè duret, sicut & relatio inter duo alba ut sint positive similia, & ubi, ut res positive sit præsens spatio.

Obijcies secũdo. Sic se habet prima rei exsistentia in primo instanti, & eius subsequens duratio, sicut prima illius productio, & subsequens eius conservatio; sed conservatio solum ratione differt à prima productione; ergo & duratio à re primo exsistenti. Respondeo conservationem, si sumatur præcisè pro actione, solum differre per intellectum à prima productione; si vero usurpetur reduplicativè ut conservatio, quo modo iam addit modum durationis, re ipsa discrepat, quare nihil efficit argumentum; sic enim exsistentia

rei

rei prima, & eadem permanens in ratione entis exsistentis, non discrepant re ipsa; si vero exsistentia permanens capiatur reduplicative ut durans, iam addit modum distinctum ex natura rei ab exsistentia.

Disp. 17. sec. 3. Ex dictis collige primo. Durationem prædicamentalem, nõ esse partim denominationẽ intrinsecam, & partim extrinsecam, ut autumat Hurtadus, qui opinatur, durationem creatam claudere in recto exsistentiam rei durantis, & in obliquo tempus, cum illa coexsistens actu, vel potentia. Primo, nam totum hoc est ens per accidens, & non prædicamentale. Secundo, quia tempus extrinsecum coexsistẽs durationi Petri verbi gratia, supponit iam illum intrinsece durantem; ideo enim eius coexsistit durationi; ergo tota ratio durationis est intrinseca & cõpleta, quin includat tempus extrinsecum. Tertio. In sententia Hurtadi, præsentia solum est denominatio intrinseca, & non claudit spatium loci extrinsecum; ergo etiam duratio.

Collige secundo. Generalissimum huius prædicamenti, esse durationem intrinsecam creatam, quæ distribui potest, in spiritualem, & corpoream, & hæc in alias species, quas simul cum alijs de duratione quarto Physicorum explanabo.

DVBIVM VIII.

De Situ.

EX dictis supra de figura, liquet Sitũ ita debere exponi: dispositio partium in ordine ad locũ, verbi gratia, stare, sedere, cubare sunt diversi situs, quia homo quando sedet, & quando stat, vel cubat, habet diversas situationes, seu dispositiones partium in loco: per hoc ultimum discrepat situs à figura, quæ de dispositione partiũ in ordine ad locum non curat. Modo in eadem versamur difficultate, qua nuper de alijs prædicamentis, nimirum an sit denominatio extrinseca, vel modus intrinsecus. Circa quam

Assero primo. Situs non est denominatio extrinseca, quia non provenit ab aliqua forma extrinseca; non ab unione partium inter se, quia hæc intrinseca est subiecto; non ab earum distantia inter se, quia vel est relatio, & ita intrinseca, vel negatio simultaneæ exsistentiæ, quæ nihil est reale positivum; non ab his omnibus, quia esset partim intrinseca, & partim extrinseca; partim positiva, partim negativa, ideoque ens per accidẽs. Denique non à corpore extrinseco; nam denominatio, v.g. sedentis, non sumitur à sede sustẽtante, sed à sessione, quę est corpori intrinseca; etenim substracta sede, posset homo eandem partium dispositionem, & situm in ordine ad locum retinere. Postremo, nõ à superficie reali ambiente; nam in vacuo ubi nulla realis exsistit superficies, posset corpus varios suscipere situs, ut si se in crucem extenderet, aut in globum contraheret.

Assero secundo Situs est modus realis intrinsecus superaddi tus rei situatæ. Probatur: Vt res sit formaliter præsens in loco ponitur in ea modus realis intrinsecus præsentiæ, & similiter

modus

modus realis intrinsecus figurę ut habeat partes formaliter inter se dispositas, ergo ut res habeat partes dispositas in ordine ad locum, debet poni in ea modus realis inerinsecus, qui sit situs.

Ita noster Blanchic sect. 7. Antonius Sala disp. vlti. de sex ultimis prad. q. 3. contra Suarium disp. 52 sec. 1 n. 9. & Coimbr. hic q. 2. art. 1.

Assero tertio. Situs realiter discrepat ab Vbi. Probatur: quia in variato situ, potest variari ubi, nam quando movetur corpus rotundum ab uno spatio in aliud, mutat ubi, retinendo eundem situm, cum cõservet eandem partium dispositionẽ in ordine ad locum. Idem contingit quando aliquis homo sedens, vel cubans vẽhitur curru, vel navi, tũc enim non mutato situ variatur ubi, ergo situs realiter distingui tur ab ubi. Ratio à priori est, quia hic situs solum dicit ordinem ad locum absolute, hoc vero ubi dicit ordinem ad hunc locum: quare loco mutato necesse est mutetur prȩsentia, non tamen situs.

Oppones. Præsentia divisibilis ita se habet respectu rei, quã constituit prȩsentem, ut ex vi totius præsentiæ tota res correspondeat toti spatio, & partes partibus spatij; ergo per præsentiã res habet sitũ, & per consequens situs non differt realiter ab ubi. Consequentia probatur, quia habere situm nihil aliud est, quam habere partes ita dispositas in ordine ad locum, ut unaquęque sit in sua parte loci; atqui ex vi præsentiæ divisibilis habet res suas partes ita spatio correspondentes, ut unaquæque sit in sua parte spatij, ergo per præsentiã divisibilem res habet situm. Respondetur, hoc argumentum etiã concludere, situm non distingui adhuc per intellectum ab ubi, nam ubi divisibile ut sic, essentialiter habet partes ita distinctas, ut constituant totum corpus in toto spatio, & partes in partibus spatij. Vnde ubi ut sic formaliter, & essentialiter esset situs, & adhuc ratione non distingueretur ab ipso: quod adversarij renuent. Respondetur igitur per præsentiam divisibilem constitui partes rei formaliter prȩsentes diversis partibus spatij; per situm vero solum fundamentaliter, & quasi præsuppositive. Sicut enim prius est rem absolute esse, & postea per prȩsentiam superadditam fieri formaliter prȩsentem, ita etiãprius est rem esse secundum suas partes dispositam, quam secundum illas fieri præsentem formaliter diversis partibus spatij per præsentiam superadditam, præsertim quia per situm disponuntur partes in loco independenter à determinatis partibus loci, nam idem situs potest conservari in alio loco, per præsentiam vero dependent partes à determinatis partibus loci, ita ut non possint cum eadem præsentia in alium locum transferri.

In fine infero duo. Primũ est, non solum in substantia, sed etiam alijs accidentibus reperiri proprium situm, sicut & propria figura; nam quemadmodũ habent partes dispositas in ordine ad se, ita etiam in ordine ad locum. Secũdum est, situm in cõmuni esse genus supremum huius prædicamenti, & findi in varias species, iuxta diversitatem dispositionum partium in ordine ad locum, ut sedere, stare, cubare, &c.

DVBIVM IX.

De Habitu, seu habere.

NON hic loquimur de habitu, qui qualitas est, sed de ea appellatione, quidquid illa sit, proveniente ex applicatione vestis ad corpus.

Suarez disp. 53 sectio. 1. Conimbr hic q. 3. artic. 2.

Dico primo contra Suarium, & Conimbricenses. Habitus prædicamentalis non est denominatio extrinseca à veste. Probatur primo, quia prædicamentum habitus debet esse unũ ens per se, sed denominatio à veste est unum ens per accidens, ergo &c. Minor probatur, nam denominatio vestiti non est distincta ab ipsa veste, sed hæc est unum per accidens, quia sæpe est complexa ex multis substantijs completis, & physice non unitis, & saltem semper ex substantia & forma artificiosa vestis, & eius certa ad corpus coaptatione ut patet, ergo & illa erit ens per accidens. Secundo. Prędicamenta debent constari ex entitatibus realibus intrinsecis substantialibus, vel accidentalibus, & nõ ex denominationibus extrinsecis, aliter enim addenda essent alia prædicamenta præter communiter assignata, cum dẽtur aliæ denominationes extrinsecæ, videlicet esse visum, dexterũ, &c. atqui habitus enumeratur ab omnibus inter prædicamenta realia; ergo non est extrinseca denominatio. Tertio, quia Aristoteles docet, ut videbimus infra, habitum esse medium inter vestem, & rem vestitam; sed denominatio extrinseca à veste non est media, cum sit ipsamet vestis, sicut & denominatio extrinseca à cognitione est ipsa cognitio, ut alibi docuimus; ergo &c. Quarto, denominatio extrinseca ab spatio tẽporis, vel loci non constituit prædicamẽtum Quando, aut Vbi, ut isti authores nobiscum autumant; ergo neque denominatio extrinseca à veste prædicamentum Habitus.

Dico secundo cõtra quosdam recentiores. Habitus non est accidens intrinsecum sola ratione distinctum à subiecto. Probatur primo ex illorum recentiorum principijs, nam hominem esse modo vestitum, qui antea non erat, est nova denominatio intrinseca, ergo aliqua forma nova advenit intrinseca, sed hęc non est à veste, quia est extrinseca; ergo alia reipsa distincta à subiecto. Secundo, quia ante vestem erat in subiecto omne accidens sola ratione ab illo distinctum, sed ante vestem nõ erat habitus, quia non denominabat subiectum habens, seu vestitum, ergo non est accidens sola ratione diversum. Vis harum rationum, liquet ex dictis in simili instituto ad caput de relatione, & duratione. Tertio ad Hominẽ arguo, quia ex eo quod Aristoteles doceat habitum esse medium inter vestem, & rem vestitam, recte illi colligunt nobiscum, non esse denominationem extrinsecam à veste, quia ista denominatio nõ est media, cum sit realiter ipsa vestis; sed similiter ista denominatio intrinseca non est media, cum in illorum sententia sit realiter ipsa entitas rei vestitæ; ergo neque erit Habitus.

Dico tertio. Habitus prædicamenta-

Ita Rubius hic q. unica à nu. 6. & ex noſtratib⁹ patres Dida cus à Ieſu, & Ieſephus Blanc, & nō pauci recentiores.

mentalis eſt modus intrinſecus reipſa diſtinctus à ſubiecto. Probatur primo ex Ariſtotele quinto Metpah. cap. 10. vbi ita habet. *Habitus autem dicitur tanquam quidam habentis & habiti actus: ſicuti actio quadam, aut motus. Nam cum hoc quidem effecit, illud vero fit, eſt media effectio. Ita & habentis veſtem & veſtis habita eſt medius habitus.* Hæc Philoſophus. Vnde ſic arguo. Habit⁹ eſt medius inter habentem, & habitam veſtem, ſicut actio inter efficientem & effectum, ſed actio eſt modus ex natura rei ab utroque diſtinct⁹, ergo & Habitus. Secūdo, quia cū non ſit ſola entitas habētis, neque ſola denominatio extrinſeca veſtis, nihil eſſe poterit niſi iſte modus. Tertio, quia ſicut homo habet aptitudinem naturalē ut ſit in ſpatio loci, vel temporis, ita & habet ut habeat veſtes: ſed cum actu fit præſens in ſpatio temporis, vel loci, acquirit novum modum diſtinctum, qui eſt veluti actus explēs illam habitudinem: ergo ex eo quod induatur actu veſtib⁹, acquiret novum modum Habitionis, ut ita loquar, qui ſit actus capacitatis veſtium.

Quarto, quia ex ſola approximatione cuiuſlibet ſubſtantiæ ad corpus, reſultat in illo mod⁹ intrinſecus, qui eſt relatio propinquitatis, ergo ex coaptatione ſubſtantię veſtis ad corpus pullulabit modus intrinſecus habitionis.

Nec refert ſi dicas, iſtum modum non differre à Relatione propinquitatis ad veſtem, nam iſta præciſe efflagitat approximationem; Habitus vero inſuper certam veſtium diſpoſitionem, & coaptationē ad corpus, qua deficiēte, & approximatione perſeverante, corpus propinquum illis, nonvero habens veſtem, ſeu veſtitum, denominabitur.

Oppones, habitus nihil aliud eſt, quam eſſe veſtitum & armatum; ſed iſtæ denominationes conveniunt corpori humano ex ſola veſtium, vel armorum circumpoſitione, ſublato quocumque modo ſuperaddito; ergo habitus eſt ſola denominatio extrinſeca. Reſpondeo, ſicut in homine ſedente dantur duę denominationes, quarum una eſt intrinſeca, deſumpta à ſeſsione, quæ nequit eſſe ſine modo ſeſſionis, & alia extrinſeca, deſumpta à ſede, quæ reperiri poteſt ſine eo modo, ita in homine veſtito dari duplicem denominationem, unam intrinſecam, deſumptam à modo intrinſeco, reſultante ex applicatione veſtiū ad corpus, quæ ſine illo modo eſſe nequit, & eſt habitus conſtituens hoc prædicamentum; & alteram extrinſecam, deſumptam ex circūpoſitione veſtiū, vel armorum, quæ conſiſtere poteſt ſublato quocumque modo ſuperaddito.

Colligo primo. Habitum non produci à re habita, ſed à ſubiecto poſita veſtium applicatione. Probatur, nam relatio non producitur à termino, ſed à ſubiecto, poſito termino tanquam conditione, ergo & habitus non producitur à veſte, ſed à ſubiecto, ſuppoſita veſtis applicatione, veluti conditione requiſita.

Colligo ſecundo, Habitum ſolum reſultare in corpore humano, quia pullulat ex poſitiva capacitate corporis, & appetitu naturali veſtium: eſt enim quaſi

actus illam potentiam actuans, & explés naturalem appetitum, ſed iſte appetitus naturalis, & capacitas ad veſtes, & arma in homine ſolũ reperitur, ergo in corpore humano dumtaxat Habitus reſultabit ex armorum, & veſtium appoſitione. Minor deducitur ex Philoſopho, ubi docet naturam cæteris animantibus veſtes quibus ſe operiunt, ut cutem duram, pilos, ſetas, lanam, & alia ſimilia tribuiſſe; tũ arma, ut cornua, & ungues, quibus ſe defendere poſſent: hominem nudum expoſuiſſe ſola ratione inſtructum, ut ea ſibi veſtes & arma pararet, quibus ſuæ neceſsitati ſubveniret. Ex quo fit, cum in homine ſolo ſit neceſsitas, & veſtium, & armorũ à natura inſita, & non in alijs animantibus, quæ iam veſtita, & armata edidit natura, in illo, & non in his eſſe capacitatem, & appetitum naturalem armorum, & veſtium: quo circa ſolus homo proprie veſtitus, & armatus denominatur, ſaltẽ per modum habitus; alia vero animalia tantum per analogiã ad hominem. Lege Rubium citatum numero 7.

Lib 3. de partibus animalium cap. 1.

Collige tertio. Habitum in communi diſtribui poſſe in varias ſpecies, iuxta varias rationes formales indumenti, vel ornamenti, quæ corpori circumponuntur, ut eſſe veſtitum, armatum, &c. Et hæc de prædicamentis.

CAPVT DECIMVM.

De Oppoſitis.

SVMMA CAPITIS.

TRIA præſtat Ariſtoteles in hoc capite. Primum diſtribuit Oppoſita in quatuor genera, ſcilicet in relativa, contraria, privativa, & contradictoria. Secundum, illa inter ſe confert, & probat inter ſe diſtare. Tertium adfert quinque contrariorum paſſiones, quas recenſebimus in commentariis.

EXPLANATVR CAPVT.

Oppoſita namque, &c. Enumerat quatuor oppoſitorũ genera, ſcilicet relativa, contraria, privativa, & contradictoria, ut duplum, & ſubduplum, bonum & malũ, cæcitas & viſus, ſedere & non ſedere, ã relativis ſumit exordium. Oppoſitio relativa conſiſtit in mutuo reſpectu unius ad aliud: hoc ſignificat Philoſophus aſsignãs diſcrimen inter relata, & cõtraria

ria, quod in relatis totum esse unius positum est in ordine ad aliud, ut liquet in Patre respectu filij, & è contra, & per hoc solum opponuntur; at vero cõtraria opponuntur, quia possunt se mutuo expellere ab eodem subiecto, bonum enim non dicitur mali bonum, sed mali contrarium.

Atqui contraria, &c. Hic Philosophus omissa definitione contrariorum, vel quia ex his quæ hoc capite dicũtur facile potest colligi, vel quia iam definit illa 10. Metaph. cap. 6. ut videbimus in dubijs, enumerat duas divisiones contrariarum; alia inquit sunt immediata, in quibus necesse est unum ex contrarijs inesse subiecto, ut sanitas & morbus in animali, animali enim necesse est aut sanitatem aut morbum inesse. Alia sunt media, quorum neutrum necesse est inesse proprio subiecto, ut quando pugnant albedo & nigredo in eodẽ subiecto, quod non habet omnimodam necessitatem unum vel aliud habere, cum possit habere colorem medium.

In quibusdam igitur, &c. Inter contraria quædam numerat, quę habent media nominata, ut inter album & nigrum est fuscũ, pallidum, rubrum, &c. quędam innominata, ut medium inter iustum & iniustum non habet nomen, & explicatur per negationes, quod neque habet habitum iustitiæ, neque iniustitiæ; & rationem huius possumus assignare, quia in aliquibus contrarijs medium est positivum participans naturam utriusque extremi; ut pallidum, quod participat naturam albedinis, & nigredinis, & tepidum naturam caloris & frigoris, & ideo habent nomina; in aliis vero non, ut inter studiosum & pravum non est medius habitus positivus, sed negatio utriusque, & ideo non habet nomen.

Privatio autem, &c. Illa ait privative opponi, quę se habent ut habius & privatio. Nomine habitus accipe quamlibet formã, qua privatur subiectum. Privatio est carentia formæ in subiecto apto, & in quo differt à negatione, quæ est carẽtia in subiecto inepto.

Privatum autem, &c. Ait privatum esse, non esse privationem: sicut habitum habere nõ est habitus; quod suadet bifariam. Primum, quia unum est cõcretum, & aliud abstractum. Secundum, quia non verificãtur de eodem; homo enim, inquit, est cæcus, & non est cæcitas; quia privatus est visu, & nõ est ipsa privatio. Concludit demum Aristoteles concreta, scilicet cæcus & videns, opponi privative, sicut opponuntur abstracta, nempe visus & cæcitas.

At enim neque, &c. Explicat iam Philosophus contradictorie opposita, & ait talia esse quæ pugnant sicut affirmatio & negatio, ut Petrus sedet, Petrus non sedet. Docet primo: Affirmationem & negationem solum dici de signis, v. g. de vocibus scriptis, & cognitionibus, & significatum propositionis, ut sedere, non sedere à parte rei non esse negationes aut affirmationes, nã affirmatio est oratio, & res ipsa non est oratio. Secundo ait, sicut affirmatio & negatio, quæ sunt orationes, opponuntur cõtradictorie, ita & significata earum,

rum, ut Petrum ſedere, & Petrũ non ſedere.

At vero privationem, &c. In ſecunda parte capitis confert inter ſe oppoſitorum genera, & quia initio contraria cum relativis contulit, nunc eadem relativa comparat cũ privativis, & ait, privative oppoſita non eſſe relative oppoſita: quod probat dupliciter. Primo, quia privativa non dicuntur aliorum eſſe. Secundo, quia non convertũtur ut relata.

Atqui neque perinde, &c. Confert privative oppoſita cum contrariis, & ea inter ſe diſtingui, hac ratione ſuadet. Contraria quædam dicuntur inmediata, quæ talia ſunt, ut alterum eorum neceſſario inſit proprio ſubiecto: ut ſanitas & ægritudo: quædam vero mediata ut albũ & nigrũ, quorum nõ eſt neceſſe alterum ineſſe, niſi forſan alterum ſit accidens proprium, & naturale: ut calor ineſt igni, & nivi albedo: at privative oppoſita non eſt neceſſe alterum ineſſe: nam catulus ante nonum diem nec eſt videns, nec cæcus, ergo non ſunt contraria primi generis. Rurſus homini neceſſe eſt alterum ineſſe, & id non provenit eo quod vtrũs ſit neceſſarium accidens hominis, neque cæcitas, quia homo eſt indifferens ad utrũlibet, ergo non ſunt contraria ſecũdi generis.

Præterea inter, &c. Secũdo probat idem aſſertum: nam in contrarijs poſſibile eſt fieri mutationem indifferenter ab uno ad aliud, & è converſo, ut ex frigido calidum, & ex calido frigidum, niſi unum ſit accidens proprium, quod nequit corrumpi, niſi corrupto ſubiecto. Sed in privative oppoſitis tametſi ab habitu in privationẽ poſſibilis ſit tranſitus, tamen à privatione in habitum naturaliter impoſſibilis eſt regreſſus: fit enim ex vidente cæcus, non tamen ex cæco videns.

Atqui patet, &c. Confert contradictoriç oppoſita ad tres præcedentes oppoſitiones, & ait, proprium eſſe huius oppoſitionis in univerſum de quocũque, ſive ſit, ſive non ſit, neceſſe eſſe affirmationem veram eſſe, aut negationem: quod nulli aliorum oppoſitorum competit.

At vero malum, &c. In poſtrema capitis parte quinque cõtrariorum affectiones numerat. Prima eſt: bono contrarium eſt tantum malum: malo bonum, & malum, nam prodigalitati opponitur liberalitas & auaritia. Sumit Ariſtoteles malum & bonum, non tranſcendentaliter, ſed quatenus dicũt aliquam cõvenientiam ſubiecto, aut diſconvenientiam, ut uirtus & vitium. Secunda proprietas eſt, ſi alterum contrariorum exſiſtit, non eſt opus ut aliud exſiſtat. Tertia non poſſe in eodem ſubiecto ſimul eſſe ſecundum eandem partem, ut exponit Toletus, nam in diverſis non implicat. Quarta contraria ſemper reperiri in eodem ſubiecto ſpecie, vel genere, v.g. quia proprium ſubiectũ ſanitatis eſt animal, idem etiam eſt proprium ſubiectum ægritudinis: lapis enim qui non poteſt eſſe ſanus, nec etiam poteſt eſſe infirmus. Vltima contraria ſub eodem genere collocantur, ut albedo & nigredo ſub eodem genere qualitatis, vitium & virtus etiam ſub genere qualitatis.

CA-

CAPVT XI.

De modis prioris.

PRIVS *quippiam alio, &c.* In hoc capite assignat Aristoteles quinque modis esse unũ altero prius. Primo tẽpore, vel duratione realis; sic dicitur Plato prior Aristotele. Secundo ex sistendi consequentia, quando exsistentia unius ex alterius exsistentia deducitur, quo pacto dicimus exsistit homo, ergo & animal, non è converso. Tertio ordine, ut proœmium narratione, fundamentum parietibus. Quarto dignitate, quando alteri in dignitate præstat, ut substãtia accidenti, aurum, argento. Quinto natura, quando unum est causa alterius à quo non pendet, ut sol lucis, & quælibet causa respectu sui effectus, licet duratione simul sint, & hunc modum asserit Philosophus à se fuisse excogitatum. Sextum addere possumus ex fide, scilicet prioritas originis, v. g. Pater æternus, æterno Filio, uterque Spiritu sancto. Non assignat Aristoteles modos posterioris, quia prius & posterius sunt relata, & ita quot modis dicitur unum, dicitur & alterum.

CAPVT XII.

De modis simul.

SIMVL *autem ea, &c.* Contrariorum eadem est ratio, & ita sicut quinque enumeravit Aristoteles modos priorũ, quinque etiam posset modos simul enumerare: Nihilominus tres solos voluit apponere magis tritos, & qui præ manibus habentur. Triplici ergo modo aliqua possunt esse simul, scilicet simultate temporis, simultate naturæ, & simultate divisionis genericæ. Illa dicuntur simul tempore, quæ simul incipiunt, ut natura & proprietates, sol, & lux. Illa dicuntur simul natura, quæ sunt simul tempore, nec unum non est alterius causa, sed unius exsistentia alterius arguit exsistentiam, ut Paternitas, & filiatio. Illa dicuntur simul divisione in genere, quæ simul & æque immediate dividunt rationem superiorem, ut homo & brutum, quæ æque simul animal secant. Hi modi conferuntur cum modis essendi prius tanquam ad opposita. Esse simul tempore, ad esse prius tẽpore, esse simul natura, ad esse prius natura, & sic de reliquis; difficilis est tertium ordinem conferre, illud confert Toletus cum tertio ordine priorum, qui est prioritas secũdum ordinem, nam duæ species nullum servãt ordinem in participando genere.

CAPVT XIII.

De Speciebus motus.

MOTVS *Species sunt sex, &c.* In hac prima parte capitis Philosophus primo sex profert species motus. Prima est Generatio, vel productio substantiæ. Secunda corruptio, seu substantiæ desitio. Tertia augmen-

augmentatio, seu quantitatis accretio. Quarta diminutio quantitatis. Quinta alteratio, scilicet productio, vel intensio qualitatis. Sexta latio, seu motus localis, vel præsentiæ adquisitio, de quibus omnibus in Physicis. Secundo proponit duas dubitationes. Prima est, an alteratio discrepet ab aliis speciebus motus: & respondet maxime distare: nam remanente eadem re immota secundum alias species motus, potest alterari, ut calefieri, & frigefieri, ut est perspicuum. Secunda dubitatio est, an accretio differat à ceteris speciebus motus, præsertim ab alteratione, cui respondet maxime differre: nam eadé res immota manens secundum qualitatem potest fieri maior, ut quadrato addito gnomone augetur, & nõ mutat figuram. Gnomon est supplemẽtum quod additur costis quadrati, taliter ut figura quadrati nõ varietur, sed maneat æquilaterum.

Simpliciter autem, &c. Posita enumeratione distinctarum specierum motus, agit de cõtrarietate motus, & docet cuilibet motui duo adversari, scilicet quietem, & motum contrarium, ut motui deorsum lapidis contrariatur motus sursum, & quies qua quiescebat in loco superiori.

CAPVT XIIII.

De modis habere.

HABERE pluribus modis, &c. Septé significationes appingit Aristoteles verbo habere. Prima habere qualitatem, virtutem scilicet, aut vitium. Secunda habere quantitatem, seu magnitudinem: qua ratione dicere solemus corpus habere longitudinem, seu magnitudinem bicubitam, vel tricubitam. Tertia habere aliquid circumpositum, ut vestem, cingulum, annulum, &c. hæc usurpatio facit prædicamentum habitus. Quarta habere partem componentem, ut suam ipsius manum, pedem, &c. Quinta habere aliquid contentum, vel receptum: quo pacto vas dicitur habere aquam. Sexta habere possessiones, rura, domus, &c. Septima habere cohabitantem; ut vir vxorem.

Quatuor alias significationes habendi proponit Aristoteles, quas quisque poterit apud eum consulere, à nobis tamennõ adferuntur, quia parum distant à superius assignatis. 5. *Metaph. c.* 13. *textu* 28

DISPVTATIO VLTIMA,

De post Prædicamentis.

IN hac disputatione, oppositionis essentiam, & species sibi subiectas, quæ ad prædicamẽtorum notitiam, tum & eorum, quæ in sequẽtibus dicenda sunt non parum conducunt, prælibabimus; omissis aliis supra in memoratis capitibus à Philosopho traditis, vel quia parũ utilia, vel quia in Philosophia expendenda.

DV-

DVBIVM. I.

Quid, & quotuplex oppositio.

MOneo primo. Oppositionẽ de qua hic Aristoteles, eã esse, quæ reperitur inter terminos simplices, nõ vero inter propositiones complexas, de qua egimus in Synopsi.

Moneo secundo. Oppositionẽ dupliciter sumi posse. Primo late pro quacũque diversitate, vel distinctione reperta interaliqua extrema, quę dici solet, Disparata, & versatur etiã inter formas substãtiales, immo & inter substantias integras. Secundo stricte, & proprie, pro quadam peculiari repugnãtia inter duo extrema eo modo affecta, quo infra explicabitur, & de hac Aristoteles hoc loco. Et de ipsa

Autumo primo. Oppositio materialiter sumpta consistit in entitate rerum peculiariter inter se repugnantium. Probatur primo à simili. Differẽtia materialiter sumpta consistit in entitate qua res inter se discrepant; ergo & oppositio in entitate qua sibi repugnant. Secundo. Frigor per suam entitatem, & intrinsecam rationem, per quam ultimo conflatur, opponitur calori, ergo oppositio materialis frigoris consistit in entitate illius calori repugnanti.

Autumo secundo. Oppositio formaliter sumpta est relatio unius rei ad aliam sibi repugnantem, quę fundatur in naturis materialiter oppositis. Probatur primo ex Aristotele constituẽte oppositionem sub diversitate, sed 10. *Metaph.* diversitas formaliter est relatio, ergo & oppositio. Secundo, Oppositio formaliter sumpta est in ordine ad aliud, ergo est relatio. Tertio, Differentia, seu diversitas est relatio ad aliud differens, seu diversum; ergo & oppositio ad aliud oppositum.

Collige primo. Oppositionẽ formaliter ita definiri. Relatio inter duo extrema simplicia, quę simul & secundum eandem partem, ac respectu eiusdem nequeunt esse in eodem subiecto. Relatio habet locum generis, cætera differentiæ. Relatio reijcit materialem oppositionem. Inter duo extrema simplicia, excludit oppositionem, quę versatur inter propositiones. Dicitur simul, & secundum eandem partem, quia diversis temporibus, & secundum diversas partes non repugnat opposita esse in eodem subiecto. Additur, respectu eiusdem, quia aliquando, quæ opponuntur respectu eiusdem, non opponuntur respectu diversorum. v. g. homo respectu eiusdem, nequit habere paternitatem, & filiationem, potest tamen respectu diversorum.

Collige secundo. Oppositionem materialiter, seu pro naturis oppositis definiri ita: Extrema simplicia, quę simul & secundum eandem partẽ, ac respectu eiusdem nequeunt esse in eodẽ subiecto. Quę definitio traditur in concreto; in abstracto vero poterit ita formari repugnantia inter duo extrema, &c.

Collige tertio. Inter opposita negativa non esse relationem realem formalis oppositionis, sed solum rationis. Et si hæc ab intellectu non fingatur, negati-

va extrema fore tantum oppositia materialiter.

Autumo tertio. Oppositio proprie accepta adęquate sęcatur, licet nõ immediate in quatuormẽbra ab Aristotele enumerata, videlicet in relativam, contrariã, privativam, & contradictoriam. Prima pars suadetur, quia nequit excogitari alia, quæ sub aliquo ex membris memoratis nõ contineatur, ergo, &c. Secunda pars probatur, quia potest oppositio distribui in alia membra immediata, scilicet in oppositionem negativam, & positivam, & prima in relativam & contrariam, & secunda in privativam & contradictoriam.

Oppones. Sicut duæ entitates positivæ opponuntur inter se, ita & duæ negativæ. Exempli causa. Cæcitas & non cæcitas, sed istarum oppositio sub nullo ex membris ab Aristotele traditis apponitur, ergo non est sufficiens divisio. Respondeo primo. Posse reduci ad oppositionẽ privativam, vel cõtradictoriam: eodem enim fere modo pugnãt cæcitas & non cæcitas, ac visio, & non visio, entitas & non entitas, in quo casu una negatio se habet veluti forma alteram destruens. Respondeo secundo. Negando unam negationem alteri opponi: per se enim, & primo solum opponitur cum entitate positiva per quam immediate destruitur, & secundario, & per accidens cum negatione in illa virtualiter imbibita. v.g. cæcitas primo & per se dumtaxat visioni opponitur, secundario vero & per accidens negationi cæcitatis, seu non cæcitati quatenus in visione imbibitur.

DVBIVM II.

De oppositione relativa, & contraria.

Dico primo. Oppositio relativa est repugnantia duorum extremorum, quorum totum esse est ad aliud circa idẽ immediatum subiectum, v.g. Paternitas, & Filiatio ita inter se opponuntur, ut neque Paternitas possit esse in immediato subiecto filiationis cui opponitur, neque è converso, quod provenit ex relationis natura, quę essentialiter est habitudo, seu respect⁹ ad aliud extremũ realiter diversum. Quare Relatio in extremo oppositõ dimanans, & alteri respondes nequit esse in illius subiecto, quia similiter est respectus, seu habitudo ad aliud realiter diversum. Hęc oppositio fundatur proxime in ipsis correlationibus, tametsi remote in ipsis relationib⁹. Collige ex dictis contra nonnullos. Relativa non ideo dici opposita, quia unum expellat aliud; imo potius unũ essentialiter efflagitat aliud existens, sed quia nequeunt esse in eodem immediato subiecto.

Dico secundo. Oppositio adversa, seu contraria, recte definitur ab Aristotele. Ea, quæ sub eodem genere maxime distant, & eidem subiecto vicissim insunt, à quo mutuo se expellunt, nisi alterum insit à natura, ut calor & frigus. Prima particula nẽpe, Ea, locum habet generis, & ita idem valet ac oppositа, reliquæ locum obtinent differẽtiæ. Prima pars differentiæ est, sub eodem genere, intellige sive proximo, 10. *Metaph. cap. 6.*

ximo, nt albedo & nigredo ſub colore, ſive remoto inferiori, ut vitium & virtus, error & ſcientia ſub habitu in communi: non enim ſufficit genus remotum ſupremum, ut notant Conimbricenſes hic. Et ratio eſt, quia ab uno contrario fit tranſmutatio ad aliud: tranſitus autem ſemper fit inter ea, quę magnam habent ſimilitudinem: ut ab uno colore in alium, ab uno habitu vitij ad alium virtutis, unde fit ut contraria conveniant neceſſario in aliqua natura infra genus ſupremum, & per hanc partem removentur contraria à privativis, & contradictorijs. Secũda, maxime diſtant, non ſecundum locum, ſed ſecundum naturam; nec dicuntur abſolute maxime diſtare, ſed ſub eodem genere: nam abſolute magis diſtat albedo à quantitate, quam à nigredine.

Tertiò, eidem ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuo ſe expellunt. Ex hac conſtat contraria debere eſſe formas pugnantes circa idem ſubiectum, à quo debent ſe expellere, & ita excluduntur ab hac definitione oppoſita relativa, quorum unum non deſtruit aliud, ut vidimus.

Vltima pars eſt. Niſi alterum inſit à natura. Hæc poſtrema pars additur propter aliquas qualitates, quæ ita ſunt à natura ſubiectis inſitæ, ut in earum locum aliæ oppoſitæ nequeant ſuccedere, ſaltim perfecte, ut niger corvi, & candor cigni.

Obijcies primo. Calefactio opponitur frigori, atqui differunt genere ſummo, quia calefactio eſt actio, & frigus eſt qualitas, ergo contraria non ſemper continentur ſub eodem genere. Nego antecedens. Calefactio enim non opponitur immediate frigori, ſed frigefactioni, cum qua genere convenit in ratione actionis.

Obijcies ſecundo. Qualitates remiſſæ ſunt contrariæ, ſed non ſe expellunt ab eodem ſubiecto, ut liquet in calore, & frigore, quæ in gradibus remiſsis reperiuntur in eodem ſubiecto, ergo non bene additur hæc pars definitionis. Reſpondeo primo. Quãdo cõtraria dicuntur ſe expellere abſolute, intelligendum eſſe de contrarijs in gradibus intenſis. Reſpondeo ſecundo, qualitates remiſſas etiam ſe expellere ab eodem ſubiecto, ſi cum proportione ſumãtur, & ſecundum gradus immediate oppoſitos: nã primus gradus caloris expellit octavum frigiditatis, & ſecundus ſeptimum, & ſic de cæteris.

DVB. VLTIMVM.

De Privativa & contradictoria oppoſitione.

OPpoſitio privativa eſt repugnantia inter habitum & privationem. Nomine habitus intelligimus formam, vel quaſi formam, ut contineat non tantum veras formas, ut viſum, calorem, ſed etiam eas, quę non ſunt verę formæ, ut capillos, dentes, ungues, quarum rerum privationem etiam patiuntur, qui carent illis, cum tamen habere debuiſſent. Nomine vero privationis intelligimus defectum, ſeu carentiam formæ in ſubiecto apto ad illam habendam. Vnde viſus, & cæcitas, reſ-

pectu Petri v.g. opponuntur privative. Contradictoria oppositio est repugnantia inter rem aut formam, & eius negationem, ut inter ens, & non ens, videns, & non videns.

Negatio duobus modis sumi potest. Primo pro negatione cõnotante subiectum ineptum ad formam. Secundo pro negatione abstrahente à subiecto apto, vel inepto, dicente solum carentiam rei. Vnde oppositio contradictoria dupliciter accipi potest. Primo pro illa, quæ intercedit inter formam, & eius negationem in subiecto inepto. Secundo pro illa, quæ est inter formam, & eius carentiam abstrahentem à subiecto apto, vel inepto.

Assero primo. Oppositio contradictoria primo modo sumpta omnino distinguitur à privativa, secundo vero modo, ut ratio superior ab inferiori. Prima pars liquet, quia oppositio privativa dicit carentiam formæ in subiecto apto, & contradictoria inepto, ergo omnino differunt. Secunda pars suadetur, quia oppositio contradictoria, secundo modo sumpta, tantum versatur inter formam, & carentiam, abstrahendo à subiecto apto, vel inepto; atqui oppositio privativa claudit hoc quod est versari inter formam, & carentiam eius, & addit tanquam differentiam in subiecto apto, ergo oppositio contradictoria secundo modo sumpta distinguitur à privativa, tanquam ratio superior ab inferiori.

Assero secundo. Ab Habitu, seu forma fit transitus ad privationem: à Privatione ad Habitũ non est regressus. Prima pars perspicua est: nam à visu ad cæcitatem, à luce ad tenebras transitus est frequens. Secunda vero est Aristotelis pronúciatum, & commune omnium Peripateticorum proloquium, quod suas videtur pati difficultates. Nam in aere datur regressus à tenebris ad lucem, in aqua à privatione frigoris ad frigus. Simplicius Resp. Aristotelem intelligẽdum esse de Habitu, & forma insita à natura: sed non placet, quia frigus est insitum aquæ à natura, & tamen in eo fit regressus. Toletus, & Suarez interpretantur de regressu ad eandem numero formam, quia viribus naturæ fieri nequit, ut quod semel corruptum fuit, iterum instauretur, & redeat, & ita tametsi aer tenebrosus redeat ad lucẽ, non tamen ad eandem numero qua antea illustrabatur. Hęc interpretatio, etsi vera sit, non tamen iuxta mentem Aristotelis, qui distinguit in hoc privative opposita à contrarijs, nam regressus ad eandem numero formam, neque in contrarijs reperitur. Arbitror ergo cum divo Thoma, Aristotelem intelligendum esse de illis privationibus, quæ tollunt à subiecto omnem naturalem potentiam ad formã, & omnes causas naturales sufficientes ad producẽdum illam, ut vera surditas, totalis cęcitas, &c. à quibus ad formam non datur naturalis regressus; non tamen de privationibus, quæ solum auferunt actum, vel formam, & non omnem potentiã naturalem ad ipsam, neque causas naturales sufficientes ad illam introducendam: v.g. tenebræ in aere solum tollunt lucẽ, non vero tollunt causam lucis, scili-

Toletus hic Suarez in in dice suæ Meta. lib. 8. c. 5 q. 2.

Quæst. 2. de mala. ar. 12. ad 13.

scilicet ipsum solem. Et idem est de privatione frigiditatis in aqua, &c. vnde ab his privationibus ad formas datur naturalis regressus.

In fine collige, contradictoriam oppositionem prout continet privativam, & præcise vertatur inter formam & carétiam eius, esse omnium maximam, tum quia eius extrema, adhuc divina virtute spectata, nequeũt esse in eodem subiecto; tum etiam quia inter extrema huius oppositionis nequit dari medium, cum unum ex illis debeat verificari de quolibet ente; quælibet enim res vel est homo, vel non homo, lapis vel non lapis, & idem est de alijs.

*

TRACTATVS QVARTVS.

In duos libros Aristotelis de Interpretatione.

PROOEMIVM.

EXACTE cum Aristotele hucusque de terminis simplicibus sermonem habuibus ut maxime necessariis ad structuram primę mẽtis operationis, ordo doctrinæ exigit, ut de compositis secundã mentis functionem inservientibus, differamus.

AVTHOR.

HOrum authorem fuisse Aristotelem liquet eiusdem subscriptione, ipse enim libro 1. cap. 1. agẽs de propositionibus tertio adiacente, ait se de eis egisse in resolutorijs, qui locus est in libri primi Priorum fine, quem librum constat esse Aristotelis.

INSCRIPTIO.

INscriptio est Peryermenias, id est, de interpretatione seu enuntiatione, enuntiatio enim cum verũ, vel falsum significet, interpretatio est, ut hic notat S. Thomas; vel dicitur interpretatio, quia enuntiatio est quasi quidam nuntius, & interpres mentis, sensum, vel assensum illius pandens.

SVBIECTVM.

Subiectum librorũ horum est enũtiatio in communi, ut cõprehendit tam simplicem quam coniunctam, ut Rubius hic, Toletus, Murcia, & noster Blanch sentiũt. Primo, quia Aristoteles libro primo cap. 4. ex professo disputat de enuntiatione in communi, eamque dividit in simplicem, & coniunctam. Secundo enuntiatio coniuncta pertinet ad aliquam logicæ partem, tanquam partiale obiectum. Num Logica disputet de mẽtali tantum, vel etiam de vocali, & scripta enuntiatione, ex dubio secundo Proœmialiũ petendum est.

PARTITIO OPERIS.

COmprehensio totius operis apud Græcos fit uno libro, apud Latinos duobus. In primo, disputat Aristoteles de signis, nomine, & verbo, ad enuntiationis naturã declarandam: disputat præterea de ipsa enuntiatione, & eius affectionibus, quantitate, qualitate, &c. In secundo libro, absolutas, & modales, explicat enuntiationes.

LIBER PRIMVS

De Interpretatione.

SEX capitibus clauditur hic liber. In primo agit Philosophus de Signis. In secundo, de Nomine. In tertio, de Verbo. In quarto, de Oratione. In quinto, de Speciebus oppositarum enuntiationum. In sexto demum, num in enuntiationibus de futuro contingenti contradictionis regula locum habeat eventilat.

CAPVT I.
De signis.

PRimum constituendum est, &c. Hoc caput in duas partes dividit Philosophus. In prima, quæ proœmium est totius libri, proponit & enumerat ea, de quibus est disputaturus. Et docet se acturum de nomine, & verbo, quæ sunt enuntiationis partes. Rursus de Oratione, quæ est genus enuntiationis. Deinceps de enun-

enuntiatione ipſa, & ſpeciebus ei ſubiectis: utpote de enuntiatione affirmativa, & negativa, &c.

Ac vtrū quidem, &c. In ſecunda & poſtrema parte, quæ iam ad tractatum ſpectat, agit de ſignis, videlicet de vocibus, conceptibus, & characteribus, & adducit tria pronūtiata. Primum eſt. Voces eſſe ſigna, & expreſsiones conceptuum mentis, quos paſsiones intellectus eoquod in illo ſubiectentur vocat; ſcripta vero vocū. Suadetur prima pronūtiati pars, quia per voces manifeſtamus & exprimimus præſeptibus, quę in mēte habemus, ergo voces ſunt ſigna & expreſsiones actuum mentis. Secunda pars ſuadetur, quia per literas & characteres declaramus, præcipue abſentibus, quæ vocibus dicenda erant, ergo ſcripta ſunt ſigna & expreſsiones vocum. Ex quo deducitur nō ſolum voces, verum etiam ſcripta exprimere conceptus intellectus. Vnde etiā deducitur, ut optime notauit Diuus Thomas lectione ſecunda, voces & characteres homini neceſſarias eſſe ex propria eius conditione, quia cum ſit animal polyticum, & ſociabile, eget vocibus & ſcriptis: vocibus vt animum ſuum præſentibus manifeſtare valeat: ſcriptis, ut abſentibus ea quæ mente habet exprimere queat.

Secundum pronuntiatum eſt. Sicut litterę non ſunt eędem apud omnes nationes, ut liquet in Latinis, Græcis, & Arabicis, ita & voces non eſſe eædem, nā quem Latini vocant hominem, Græci appellant antropos. Et ſicut res ſunt ſimiles & eædem apud omnes, ita & actus mentis ſunt ſimiles, & idem apud omnes homines: ſed de his (ait Philoſophus) iam in libris de Anima ſermonem fecimus.

Tertium pronuntiatum eſt. Sicut actus mētis aliquādo verum, vel falſum ſignificant, ut compoſitiones, & diviſiones, aliquando vero nec verum nec falſum dicunt, ut ſimplices apprehenſiones, ſimiliter voces aliquando verū vel falſum dicunt, ut compoſitæ voces, aliquando uero non, v.g. voces ſimplices. Quare nomina & verba cum ſint voces ſimplices, niſi illis aliquid adiungatur, nō ſignificant verum, vel falſum. Vult enim Philoſophus in prima mentis functione, veritatem, vel falſitatem non reperiri.

CAPVT II.

De Nomine.

NOMEN *igitur eſt, &c.* Ariſtoteles de enuntiatione tractaturus ordinem obſervat naturæ, nēpe à partib⁹ ad ipſum totū procedēdo: & ita nodo agit de nomine & verbo, quę ſunt enūtiationis partes, & prius de nomine, quam de verbo, quia in enuntiatione nomē ſe habet ut materia, & verbum ut forma. Definit ergo nomē ita: Vox ſignificans ad placitum, ſine tempore, finita, & recta, cuius nulla pars ſeparata ſignificat. Explicationē ſingularū partium huius definitionis, & omnia quæ deſiderari poſſunt circa præſens pūctum, reperies in noſtra Synopſi.

CA-

CAPVT III.
De Verbo.

VERBVM autem est, &c. Intentum Philosophi est verbi naturam explanare, & ita in prima huiꝰ capitis parte definit nomé ita; Vox significans ex instituto, cum tempore, definite, & semper eorum quæ de alio prędicantur est nota. In secunda excludit à ratione verbi verba infinita, & casus verbi, quia verbum debet significare actionem & passionem determinatam, tum & actu exercitam; sed verba infinita nihil determinatum significãt, & casus verbi, seu verba præteriti & futuri temporis non significant actionem ut actu exercitam, ergo verba infinita, & casus verbi non sunt propriè verba. Postremo infert Philosophus duo, in quibus nomen & verbum conveniunt; quæ facile ex eorum definitionibus deducuntur.

CAPVT IIII.
De Oratione.

ORATIO est vox, &c Enodatis partibus essentialibus enuntiationis, scilicet nomine, & verbo, disputaturus de ipsa enuntiatione in hoc capite, priꝰ in prima capitis parte sermonẽ instituit de oratione, quæ genus est enuntiationis, proponens illius definitionẽ, quæ est huiusmodi: Vox ex instituto significans, cuius pars aliqua separata aliquid significat, ut dictio, non ut affirmatio, vel negatio. Solum definitur oratio vocalis, soli enim huic cõpetit esse vocem. Vnde si velimus utramque definire, hæc adhibenda est definitio: Signum complexum, cuius partes habẽt propriam significationem. Quomodo tota Aristotelis definitio sit intelligenda, tum & omnia quæ principalius de oratione cõtroverti possunt, explicui in Synopsi.

Noto, intelligendam esse Aristotelis definitionem de partibus primis, quæ sunt nomen, & verbum, non vero de omnibus partibus: nam in enuntiatione hypotetica partes significant, ut affirmationes, vel negationes, id est ut enuntiationes affirmãtes, vel negantes.

Non tamen omnis, &c. In secunda parte disputat Philosophus de enuntiatione, & speciebus eius. Et primo proponit enuntiationis definitionem ita: Oratio verum, vel falsum significãs. Quam ut intelligamus, prænotandum est, orationes quasdam esse perfectas, & alias imperfectas: perfectæ sunt, quæ gerant perfectum sensum, ut sunt illæ, quæ nominibus & verbis constant: imperfectæ vero dicuntur, quæ solis nominibus coalescunt, & sunt illæ, quę non generãt perfectum sensum. Prętereà orationes perfectę, quędam significant verum, vel falsum, ut est hæc: Homo est animal, quæ significat verum; & hæc altera, lapis est leo, quę significat falsum. Et huiusmodi generis esse debent omnes, & solæ enuntiationes indicantis modi, & temporis præsentis; aliæ vero sunt, quæ neque significant verum, neque falsum, ut enũtiatio-

tiones aliorum modorum, ut imperandi, & optandi. Definitio igitur proposita intelligenda est de oratione perfecta. Enuntiatio primo distribuitur in veram, & falsam. Secundo in affirmantē, & negantem. Tertio in unam, & multiplicem; de quibus cap. 8 disputatur. Quarto in simplicem, & compositam.

Quando autem, &c. In tertia capitis parte incipit agere de oppositione contradictoria: quod præstat docendo quatuor modis posse attributum efferri de subiecto, nam enuntiatio vel negat de subiecto id quod in eo est, & sic negatio est falsa: ut homo nō est animal; vel affirmat de subiecto quod non est in illo, & sic affirmatio est falsa: ut homo est lapis; vel affirmat de subiecto quod illi competit, & affirmatio est vera: ut homo est animal; vel demum negat de subiecto quod non est in subiecto, & sic negatio est vera: ut homo nō est lapis. Insuper addit, omne quod de alio affirmatur, posse negari de eo, & è converso, & hinc est quod negatio opponitur affirmationi, & è converso, & ita contradictio erit affirmatio, & negatio eiusdem attributi de eodem subiecto terminis univocis ad idem, & secundum idem comparatis, & eodem tempore.

CAPVT V.

De speciebus oppositarum enuntiationum.

Quoniam autem, &c. In quatuor partes præsens caput partiar. In prima, agit Philosophus de enuntiationum subiectis & prædicatis, & docet quamlibet enuntiationem esse universam, vel singularem: quod sua dat, quia res quædam sunt universæ, quæ de multis enuntiantur; & quædam singulares, quæ de uno tantum efferuntur; ergo enuntiatio vel erit universa, cōflata ex subiecto universali, ut homo est animal; vel singularis, coalescens ex subiecto singulari, ut Petrus deambulat.

At si quis aliquid, &c. In secunda parte explicat duas species oppositarum enuntiationum, scilicet adversas, & contradicentes. Primo adversas definit ita: Adversæ sunt duæ enuntiationes eiusdem attributi & subiecti, ambæ universales, una affirmans, & altera negans, ut omnis homo est albus, nullus homo est albus: & advertit, tametsi subiecta enuntiationis universa sint, si tamen non afficiantur nota universali, enuntiationes non esse proprie adversas, & ita istę non sunt adversę, Homo est albus, homo non est albus: & licet notæ istæ omnis, & nullus, non sint universę, adhuc tamen propter significationem efficere propositiones universas, si addātur subiectis, alioquin prędicationes non essent veræ. Secundo definit contradicentes de subiecto universo, contradicentes sunt duæ enuntiationes eiusdem subiecti & attributi, una universalis, altera particularis; una affirmans, & altera negans, v.g. omnis homo est albus, quidam homo non est albus; nullus homo est albus, quidam homo est albus.

Quo circa esse ha simul vera, &c.

In tertia parte proponit quatuor leges oppositarum enuntiationum. Prima est. Enuntiationes adversæ non possunt ambæ esse simul veræ, possunt tamen ambæ esse simul falsę, ut sunt istæ: Omnis homo est albus, nullus homo est albus. Secunda lex. Enuntiationes subadversæ ambæ possunt esse veræ, non tamen ambæ falsæ, ut hæ: Quidam homo est albus, quidam homo nō est albus, quæ ambæ sunt veræ. Tertia lex. Enuntiationes contradicentes neque ambę possunt esse simul veræ, neque ambæ simul falsę, sed una debet esse vera, & altera falsa, tam in subiecto universo, quam in singulari, ut in his duabus: Omnis homo est albus, aliquis homo non est albus: negans est vera, & affirmans falsa: in subiecto vero singulari in his duabus: Petrus est animal, Petrus non est animal: affirmans est vera, & negans falsa. Quarta lex. Enuntiationes indefinitæ ambæ simul possunt esse veræ, ut istæ: Homo est albus, Homo non est albus, utrumque est verum, nam dantur quidam homines albi, & alij nigri.

Vnt autem negationi, &c. In postrema parte capitis proponit Aristoteles duo pronuntiata. Primum est uni affirmationi una tantum negatio cōtraria est, intellige ineodem genere: verbi gratia huic affirmationi, Petrus est albus, contrariatur hæc negatio, Petrus non est albus, idēque exemplis apertissimis ostēdit Aristoteles in textu in aliis generibus enuntiationum contrariarum. Secundum pronuntiatum est, tunc affirmatio est una, quando unum prædicamus de alio; & tunc negatio est una, quando unum removemus ab altero, & ita si in aliqua enuntiatione comprehensa fuerit aliqua vox ambigua, illa non constituet unam affirmationē, aut unam negationem, ut fiet perspicuum consideranti.

CAPVT VI.

De futuris contingentibus.

IN instantibus igitur, &c. Dixerat Philosophus superiori capite in propositionibus contradicentibus hanc legem esse observandam, ut una earum sit necessario vera, & altera falsa, ut fit in materia necessaria & impossibili. Queritur modo, an talis lex sit vera in contradicentibus enuntiationibus, quæ sunt in materia contingenti, nā in his videtur esse maior ratio dubitandi, quam in aliis enuntiationibus.

Primo Aristoteles in hac re explicanda statim in prima parte capitis constituit, enūtiationes, quæ sunt in materia contingenti temporis præsentis, vel præteriti, observare hanc legem statutam, ut liquet exemplis: Omnis homo fuit albus, aliquis homo non fuit albus: Omnis homo est albus, aliquis homo non est albus. Affirmātes enuntiationes sūt determinate verę, & negantes determinate falsæ: hoc enim inquit Aristoteles observandum erit quoque in enuntiationibus contradicētibus subiecti singularis. Animadvertit tamen,

tamen, hanc regulam non esse obseruandam in enuntiationibus indefinitis, quæ constant subiecto universo nulla nota affecto: ut homo fuit, vel est doctus, homo non fuit, vel est doctus.

At vero in enuntiationibus, &c. Difficultas est de enuntiationibus futuri contingentis, sit ne in illis huiusmodi lex obseruãda: v.g. Franciscus cras leget, Franciscus cras non leget, an sit una determinate vera, & altera determinate falsa. In hac secunda capitis parte quæstionem pertractat in utramque partem. Suadet primo partem negantem ita: Si una ex enuntiationibus de futuro contingenti esset determinate vera, & altera falsa, sequeretur omnia evenire necessario, & non contingenter: quod est falsum. Sequela patet, quia ex his duabus, Franciscus cras leget, Franciscus cras non leget, una est determinate vera, & altera determinate falsa: ergo antequam Franciscus legat iam erat determinate verum Franciscum cras lecturum, ergo ab æterno fuit verum Franciscum cras esse lecturum; sed id quod est ab æterno determinate futurum nõ potest aliter evenire, id autem quod non potest aliter evenire, necessarium est, ergo Franciscus necessario esset lecturus, & non libere, & ita omnia evenirent necessario; quod tamen est falsum, nam Franciscus libere cras leget; ergo ex contradicentibus de futuro contingenti neutra erit determinate vera.

Sed ne illud quidem, &c. Suadet secundo partem affirmantem, quia si una ex propositionibus contradicentibus de futuro contingenti, v. g. ex duabus supra allatis, una non esset determinate vera, & altera determinate falsa, sequeretur ambas vel esse veras, vel falsas; sed hoc est contra omnes Philosophos asserentes de qualibet re veram esse affirmationem, vel negationẽ, ergo ex enuntiationibus de futuro contingenti una debet esse vera, & altera falsa.

At quidquid est in rerum natura, &c. In tertia capitis parte ut quæstionem propositam dissolvat, hoc fundamentum supponit: Omne quod est dum est, necesse est esse, & omne quod non est dum non est, necesse est non esse. Non tamen omne quod est, necesse est esse absolute: similiter, omne quod non est, non necesse est non esse absolute: sed ex suppositione, scilicet dum nõ est, quia absolute poterat aliter evenire, si est contingens.

Hoc supposito respondet Philosophus, unam partem contradictionis de futuro contingenti esse veram, & alteram falsam, nõ determinate, sed indeterminate, scilicet hanc, vel illã. Suadet suum dictum, quia si ex contradicentibus futuri contingentis una esset determinate vera, & altera falsa, nihil eveniret cõtingẽter, sed omnia necessario: ex quo sequerentur varia absurda. Nam primo tolleretur liberum arbitrium. Secundo tollerentur peccata, & consequenter præmia & supplicia: nam de his quæ necessario eueniũt, nec meremur, nec demeremur. Tertio tolleretur consilium humanum, consultationes, & deliberationes: homines enim non consulunt de his, quæ necessario eueniunt, sed dumtaxat de

his, quæ possunt evenire, & non evenire, ergo ex enuntiationibus contradicẽtibus futuri contingentis neutra est determinate vera, vel falsa, sed indeterminate, id est, una vel altera est vera, vel falsa.

LIBER SECVNDVS.

De Interpretatione.

QVATVOR capita hunc librum constant. In primo sermonem habet Philosophus de enuntiationibus finitis & infinitis, earumdemque oppositionem examinat. In secundo, de Enuntiationibus coniunctis & divisis. In tertio, de modalibus. In quarto ambigit quænam enuntiationes dicantur magis vel minus contrariæ.

CAPVT I.

De Enuntiatione infinita.

QVONIAM autem affirmatio omnis, &c. Enuntiationem dividit Aristoteles in finitam, & in infinitam, quia omnis enuntiatio aut est affirmans, aut negans, sed tam affirmans quam negans constat nomine & verbo, vel nomine infinito, & verbo, ut est apertum, ergo omnis enuntiatio aut est finita, aut infinita. Enuntiatio finita est illa, quæ coalescit ex subiecto, & attributo finito, ut leo est animal. Infinita vero enuntiatio est illa, cuius subiectum vel attributum, vel utrumque est infinitum. Vnde enuntiatio infinita triplex est. Prima, cuius subiectum est infinitum, ut non leo est animal. Secunda, cuius prædicatum est infinitum, ut leo est non lapis. Tertia, cuius subiectum, & attributum infinitum est, ut non leo est non lapis.

Nota ut enuntiatio sit infinita, negationem non esse præponendam verbo, quod est nexus attributi cum subiecto, sic enim potius esset enuntiatio negans quam infinita, sed debere præponi subiecto, vel attributo, vel utriquæ, ut in enuntiationibus memoratis.

CAPVT II.

De Enuntiatione una, & multiplici.

AT vero unum, &c. In prima parte huius capitis Aristoteles agit de propositione una, & multiplici, & constituit quæ-

quęnam sit una, & quęnam multiplex propositio. Vna dicitur illa, in qua unum dicitur de uno: ut Petrus currit, vel multa de uno: ut homo est substantia corporea; vel unum de multis, dūmodo illa multa sint ens per se: ut corpus vivens est substantia. Illa vero vocatur multiplex, in qua multa, quæ non significant unum, dicuntur de uno: ut Petrus est albus, & musicus; aut unum de multis: ut Petrus & Ioannes sunt albi. Enuntiatio tribus modis potest esse multiplex. Primo quando multa attributa efferuntur de eodem subiecto: ut Petrus est albus, & doctus. Secundo quando idem prędicatum tribuitur multis subiectis: ut Plato & Aristoteles sunt Philosophi. Tertio quando subiectum est unum voce, & multiplex significatione: ut canis movetur: subiectum enim potest intelligi vel desidere cęlesti, vel de cane marino, vel de cane domestico.

Quo circa si dialectica interrogatio, &c. Ex his colligit multiplici interrogationi non esse adhibēdam unicam responsionem: ut si quis inquirat, num Petrus sit doctus, & bonus: duæ sunt adhibēde responsiones, quia potest esse doctus, & affectus pravis moribus.

Sed quoniam alia cōiuncta, &c. In secunda parte capitis quęrit Philosophus, an liceat argumentari à diversis ad coniuncta, & antequam difficultatem diluat, proponit argumenta pro utraque parte. Probat primo partem affirmantē: quia bene valet, homo est animal, & homo est bipes, ergo homo est animal bipes, & sic de reliquis, ergo iam licet argumentari à divisis ad coniuncta. Probat secundo partem negantem: quia non bene deducitur, Petrus est sutor, & est bonus, ergo Petrus est sutor bonus; ergo non licet argumentari à divisis ad coniuncta. Deinde explicat suam mentem, proponendo tria Theoremata.

Primum est, quando attributa sunt accidentaria subiecto, & unum de alio accidentario effertur, non licet argumentari à divisis ad coniuncta, ut in exēplo adducto pro parte negante liquet. Secundum quando unum attributum in ratione formali alterius clauditur, non recte argumentatur à divisis ad coniuncta, quia sic committeretur nugatio: v. g. quia animal formaliter includitur in homine, non valet Petrus est homo, Petrus est animal, ergo Petrus est homo animal. Tertium, quando unum attributum est essentiale, & alterum accidentale, licet argumentari à divisis ad coniuncta: ut homo est animal, & est bipes, ergo est animal bipes.

Vere autem de eo, &c. In postrema parte capitis quærit, an sit licitum argumētari à coniunctis ad divisa, & explicat fieri posse: recte enim colligitur, Socrates est homo albus, igitur Socrates est homo, & Socrates est albus. Cæterum tametsi in huiusmodi argumentatione ita liceat colligere, non tamen licet in omnibus, quod explicat duobus theorematibus. Primum est. Quando attributa quæ efferuntur de aliquo subiecto, repugnant inter se, non licet argumētari à coniunctis ad divisa: ut quia duo hæc attributa, esse hominem, & esse mortuum, repu-

gnant inter se, non recte colligemus, Socrates est homo mortuus, ergo Socrates est homo. Secundum theorema. Quando attributa sunt ita inter se affecta, ut unum illorum efferatur de subiecto ratione alterius, nó recte argumentabimur à coniũctis ad divisa: ut quia esse magnum convenit Aristoteli ratione Philosophiæ, & non ratione corporis, non recte colligimus Aristoteles fuit magnus Philosophus, ergo Aristoteles fuit magnus.

CAPVT III.

De Enuntiationibus modalibus.

His vero determinatis, &c. In hoc capite de Enuntiationibus modalibus disserit, quæ constant his modis, necesse, possibile, contingens, impossibile. Agit insuper de earum oppositione, & monet magis esse attendendam penes negationem modi, quam verbi, quod includitur in dicto: v. g. hæ repugnant, Necesse est hominem currere, non est necesse hominem currere. Agit etiam de illarum æquipollentia contra Stoicos, quæ omnia diserte ad nostrum institutum pertractata sunt in summulis, ideo hic sermo sufficiat de hoc capite.

✠

CAPVT IIII.

In quo quandam quæstionẽ dissolvit Aristoteles.

Vtrvm autem cõtraria, &c. Hoc caput nonnulli nõ esse Aristotelis autumarũt, inter quos est, Porphyrius, & dubius est Ammonius: at quia reli qui antiqui Græci, & Latini tã quam Aristotelis recipiunt, ideo à nobis exponitur. In hoc capite Philosophus proponit hoc dubium, Num affirmationi magis opponatur negatio eiusdem attributi de eodem subiecto, quam affirmatio attributi contrarij, v. g. an huic affirmationi, Omnis homo est iustus, magis opponatur hæc, Nullus homo est iustus, quam hæc affirmatio, Omnis homo est iniustus. Respondet Aristoteles, affirmationi magis opponi negationem eiusdẽ attributi, quam affimationem attributi contrarij: quod tribus rationibus suadet.

Prima ratio. Illa sunt magis opposita, quæ magis secundum se repugnant in veritate & falsitate, id est, quorum unum magis est falsum, & alterum est magis verum: sed ita se habent affirmatio & negatio eiusdem; ergo ea sunt magis opposita. Minor probatur. Ista propositio, Bonum est bonum, est magis vera quam hęc, Bonum non est malum, ergo & ista magis falsa, Bonum non est bonum, quam hæc, Bonum est malum, & ita illeduæ opponuntur, Bonum est bonum, bonum non est bonum, & aliæ duæ inter se, Bonum est ma-

malum; Bonum non est malum.

Probat quod illa sit magis vera, quia secundum se est vera, id est immediata, & sine causa. Si enim quis dicat, Quare bonũ est bonum? non est causa: at illa Bonum non est malum, est secundum accidens, id est mediata, quia causam habet, propterea enim bonum non est malum, quia bonum est bonum. Ista ergo opponetur, Bonum non est bonum, non autem illa, quæ implicita est, id est, bonum est malum: istam vocat implicitam, quia includit illam tanquã priorem; Bonum nõ est bonum. Attende rationem hanc, quia subtilis est.

Secunda ratio. In rebus quæ non habent contrarium, enuntiationi affirmanti opponitur negans eiusdem attributi, ut huic, Homo est animal, opponitur negans, Homo non est animal, ergo etiam in aliis ita erit, in quibus contrarium est.

Tertia ratio. In enuntiationibus infinitis affirmanti opponitur negans, ut huic affirmanti, non homo est homo, opponitur hæc negans, non homo non est homo, ergo etiam in aliis omnibus enuntiationi affirmanti opponi debet negans.

DISPVTATIO VNICA;

De Enuntiatione.

IN Synopsi examine longissimo egimus de signis, nomine, verbo, & oratione, propterea tametsi à Philosopho iterum hic inculcentur, ipsa non attingam, sed solum enuntiationis essentiam in tumulis investigatam dividam & componam, eiusque veritatem & falsitatem manifestam faciam.

DVBIVM I.

An enuntiatio sit una simplex qualitas.

ENuntiatio definita fuit à nobis lib. 6. sect. 1. Synopsis nostræ, Oratio perfecta aliquid asserens, ubi sensum nostrũ aperuimus de duabus aliis definitionibus Aristotelis, recognoscantur ibi dicta. Præsens controversia non procedit de Angelica enuntiatione, sed de humana; non de vocali, & scripta, quæ ex pluribus vocibus, & characteribus coalescunt, sed de mentali, de qua investigamus, quos actus deposcat, & in quo formaliter consistat.

Pater Vasquez & Rubius autumant, enuntiationem formaliter solum consistere in duplici conceptu exprimẽte subiectum, & prædicatum, non quidem absolute, sed relative, quatenus videlicet unum illorum alteri est conveniens, aut disconveniens: & hanc convenientiam, vel disconvenientiam significari per copulam, est, affirmatam, aut negatam, & tamen non respondere in mente peculiarem conceptum.

Vasquez 1. p. tomo 1. disp. 123. c. 3. Rubio hic in cap. 4.

ptum. Argumenta pro hac sententia infra proponam & dissolvam.

Hæc opinio communiter refellitur, & præsertim à Conimbricensibus. Nonnulli Recentiores ita insurgunt contra illam. Conceptus subiecti ut conuenientis solum nõ est enuntiatio, neque conceptus prædicati conuenientis subiecto solum, ergo neque uterque simul erit enuntiatio. Inefficax plane ratio, nam etiam in communi, & ipsorum sententia præmissæ tantum non sunt syllogismus, neque conclusio tantum, sed conflatum ex omnibus: idem ergo de Enuntiatione dici posset ab aduersarijs.

Hic quæs. 4. art. 3.

Primo ergo refellẽda est, quia Enuntiatio est assẽueratio unius de alio, sed conceptio præcisa subiecti ut conuenientis, aut disconuenientis Prædicato, & è cõtra, non est dictio, neque assẽueratio, ergo enuntiatio formaliter non stat in illo duplici actu. Minor probatur, quia antequam Intellectus unum de alio assẽueret cum determinatione ad alteram partem contradictionis, necesse est ut prius cognoscat unũ alteri conueniens, aut disconueniens, alias quomodo poterit unum de alio sine temeritate assẽuerare? ergo cognitio subiecti conuenientis aut disconuenientis prædicato, & è conuerso, nõ est assẽueratio, sed illam antecedit.

Secundo, quia accidẽs ut accidens cognosci nequit sine ordine ad subiectum, nec relatio sine ordine ad terminum, & tamen queunt cognosci per primã operationem sine affirmatione, ergo idem erit de conueniẽtia, aut disconuenientia prædicati cum subiecto, vel è conuerso.

Tertio, quia ex hac opinione efficitur in quauis propositione duo esse iudicia; nam conceptus prædicati ut conuenientis subiecto, repræsentat Prædicatum, & eius conuenientiam & ordinem ad subiectum, quod etiam attingit, ergo erit unum iudicium. Rursus conceptus subiecti ut conuenientis prædicato repræsentat subiectum, & conuenientiam, & ordinem ad prædicatum quod etiam attingit, ergo erit alterum iudicium, cum in hac sententia hoc ipso quod res concipiatur in ordine ad aliam, reperiatur iudicium.

Oppones primo. Enuntiatio ex Aristotele solum resolvitur in subiectum, & prædicatum, ergo formaliter solum constabit ex cõceptu formali subiecti, & prædicati, nam in ea aliquid resolvitur ex quibus componitur. Respondeo. Enuntiationem resolvi in prædicatum, & subiectum solum, quia si dissolvatur dum taxat, manẽt cõceptus subiecti, & prædicati, at vero dum integra perseverat enuntiatio, etiam datur conceptus copulæ assẽueratæ, & determinatæ ad alteram partem contradictionis. *Primo Prius.*

Oppones secũdo, quia omnis enuntiatio aut est compositio, aut diuisio, sed utrumq. sufficit duplex ille actus repræsentans subiectum & prædicatum, ut mutuo conuenientia, aut disconuenientia, ergo in his solũ consistet. Minor probatur, nam cognitio subiecti ut conuenientis prædicato, & è contra, est cõpositio, & cognitio ut disconuenientis prædicato, & è conuerso

verso est divisio, ergo sufficit duplex actus. Confirmatur, quia pater uno conceptu concipitur in ordine ad filium, & alio Filius in ordine ad Patrem, ergo & uno conceptu subiectum ut conveniens prædicato, & alio prædicatum ut conveniens subiecto: quare non erit necessarius tertius conceptus, qui correspõdeat copulæ.

Respondeo negando minorẽ. Ad probationẽ dico, cognitionem prædicati ut convenientis subiecto esse compositionem, si fiat cum asseveratione unius de alio, & cognitionem prædicati disconvenientis subiecto esse divisionem, si fiat pariter cũ asseveratione negativa, ad id autem requiritur peculiaris conceptus copulæ respondens. Confirmatio nihil probat cõtra nos, quia ibi nõ reperitur iudicium, nec asseveratio unius de alio.

Alij opinantur, enuntiationẽ præter duos conceptus subiecti & prædicati claudere tertium respondentem copulæ, & physice unientem extrema ad unam tertiam qualitatem cõflandam. Sed hæc doctrina refellẽda est, quia accidentia completa, & distinctæ species nequeunt uniri realiter & physice ad componẽdum unum tertium: v.g. aloedo & dulcedo nequeunt componere unam tertiam qualitatem, sed conceptus formales extremorum sunt duæ qualitates completæ, & diversę speciei, cum habeant diversa obiecta formalia, ergo nequeunt uniri physicè ad componendam unam tertiam qualitatem, quę dicatur enuntiatio. Tum etiam, quia non appareret quo pacto uniri queant ad unam qualitatem conflandam, ut fiet perspicuum cõsideranti.

Alij postremo arbitrantur, enuntiationem ex tribus conceptibus confluri, illos tamen non uniri inter se physice, sed duntaxat ordine quodam. Quæ sententia videtur probabilior cæteris, eget tamen explicatione.

Assero primo. In enuntiatione formali, materialiter & late sumpta, reperiuntur tres conceptus, scilicet apprehẽsiones subiecti & prædicati, & cognitio convenientiæ, vel disconveniẽtiæ correspondens copulæ. Probatur primo, quia enuntiatio late sumpta est oratio perfecta, ut constat ex Aristotele hic cap. 4. ergo nequit consistere in simplici qualitate, sed debet esse composita ex multis actibus. Secundo, quia ex Aristotele, ut vidimus, enuntiatio potest resolvi in prædicatum, & subiectum, ergo præter conceptum copulæ includit etiam conceptus prædicati, & subiecti. Tertio, quia enuntiatio humana differt ab Angelica, quia hæc est omnino simplex humana vero composita, sed nequit esse composita, nisi ex cognitionibus subiecti, copulæ, & prædicati, ergo enuntiatio mentalis late sumpta ex his coalescit. *Ita Molina 1.p.q.1.art. 3. noster Blãs disp. 1. de Enuntiatione, sec. 2. & cõmuniter.*

Nec refert si dicas nostrum iudicium solum dici compositum ex parte obiecti, quia per illud cognoscimus componendo, & attribuendo unum alteri, quod non habet locum in Angelo; nõ inquam refert, nam etiam iudicium Angeli compositum est ex parte obiecti cũ cognoscat, imo & Deus, attribuendo unum alteri, & affirmando unum esse aliud. Vnde ex parte obiecti etiã habet subiectum copulam, &

Rr præ-

prædicatum, erit igitur diversitas inter iudicium nostrum, & Angelicum, quod istud unico simplicissimo actu agnoscit illa tria memorata, illud vero multiplici.

Ita Molina, & pater Blanc tenentur, Conimbricenses c. 4. q. 4. a. 1. & non pauci recentiores.

Assero secundo. Enuntiatio formaliter solum cõsistit in tertio illo actu respondente copulæ, quo cognoscitur convenientia, vel disconvenientia attributi cum subiecto in actu exercito. & extrinsece, & veluti in obliquo subiectum, & attributum.

Probatur primo ex nominibus quibus actus iudicii à Philosophis donatur: nam quando approbat convenientiam, dicitur Affirmatio, quia unum de alio affirmat; vel Compositio, quia unum obiectum simul cum alio coniungit, & ponit; Assensus, quia sentit unum esse alium. Si vero reprobat, dicitur Negatio, quia negat unum alteri convenire; vel Divisio, quia negata unione unum extremum ab altero dividit; aut Dissensus, quia sentit unum non esse alium, sed hæc omnia solum, & apte cadũt in actum copulæ, seu convenientiæ aut disconvenientiæ extremorum, ergo in eo actu copulæ consistit formaliter enuntiatio.

Probatur secundo. Iudicium in rebus fidei, quod est formaliter enuntiatio, non includit formaliter conceptus extremorum, sed convenientiæ, & unionis, ergo neque alia iudicia. Cõsequentia est optima, nam eadẽ est ratio de uno, ac de cæteris aliis. Antecedens clarer, nam iudicium de rebus fidei est supernaturale, sed conceptus extremorum sunt naturales apprehẽsiones cum non eliciantur propter motivum supernaturale, ergo illud hos non includet formaliter.

Tertio. Volitio, qua voluntas amplectitur bonitatem obiecti, est simplex actus & qualitas, & similiter nolitio, qua obiectum ut malum respuit; ergo & assensus, quo intellectus approbat cõvenientiam obiecti, & dissensus, quo eam reprobat erit simplex qualitas.

Quarto. Electio mediorũ non componitur formaliter ex volũtate finis, tametsi illam prærequirat, ergo neque iudicium ex apprehẽsionibus subiecti & prædicati, tametsi illas prærequirat.

Quod vero per hunc tertium actum, in quo enuntiatio formaliter consistit cognoscatur, & attingatur extrinsece, & veluti in obliquo subiectũ, & attributũ, est perspicuum, quia per illum actum cognoscitur convenientia prædicati cum subiecto, ergo cognoscitur extrinsece, & veluti in obliquo subiectũ & prædicatum. Probo consequẽtiam. Per actum seu notitiam relationis cognoscitur eius fundamentum, & terminus in obliquo per notitiam unionis, extrema unibilia: per notitiam finis media: & postremo per notitiam imaginis prototypum, ergo per notitiam convenientiæ prædicati cum subiecto cognoscetur prædicatum, & subiectum.

Notãter dixi enuntiationẽ cõsistere in actu, quo cognoscitur copula in actu exercito, nam copula potest duobus modis cognosci. Primo modo in actu signato, id est apprehendendo eã secundum se, & seorsim quatenus scilicet est unio duorum, sicut

cut possumus simplici intuitu apprehendere quamcumque aliam rem. Secundo modo in actu exercito, id est, asserendo, & actualiter attribuendo unum alteri, enuntiatio ergo formaliter consistit in cognitione copulæ cum hac asseveratione, quæ est cognitio copulæ in actu exercito.

Collige primo. Cognitiones sive apprehensiones simplices subiecti, & attributi, non pertinere ad essentiam iudicii, sed tantum præsupponi, & prærequiri ut conditiones necessarias ad ipsum. Quare enuntiatio formaliter est una simplex qualitas, & definiri potest ita: Cognitio assertiva. Dici tamen solet communiter composita, quia præsupponit duas terminorum apprehensiones, per quod discrepat à iudicio, seu enuntiatione Angelica.

Collige secundo. Enuntiationem mentalem materialiter, & late sumptam, fuisse à nobis in Synopsi definitam, Orationem perfectam assertivam, & de ea hoc pacto accepta interpretanda fore aliqua Aristotelis testimonia, quibus indicat enuntiationem esse compositam, & non simplicem qualitatem.

DVBIVM II.

Declarantur aliquæ enuntiationis divisiones.

MEntalis enuntiatio potissimum distribuitur in affirmantem, & negantem, in veram & falsam, in simplicē & compositam. Circa primam dicendum est esse divisionem generis in species. Suadetur, quia enuntiatio affirmans includit coniunctionem attributi cum subiecto, negans vero disiunctionem, sed isti sunt duo modi enūtiandi essentialiter diversi, ergo differunt specie: sed ex alia parte istæ enuntiationes conveniūt in ratione communi enuntiationis, cum utraque sit assertiva, ergo enuntiatio dividitur in illas divisione generis in species, quæ adæquata est, cum nulla sit excogitabilis enuntiatio, quæ non sit affirmans, vel negans.

Collige. Eandem enuntiationem affirmantem nequire fieri postea negantem, ex eo quod illi addatur negatio: ut si quis dicat, Homo est animal, & postea dicat, Homo nō est animal: quia nequit addi enuntiationi affirmanti aliqua negatio, quin tota destruatur, & alia de novo fiat. Et ratio est, quia per enuntiationem affirmantem repræsentatur conveniētia attributi cum subiecto, & per negantem disconvenientia, ergo cum varientur obiecta formalia, etiam enūtiationes essentialiter debent variari.

Oppones. Enuntiatio negans proprie non est prædicatio, ergo neque enuntiatio. Nego consequentiam, quia prædicatio proprie est attributio unius de alio, quod fit affirmando unum de alio tantum. At enuntiatio proprie solū est oratio aliquid asserens, quod fieri potest affirmando vel negando: quare enūtiatio, & prædicatio se habent tanquam superius & inferius, nam omnis prædicatio est enuntiatio, non tamen è converso.

Circa secundam divisionem enuntiationis in veram & falsam, autumo esse divisionem sub-

subiecti in accidentia, & adæquatam. Prima pars cõstat ex dictis, & ex dicendis amplius constabit. Secunda probatur, quia omnis enuntiatio vel asserit id quod revera est, vel non, sed si asserat id quod est, est vera, etsi asserat id quod non est, est falsa, ergo omnis enuntiatio vel est vera, vel falsa.

Circa tertiam enuntiationis divisionem in simplicem, & cõpositam, iudico cum proportione dicendum, quod de divisione quantitatis in continuam, & discretam diximus: nam enuntiatio simplex est unica tãtum, composita vero multiplex, quia conflatur ex multis enuntiationibus, & ita est aggregatum quoddam, & ens per accidens. Vnde sicut quãtitas esse nequit genus ad continuam & discretam, quia comparatur ad ens per se, & per accidens, ita neque enuntiatio ad simplicem & compositam propter eandem rationem. Aliæ enuntiationis divisiones videri possunt in Synopsi.

DVBIVM III.

Quid sit veritas enuntiationis formalis.

NOto veritatem duplicem esse, unam transcendentalem sive obiecti, & alteram formalẽ sive cognitionis. Transcendentalis est capacitas, & aptitudo entis, & cuiuscunque rei ut ab intellectu cognoscatur, & sic in intelligibilitate, & cognoscibilitate rei est constituta, & est una ex proprietatibus entis transcendentibus. An vero aliquid addat supra ipsam entitatem intrinsecum, vel extrinsecum ratione distinctũ, Metaphysico relinquitur. Formalis est, quæ est propria enuntiationis, & ratione cuius dicitur vera, vel falsa, de qua hic est sermo, & investigamus in quo consistat.

Ita Suarez disp. 8. Met. sect. 1. nu. 3. Conimbr. hic cap. 1. q. 5. art. 1 & plures alii apud ipsos contra nostrũ Blanc & alios apud ipsum.

Assertio prima. Veritas formalis consistit in conformitate cognitionis cum re cognita, ita se habente sicut per cognitionẽ exprimitur. Probatur primo ex Aristotele cap. de substantia, ubi ait: ex eo quod res est, vel nõ est, oratio dicitur vera vel falsa: ergo veritas propositionis in conformitate ipsius cum cognitione consistit. Nam ut notavit D. Thom. 1. par. quæst. 16. art. 1. ad 3 non dixit Philosophus enuntiationem esse veram vel falsam ex eo quod res vera, vel non vera, sed ex eo quod res est, vel nõ est, ergo &c.

Secundo. Veritas formalis est conformitas ut est in confesso apud omnes, sed non est conformitas obiecti cogniti cum seipso; ergo cognitionis cum obiecto in se. Minor probatur, quia conformitas non est eiusdem ad seipsum, ut docet D. Thom. ea enim esset idẽptitas requirit enim extrema diversa, sed obiectum cognitum, & exsistens in se est idem obiectum, & non duo, ut patet in cognitione intuitiva, quæ cognoscit obiectũ ut exsistens in se, ergo non est conformitas inter obiectum cognitum, & exsistens in se, sed idemptitas.

Quæst. 7. de verit. ar. 7

Confirmatur, quia vel obiectum cognitum habet aliquid per quod distinguatur à se, ut exsistit vel non; si non habet, nõ habe-

habebit conformitatem cum seipso; si habet, interrogo quid illud sit. Respondebis esse extrinsecam denominationem cogniti. Verum extrinseca denominatio cogniti formaliter est ipsa cognitio, sicut paries visus ut visus formaliter dicit visionem, ergo necessario ista conformitas versatur inter cognitionem & obiectum in se.

Tertio. Veritas signi quæ est in propositione vocali, non cōsistit in conformitate rei ut significatę cum seipsa ut mere existente, sed consistit in conformitate immediata vocis significantis ad rem significatam, immo veritas cuiuscunque imaginis, verbi gratia Petri, consistit in hoc, quod imago repræsentet Petrum prout in se est, atque adeo consistit in immediata conformitate imaginis cū Petro, non vero in conformitate Petri, ut repræsentati cum seipso, prout in re existenti; ergo cū cognitio intellectus sit quoddam signum naturale, & imago intentionalis obiecti, veritas illius consistet in conformitate immediata cum suo obiecto, prout in seipso existenti.

Opponies primo. Vel hęc conformitas est inter cognitionem & rem, ut obiective in intellectu, vel ut à parte rei existentem. Non primum, nam potest dari conformitas inter cognitionem, & rem ut cognitam, & tamen intellectū dicere falsum: ut si iudicet, Petrum esse lapidē, revera huiusmodi cognitio est conformis Petro ut cognito, & tamen est falsa. Neq; secundum, quia cognitio non tendit immediate in rem prout à parte rei existentem, sed prout repræsentatur illi, ergo conformitas cognitionis nō debet esse inter cognitionē & rē prout à parte rei. Respondeo admittēdo primam argu. partem, & negando secundā: falsum enim est cognitionē non tendere immediate in rem, prout à parte rei existentem, nam res ex eo dicitur cognita, & repræsentata, quia cognitio tendit in eam, prout à parte rei existentem.

Opponis secundo. Cognitio semper est accidens spirituale, res cognita nunc accidēs materiale, nunc substantia, nunc ens rationis; atqui inter hæc & illam nulla est conformitas, sed summa difformitas; igitur conformitas ad veritatem requisita nō est inter cognitionem, & rem cognitam, sed inter rem cognitā, & seipsam, ut est à parte rei. Nego minorem, quia conformitas ista spectanda est inter cognitionem, & obiectum, non in ratione entis, seu in ratione repræsentationis, qua scilicet cognitio repræsentat obiectum sicuti est in se: cum autem cognitio possit ea ratione, quo libet obiectum repræsentare, cū quolibet potest conformitatem veritati necessaria obtinere.

Ex dictis liquet, Falsitatē formalem veritati oppositam nihil aliud esse, quam difformitatem cognitionis cum obiecto in se, quæ tunc repetitur, quando cognitio repræsentat obiectum aliter ac se habet.

Assertio secunda. Conformitas actus cum obiecto, seu formalis veritas non cōsistit in relatione prædicamentali reali, vel rationis. Prima pars probatur, quia relatio realis prædicamentalis efflagitat necessario

terminum exsistentem, & actus verus habet conformitatem sæpe cum obiecto non exsistente, immo, & impossibili; ergo conformitas non est prædicamentalis relatio. Secúdo, quia tametsi aliquando concurrant omnia requisita, ut inter actum & obiectum consurgat relatio prædicamentalis realis, tamen prius natura intelligitur actus conformis & verus quam resultet relatio, sicut prius natura intelliguntur extrema unita, quam resultet inter illa relatio unionis, ergo conformitas actus cum obiecto non consistit in relatione prædicamentali.

Secunda pars probatur. Nam si ita se habet obiectum in se sicut per cognitionem repræsentatur, cognitio habebit conformitatem cum illo, quin aliquid confingat intellectus; sed relatio rationis ab intellectu fingitur, & dum fingitur solum exsistit; ergo cõformitas cognitionis cum obiecto non est relatio rationis, & plane iniuriam irrogat veritati, qui illam necessario cum intellectus fictione connectit, cum omnem fictionis speciem auersetur. Applicari potest hic secundum argumentum pro prima parte huius conclusionis factum.

Ita Suarez disp. 8. Metaphys sect. 2. & Conimb ad cap. 5. de subst uaria in explicatione textus, & nõ pauci recentiores.

Assertio tertia. Conformitas cognitionis cum obiecto solum addit supra entitatem cognitionis connotationem obiecti, ita se habentis sicut per cognitionem repræsentatur, vel denominationem extrinsecã desumptam ab obiecto. Probatur, quia non consistit in relatione reali, vel rationis superaddita ut visum, neque in entitate ipsa cognitionis præcise sumpta, nam eadem entitas cognitionis ex conformi fieri potest diformis obiecto per solam mutationem factam in obiecto, ut liquet in hac cognitione, Petrus currit: quæ currente Petro est conformis, & si quiescat, difformis, ut inferius declarabitur. Vnde etiam liquet non consistere in aliquo modo intrinseco, quia absque intrinseca mutatione cognitionis per solam extrinsecã mutationem obiecti transire potest ex conformi in difformem, & è contra; ergo conformitas cognitionis cum obiecto solum addit prædictam connotationẽ, vel denominationem extrinsecam.

Confirmatur. Idem numerus sufficienter intelligitur fieri ex pari impar, & è contra, per solã mutationem, vel additionem in alio numero factam, ergo etiam actus sufficienter intelligetur fieri ex conformi difformis, & è conuerso per solam mutationem factam in obiecto. Numerum enim esse parem, vel imparem, nihil aliud est, quam esse conformem, vel difformem alteri.

DVBIVM IIII.

An veritas reperiatur in omnibus operationibus intellectus.

PRæsens controuersia, quæ magna ex parte est de nomine, ut acute notat Vasquez citandus infra potissimum exagitatur propter simplicem apprehensionem, nam in cæteris actibus intellectus veritatem, & fal-

falsitatē reperiri est omniū sensu confirmata sententia. Et ratio est manifesta, quia reperitur propriissima cōformitas cognitionis ad rem cognitam ut est in se.

Ita Vasquez 1.par.disp. 75. Caietanus 1. par. q.6. art.2. Nostet Blār disp.citata sec.5. contra Suarii disp. 8. Met sect. 3.nu 7. Conimb.hic ca. 1.q 5.art.2. Hurta d.p. 9.Met.§.7.

Iudico primo. In simplicissima apprehensione non est veritas formalis. Probant aliqui ita cum Vasquez, nam in simplici apprehensione non reperitur falsitas, ergo nec veritas. Consequētia ostenditur, nam veritas & falsitas sunt contrariæ, ergo si una invenitur in humanis actibus, invenitur & alia, & si una non, neque altera invenietur; ergo cùm non sit falsitas in simplicissima apprehensione, nec veritas erit. Infirma est probatio, quia in actu scientiæ datur veritas, ubi nequit falsitas reperiri, & in actu erroris datur falsitas, ubi nequit existere veritas: tum quia supponit simplicissimam apprehensionem, numquā posse esse obiecto difformem, quod falsum est, ut infra videbimus.

Lib.1.de interpreta.c.1.

Probatur ergo ex Aristotele dicente, aliquando intellectum sine vero, & falso esse, aliquando autem necesse esse alterum eorum esse; & subdit circa compositionem enim, & divisionem est verum & falsum; ergo ex sententia Philosophi in apprehensione simplici non datur veritas & falsitas, cum dicat ipsum intellectum aliquādo esse sine vero, & falso, & hoc nequeat de alio intelligi.

Secundo. Tametsi veritas, & falsitas proprie sint in intellectu, eam tribuimus vocibus quæ conceptibus respondent, sed in voce simplici nulla relucet veritas, nam cum quis pronunciat vocem, homo, nec verum, nec falsum pronuntiare censetur, nec ipsa vox vera aut falsa dicitur, ergo neque in simplicissimo cōcepru.

Tertio. Si sola conformitas simplicissimæ apprehēsionis cu obiecto est veritas, ergo in sensu externo, & in voluntate erit veritas, quod est contra omnes Philosophos, asserentes, solum intellectum attingere veritatem. Consequētia perspicua est, nam visio repræsentans albedinem sicut est, est illi conformis, & amor obiecti boni cōformis est ei obiecto.

Postremo sicut in simplicissima apprehensione reperiri potest conformitas cum obiecto, sic difformitas, ut mox ostendam; sed hæc difformitas non est falsitas in illa, ei siquidem adversarii denegant falsitatem, ergo neque conformitas illius erit veritas.

Iudico secundo. In simplicissima apprehensione non est falsitas, est receptissima sententia, & docetur ab Aristotele, & deducitur ex loco supra allegato. *5. Met.c.11.* Probari solet, quia simplicissima apprehensio nequit esse difformis obiecto, ergo neque falsa. Antecedens probatur, quia cū Petrus vult apprehendere aurū, vel simplicissima apprehensio quam format, repræsentat aurum, & sic est conforma is obiecto: vel non repræsentat aurum, & sic non est apprehensio auri, sed alterius obiecti: v.g. orichalci, quod repræsentat, & est ei conformis, ergo semper est conformis obiecto, & nunquam difformis. Quod enim Petrus volens apprehēdere aurum, apprehendat orichalcum, non facit

appre-

apprehensionem falsam, sed votum irritum voluntatis.

Verum licet hæc ratio institutum probet in simplicissima apprehensione abstracta obiecti secundum suam essentiam, non tamen in intuitiva, etenim in intellectu potest esse simplicissima apprehēsio obiecti exsistētis quin exsistat: quod ita suadeo. Primo, si posquam oculus instructus specie impressa albedinis formet visionem, & postea Deus destruat albedinem, & cōservet eius speciem in oculo, uti potest, oculus retinebit visionem intuitivam albedinis non exsistentis, & erit difformis obiecto repræsentato. Secundo, quia nō repugnat ut intellectus concipiat Petrū ut exsistentem, qui iam perijt, ergo iam simplicissima apprehensio erit difformis Petro repræsentato.

Hoc indicat probabiliter Molina 1 p. q. 50. art. 2. disp. 2. mē. 5

Dices, Apprehensionem rei ut exsistentis non esse simplicissimam, quia obiectum continet duas rationes apprehensas, & rem, & exsistentiam, sed contra, quia etiam albedo continet in se duas rationes, & colorem, & disgretativum visus, & tamen potest simplicissima apprehensione attingi: quare ea sententia aliter probanda est, nimirum quia illa conformitas, quæ est in simplicissima apprehensione cum obiecto, non est veritas, ergo neque difformitas illius, licet reperiatur in ea, erit falsitas. Constabit magis ex dicēdis infra.

Iudico tertio. In simplicissima apprehensione compositā, id est constante duobus conceptibus, reperitur vera cōformitas, aut difformitas cum obiecto, nō tamen veritas, vel falsitas. Prima pars patet, quia hæc simplex apprehensio: Cignus candidus, est conformis obiecto, quia repræsentat sicut est; Cignus niger, est difformis, cum repræsentet aliter atque est.

Secūda vero probatur primo, nam conformitas & difformitas simplicissimę apprehensionis cū obiecto non est veritas & falsitas, quia simpliciter apprehendit; ergo neque simplicis apprehensionis, cum itidem simpliciter apprehēdat obiectum. Secundo, & est ratio à priori pro utraque, nam veritas formalis, vel falsitas, iuxta communem Philosophorum usum, tunc dicitur esse in cognitione nostra, quando iudicamus aliquid ita esse, sicut est, & quasi mente adhęrēdo approbamus; & tunc falsitas, quādo eadē ratione iudicamus aliquid quod nō est ita. Etenim si quis mente apprehendat, uti potest, propositionem falsam, aut hæreticam, ei non assentiendo, is non censetur errare, aut fallī; ergo cum in simplici apprehensione non sit tale iudicium, & adhęsio mentis ad obiectum, non erit formalis veritas, & falsitas, saltem simpliciter, quod propterea addo, quia improprie admitti potest aliqualis veritas, vel falsitas in apprehensione ratione cōformitatis, aut difformitatis cum obiecto, quia in ea veritatem formalem, & falsitatem propriam iudicij videtur quodammodo imitari.

Argumenta, quæ obijci possunt cōtra nostram doctrinam, quia facile ex dictis solvi possunt, silco.

✠

DV-

DVBIVM V.

An eadem enũtiatio transire possit de vera in falsam.

SVppono primo. Primũ enuntiationis conceptum non esse veritatem vel falsitatem, sed esse assertivam, aut iudicativam, ex hoc enim tanquam ex radice surgit veritas & falsitas.

Hurta. disp. 9. de Anima sect. 4. affirmat attributum veritatis aut falsitatis esse ita inseparabile ab enũtiatione, vt semel vera, nũquã possit invariata in falsam trãsire, neq. è cõtra. Alii contrarium opinantur, ut D. Th. 1. p. q. 14. art. 15. ad 3. Herv. quod lib 3. q. 2. arti 2. & 3. Durandus in 1. dist. 19. q. 5. Suarez disp. 8. Metaphy. sect. 2. n. 10.

Suppono secundo. Enuntiationes de prædicato contingenti, (de his enim tantum esse potest quæstio præsens) v.g. Petrus sedet, Petrus currit, & similes, dupliciter posse enuntiari, uno modo ut ex parte prædicati determinetur ac definiatur tempus sessionis, vel cursus; alio modo ut non determinetur, sed divisibiliter indefinite, ac indeterminate concipiatur.

Autumo primo. Quando res cognoscitur cognitione intuitiva perfecta, qua videlicet exacte videtur res in particulari secundum omnes conditiones existentiæ determinatas non potest esse mutatio veritatis, seu cõformitas inter cognitionem, & obiectum manente invarista cognitione. In hac conclusione conveniunt authores, ut videre est in Suarez & Mẽdoça. Ratio est certa, nam in tali cognitione semper terminatur actus ad rem, prout in tali tempore, & momento existentem, pro quo tempore, & momẽto mutari nequit veritas, ergo actus enuntians Petrum pro tali momento vel tempore currentem, non potest reddi falsa, quin reddatur negãs, id est, neget quod est, atque adeo quin varietur. Confirmatur, quia quod obiectum mutetur pro tempore alio sequenti, nequit facere illũ actum falsum, ut perspicuum est in scientia divina repræsentante Petrũ currentem pro illa tẽporis differentia determinata, quæ quidem semper manet vera, & conformis suo obiecto, tametsi hoc pro alio tempore mutetur, ergo, &c.

Autumo secundo. Si in hac propositione Petrus currit, ex parte prædicati, vel copulæ determinetur, & definiatur tempus, fieri non potest enuntiatio de vera falsa, vel è converso, quin mutetur actus. Probatur, quia talis propositio habet pro obiecto, Petrum currentem tali tempore, vel ergo illi adæquatur, vel non: si primum est vera, si secundum est falsa, nec datur medium; ergo nequit transire de vera in falsam. Hoc convincunt rationes Mendozæ, præsertim illa quam facit §. 12. quæ se habet in hunc modum. Vel propositio hæc, Petrus currit, significat Petrum currere, tota hora tertia, vel non tota hora, sed aliqua parte talis horæ. Si primũ, necessario illa propositio est vera, vel falsa, nam vel tota illa hora Petrus currit, vel non currit, si currit ex suppositione quod currat necessario currit, quare propositio, quæ illud enuntiat non potest non esse vera; si non currit similiter ex suppositione necesse est nõ currere, ergo propositio, quæ enuntiat currere, necessario erit falsa. Si vero dicatur secundum, idem fit argumẽtum de parte horæ. Vel significat Petrum currere illa hora, id est vage, aliqua parte illius horæ.

Item poſt & ante illam: ſic autē vel currit, vel non currit; ſi currit eſt vera, ſi non, eſt falſa. Vel ſignificat Petrum currere toto tempore, quo propoſitio durat, & ſingulis illius partibus, ſic autem neceſſario eſt vera, aut neceſſario eſt falſa, quia neceſſario currit toto illo tempore, vel nō. Apparet ex hac ratione ſemper determinare tempus ex parte prædicati. Eodem tenero procedunt rationes aliæ, quas facit Mendoza citato loco, ſemper enim procedunt, vel de tempore determinato, vel de cognitione intuitiva, & de hac præcipue §. 25. in §. autem 26. conatur divū Thomam adducere in ſuum ſenſum; tamen revera non ducit, ſed torquet: loquitur enim D. Thom. iuxta ſenſum concluſionis ſequentis.

Autumo tertio. In cognitione imperfecta, & abſtractiva, qualis eſt ſæpe noſtra cognitio, non repugnat eandem enūtiationem mutari de vera in falſam, abſque ſui intrinſeca mutatione. Probatur primo ex Ariſtotele, qui poſt quam docuit proprium eſſe ſubſtantiæ ſuſceptivam eſſe contrariorum, opponit ſibi propoſitionem, & oppinionem etiam ſuſcipere contrariā: mutantur enim de veris in falſas. Reſpōdet ita: *Subſtantia enim ipſa ſui mutatione contrariorum ſunt ſuſceptrices: ſi fit enim ex calido quippiam frigidum, mutatur fane, alteratur enim ut patet, &c. In oratione vero atque opinione non ita fit, ſed ipſa quidem immobiles penitus manent: ſi res autem moueatur, ibi tunc evadunt circa eas contrarias: oratio namque eadem manet, quæpiam inquam ſedere: re autem mota, interdum vera interdum falſa fit. Eadem circa opinionem etiā fiunt.* Quid clarius?

Cap. 5. de Subſtantia, textu 10.

Probatur ſecundo ratione: quia duratio illa, quam concipimus, non ſe tenet ex parte prædicati ipſum determinans, ſed ſignificatur per copulam; nō indiviſibiliter, & omnino determinate, ſed indifferenter & confuſe, iuxta latitudinē habet, ratione cuius poteſt in una parte ſucceſſionis temporis obiectum ſe habere, ſicut per enuntiationem exprimitur, & in alia aliter, ergo poterit enuntiatio mutari de vera in falſam mutatione ſola obiecti ſine ſui mutatione.

Tertio. Enuntiatio indefinita ex parte ſubiecti, ut homo currit, eadem manens poteſt nunc eſſe vera ratione unius ſingularis, nunc falſa ratione alterius, quia in conceptu illo rei confuſæ, & indefinitæ includuntur plura ſubiecta, & individua indeterminate, ergo & enuntiatio indefinita ſecundum tempus & durationem eadem manens, & ad diverſa puncta, vel differentias temporis relata nunc falſa, nunc vera poterit eſſe ſola mutatione obiecti. Confirmatur primo, quia eadem enuntiatio comparata ad Petrum, illa parte tēporis, qua currit, eſt cōformis, ergo & vera; & comparata ad illam partem, qua quieſcit, eſt diformis, ergo & falſa; ergo mutatur ſine ſui mutatione de vera in falſam, etenim cum non definiat tempus, indefinite quan libet illius differentiam claudit. Confirmatur ſecundo. In ſigno inſtrumentali, imagine v.g. Petrum ad vivum exprimente; ſi enim Petrus caſu, vel morbo diuturno priſtinam faciei formam, & habitū vultus mutet, & quaſi

alter

aliter appareat, ut sæpe contingit, iam imago non repræsentat Petrum prout in se est, id est vere, sed falso, & intuentem fallet, nõ quia ipsa mutata sit, sed quia obiectum est mutatum. Dices imaginem repræsentare Petrum, pro eo tempore, quo ad eius vivum expressa fuit, & respectu illius esse veram. Sed contra, quia sine fundamento dicitur imaginem, qua depictus est Petrus, vir iam factus, repræsentare Petrum pro determinato tempore, v. g. pro hoc momento, die, vel mense, quis enim dicat? sed absolute & indeterminate significat illum, ergo similiter iudiciũ intellectus repræsentans obiectũ, non pro determinato tempore, sed indeterminate, abstracte, & confuse, mutari poterit de signo vero in falsum per solam mutationem obiecti.

DVBIVM VI.

An propositiones de futuro contingenti habeant determinatam veritatem, vel falsitatem.

PRæmoneo primo: Enuntiationes de futuro alias pendere à causis naturalibus, ut eras sol illuminabit Orizõtem, alias à causis liberis, v. g. Petrus peccabit, amabit Deum; & istæ vocantur enuntiationes de futuro contingenti, quia poterit Petrus peccare, & non peccare, amare, & non amare Deum. De his est sermo in præsenti.

Præmoneo secundo. Futura libera, alia esse absoluta, alia conditionata. Futurũ absolutũ est, quod absolute, & nulla adhibita conditione dicitur fore, vel non fore, ut obiectum huius enuntiationis Petrus peccabit. Conditionatum est, quod solum enuntiatur futurum, adhibita hypothesi, & conditione: ut si Petrus Romam venerit, peccabit.

Præmoneo tertio. Cum Suarez opusculo 1. Propositionem esse determinate veram, nihil aliud esse, quam ita esse veram, ut non sit falsa: contra vero esse determinate falsam, ita esse falsam, ut non sit vera, sive veritas, sive falsitas ei conveniat necessario, sive libere, sive absolute, sive ex suppositione, sive nobis sit occulta, sive nota, quia hæc omnia veritati & falsitati valde sunt extrinseca.

Assertio prima. Enuntiationes de futuro cõtingẽti, seu libero, sunt determinate veræ, aut determinate falsę. Probatur primo à priori, quia propositio, quæ actu conformatur cum obiecto, est actu determinate vera, & quę actu difformatur, est determinate falsa; sed ex his propositionibus, Franciscus cras peccabit, Franciscus cras non peccabit, altera est conformis actu cum suo obiecto, & altera difformis, ergo una erit determinate vera, & altera falsa. Minor probatur, quia propositio, quę ita se habet in significãdo sicut res se habet in essendo, est illi actu conformis, & quæ aliter se habet, est actu difformis; atqui altera ex his propositionibus ita significat rem futuram sicut res ipsa se habebit, & altera oppositum, ergo altera erit vera, & altera falsa. Minor probatur, quia si Petrus hodie peccat, verum est dicere, Petrus peccat; ergo propositio quæ heri dixit, Petrus cras

Sic Suarez opusculo de absoluta scientia futurorũ contingentiũ lib. 1. cap. 1. nu. 6. Vasquez tom. 1. 1. par. disp. 67. cap. 3. no ber Blanch kic sectio. 7. qui referunt ex familia patribus plures nostram sententiam amplectentes. Item Conimbr. hic cap. 8. q. uni. Rubio hic q. unica. Hurt. de Anima, disp. 9. sect. 6. & cõmuniter.

peccabit, significavit ut futurũ, quod revera futurũ erat, & quę dixit, Cras non peccabit, significavit ut futurũ, quod revera futurum erat, ergo una erat determinate vera, & altera falsa. Nec obstat si dicas, ex parte propositionis reperiri omnia requisita ad falsitatem & veritatem determinatam, nihilominus tamen illam non reperiri, quia futurum contingens non est adhuc existens. Nam alias nec propositiones necessariæ essent determinate veræ, neque etiam cognitio divina, qua cognoscit Deus huiusmodi futura non existentia.

Confirmatur: Quia propositio de præsenti, quæ enuntiat rem esse sicut de facto est, & propositio de præterito, quæ enuntiat rẽ fuisse sicut de facto fuit, sunt determinate veræ, ergo illa, quę enúciat rem futuram eo modo, quo futura est, erit etiam determinate vera: sed una ex propositionibus, Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit, una enuntiat rem futuram eo modo quo futura est, & alia oppositũ, ergo una est determinate vera, & altera determinate falsa.

Secundo. Propositio Dei affirmans, & revelens futurum contingens, est vera, ut patet ex fide, ergo & mea propositio, si id ipsum affirmet quod divina, vera erit in se, quamvis à me ignoretur veritas. Probatur consequẽtia: Nam mea propositio est conformis divinæ, & conformatur obiecto sicut divina.

Respondent Thomistæ, actum divinum esse verum, quia non terminatur ad rem futuram, sed ut præsentem, & coexistentem æternitati. Docent enim mundũ universum realiter exsistere, seu coexsistere æternitati Dei, & ad eum ut sic exsistentẽ terminari actum divinum. Quam doctrinam immerito tribuunt divo Thomæ, qui solum voluit res omnes futuras esse præsentes Deo in æternitate obiective, quatenus eas ab æterno cognoscit, videtque futuras. Et quod hæc sit mens divi Thomæ, liquet ex 1. par. quæst. 8. art. 3. cui titulus est: An Deus sit ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam: ubi hæc continet verba. Per præsentiam suam dicitur aliquis esse in omnibus, quæ in prospectu ipsius sunt. Vnde concludit, Deũ esse in omnibus rebus per præsentiam, quia omnia sunt in ipsius prospectu, ergo quando sanctus Thomas docet omnia esse præsentia æternitati Dei, solum vult esse præsentia obiective, quatenus ab eo ab æterno cognoscuntur. *Legatur Suarez citatus cap. 7. nn. 19*

Deinde sic impugno primo coexsistentiam realem creaturarum in æternitate, quia creaturæ non coexistunt realiter, nisi quando realiter exsistunt; nec realiter exsistunt antequam re ipsa producantur; sed creaturæ non sunt productæ in æternitate, sed in tempore, ergo non exsistunt realiter nisi in tempore. Minor primo liquet ex fide catholica, quæ profitetur mundũ non fuisse productum ab æterno. Secundo, quia si creaturę ab æterno fuerunt productæ quoad exsistẽtiam, quid igitur in tempore producitur? Sed quidquid tamen de hoc sit, de quo theologi in materia de scientia Dei, & inuitâ hic Hurtadus, adhuc Thomistæ non effugiunt vim argumenti: nam ali quam præsentiam & exsistentiam habuit mun-

mundus in tempore, quam ab æterno nõ habuit, alioquin secundum omnem modum fuisset æternus; sed hanc cognovit Deus ab æterno, & vere, ergo fuit cognitio vera alicuius præsentiæ & exsistentiæ futuræ, atque adeo mea cognito obiecti futuri vera etiam esse poterit. Confirmatur: nam si futura non essent determinate vera, non essent determinate cognoscibilia ut vera: nam unumquodque est cognoscibile eo modo quo est in se, si debet vere cognosci, ergo si in se non sunt determinate vera, neque poterunt cognosci ut determinate vera, sed Deus illa cognoscit ut determinate vera, & ut talia revelat, ergo futura sũt determinate vera: nam nõ ideo illa sunt futura, quia à Deo cognoscuntur, sed è contra, ex eo quod sint in se futura, ideo ut futura cognoscuntur, ut docent Theologi communiter.

Tertio. Ostenditur contra Aristotelem, qui concedit propositiones universales de futuro contingenti esse determinate veras, aut determinate falsas: v.g. omnis homo peccabit, ergo etiã ista, Petrus peccabit. Probatur consequentia. Tanta libertas est in omnibus hominibus ad peccandum, vel non peccandum, quanta in Petro, sed libertas omnium hominum, & veritas, aut falsitas determinata illius propositionis, Omnis homo peccabit, non pugnant inter se, ergo nec libertas, & veritas, aut falsitas huius propositionis, Petrus peccabit.

Quarto, contra Thomistas, qui maxime nituntur doctrinæ Aristotelis, negantis veritatem, & falsitatem determinatam huius enuntiationis, Petrus peccabit, quia si esset vera, aut falsa determinatè, non maneret v. g. in Petro libertas ad peccãdum, vel non peccandum, sed hoc dici non potest, ergo est determinate vera, vel falsa. Minor probatur primo, quia Deus determinate scit Petrum esse cras peccaturum, & tamen determinata veritas cognitionis divinæ non tollit à Petro libertatem. Secundo, quia in sententia Thomistarum voluntas Petri physice determinata ad hunc numero actum, non amittit libertatem, ergo veritas determinata nõ eam aufert.

Assertio secunda. Enuntiationes conditionatæ, seu hypotheticæ de futuro contingenti etiã sunt determinate verę aut falsę. Probatur 1. ex dictis. Enũtiatio cõditionalis de futuro nõ differt ab absoluta nisi in conditione, qua impleta, enuntiatio redditur absoluta, sed hæc est determinate vera, aut falsa, ut probatum, ergo & illa. Secundo, quia Deus habet cognitionem huius enuntiationis, si ego vocarem Petrum hoc auxilio, & ista vocatione Petrus cõverteretur, & per cõsequens hæc propositio divina est vera, & nullatenus falsa; ergo si idem ego enuntiavero de Petro, mea propositio erit vera, & non falsa. Antecedens probatur primo, quia Deus sæpe similes propositiones revelavit, ut patet ex Scriptura, Matth. 11. 21. *Si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilitio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quæ verba Diuus Augustinus exponens ita scribit: *Nos etiam si rationem facti, & profunditatem indicii eius penetrare non possi-*

Ita authores supra allegati contra plerosque nostri aui Thomistas.

Lib. 1. de bono perseverantiæ.

mus, manifestissimè tamē scimus, & verum esse quod dixit, & iustum esse quod fecit. Hæc Augustinus Et 1. Reg. 23. Deus prædixit Davidi duo futura sub conditione, quæ à libero arbitrio pendebant, & nunquam reipsa erant futura, sed tātū ex hypothesi, Vnū, quod Saūl esset obsessurus Davidem in urbe Ceida, nisi fugeret. Alterum, quod viri Ceilitæ traditurī essent Davidem Saūli, si non fugeret. Probatur secundo idem antecedens, quia si Deus antequam decernat Petrum in hac occasione convertere, nescit infallibiliter hoc vel illo modo vocatus Petrus convertēdus sit; quomodo Petrum gubernabit & diriget? quomodo illum, salva eius libertate, convertet? certe id facere non poterit, nisi experiendo, & tentando varia media; ut si hoc non possit, possit aliud, vel certe Petrum ad conversionem necessitando: quorū primum cum divina perfectione maximopere pugnat, secundum cum Petri libertate.

Tertio. Petrus hodie vocatus credit, ergo heri verum fuit dicere, si Petrus cras vocetur, credet. Probatur consequentia, quia ex eo quod res est, vel non est, enuntiatio est vera vel falsa, sed obiectum est sicut efferebatur, ergo illa enuntiatio erat vera. Respondebis, talem enuntiationē esse de obiecto revera futuro, nos autem agimus de enūtiatione, cuius obiectum futurum non est. Contra, quia iode sumitur argumentum, nam illa enuntiatio de Petro iam exsistēte, & non dum credente, est vera, si Petrus cras vocetur credet, ergo tametsi Petrus non esset credendus, hæc esset vera, si Petrus creetur, & tali die vocetur, credet. Probatur consequentia: nam hæc enuntiatio est de eodem obiecto sub eisdem circunstantiis: quod autem obiectum futurum non sit à parte rei nihil officit ad veritatem enuntiationis.

Quarto. Contra Aristotelem, ex doctrina ipsius est augmentum. Hæc enuntiatio universalis, Omnes homines cras ludēt, est determinatè vera, aut falsa, ergo & hæc, Si omnes homines cras habuerint ludendi potestatem, & occasionem, ludent. Antecedens est Aristotelis, eo quod enuntiatio illa sit universalis. Consequentia probatur, quia etiam nostra enuntiatio est universalis. Modo sic: Ergo & hæc singularis, Si Petrus cras habuerit ludendi potestatem, & occasionem, ludet. Probatur consequentia, quia potestas, & occasio ludendi tam liberos relinquunt omnes homines, quam unum, nempe Petrum.

Quinto contra Thomistas arguo ad hominem. Si istæ enuntiationes non essent determinate veræ, nec falsæ, maxime, quia sunt de obiecto libero, posita cōditione; sed hæc ratio est nulla, in sententia Thomistarum, ergo, &c. Probatur minor: quia hæc in eorum sententia est determinate vera, si Deus prædeterminasset physice Iudam ad veram pœnitentiam, Iudas veram pœnitentiam egisset; sed Physica præmotio, ut ipsi autumant, relinqueret liberam Iudę pœnitentiam, ergo tametsi illæ enuntiationes sint de obiecto libero, posita conditione, poterūt esse determinate veræ, vel falsæ.

DV-

DVB. VLTIMVM.

Aduersariorum argumenta proponuntur, & diluuntur.

OPpones primo cum Aristo tele contra primam assertionem. Si una pars enuntiationum de futuro contingẽti esset determinate vera, necessario esset vera, & ita necessario eueniret: quod pugnat cum contingentia rerum, & libertate liberi arbitrii. Sequela probatur, quia si una pars esset determinate vera, fuisset ab æterto vera, sed quod est ex æternitate verum, non potuit non esse verum, ergo esset necessario vera. Respondè negando consequentiam, & minorem probationis: nam quamvis quod est ab æterno verum numquam sit futurum non verum, potuit tamen non esse verum: unde absolute & in sensu diviso non est necessario verum, cũ potuerit non esse verum; at si sensus illius minoris sit, enuntiationem ex æternitate veram non posse nõ esse veram in sensu composito, supposito quod semel sit vera, ita est; cæterum id non efficit rem absolute necessariam, & immutabilem, sed tantum ex suppositione, & in sensu composito; qua ratione enuntiatio de præsenti etiam est necessario vera ex suppositione quod sit, & tamen absolute non est necessario vera.

Quare maxime obseruandum est, aliud esse enuntiationem de futuro esse determinate veram, & aliud esse necessario veram. Ad hoc enim secundum exigitur, quod res ita futurata sit, ut non potuerit non esse: ad primũ vero sufficit quod res determinate futura sit, tametsi absolute potuerit non esse. Quare hæc determinata veritas non tollit contingentiam rerum, nec libertatem arbitrii nostri, sed potius illam supponit.

Oppones secundo. Propositio necessaria in eo differt à contingenti, quod illa sit ab æterno vera, ista vero in tempore: unde idem est propositio necessaria, ac propositio æternæ veritatis, ergo propositio contingens nõ habet veritatem determinatam ab æterno, neque in tempore, an tequã sit actu. Nego antecedens: sed in eo solum discrepãt, quod necessaria significat connexionem extremorum absolute indissolubilem, unde absolute est immutabilis, contingens vero connexionẽ ex se dissolubilem, quæ licet de facto futura sit, absolute tamen potuit non esse.

Oppones tertio. Propositio est vera, vel falsa, ex eo quod res est, vel non est; sed res futura cõtingens est omnino indifferens ad esse, & nõ esse; ergo & propositio etiam erit indifferens ad veritatem, vel falsitatem. Respõde. Propositionem esse veram, vel falsam eo quod res sit, vel non sit, non præsens, sed vel præsens, vel futura, vel præterita: res autem futura contingens, tametsi adhuc non sit præsens, est tamen absolute, & determinatè futura: unde non dicitur indifferens, quia non sit determinate futura, sed quia ita est determinate futura, vt possit absolute non esse: & ita quamvis Petrus, v.g. modo indifferens sit ad peccandum, vel non peccandum, quia

quia tamen eras ſe determinavit ad unam ex duabus partib⁹, una ex his propoſitionibus, Petrus cras peccabit, Petrus cras non peccabit, eſt modo determinate vera, quia cũ ſit de obiecto futuro, non debet conformari cum obiecto ſecundum ſe, quod de præſenti habet, ſed ſecundum illud, quod poſtea habebit.

Oppones quarto. Si propoſitio de futuro contingenti eſſet determinate vera, Deus cognoſceret illam, ita eventuram, ſed quod Deus cognoſcit eventurũ neceſſario evenit, ergo propoſitio de futuro contingenti foret neceſſaria. Probatur minor: quia ſi non evenerit neceſſario, poſſet non evenire, atqui tunc Deus falleretur, igitur ne id admittamus, dicendum eſt, Deum non cognoſcere huiuſmodi veritatem determinate, & ita futura illam non habere. Diſtinguo minorem, quod à Deo cognoſcitur eventurum, evenit neceſſario neceſsitate abſoluta & antecedenti, nego minorem; neceſsitate conſequenti, & ex ſuppoſitione quod ita cognoſcatur, concedo minorem: prius enim eſt rem libere futuram eſſe, quã ita à Deo cognoſci; & ſicut potuit res non eſſe, ita potuit non cognoſci à Deo. Cognitio igitur Dei non infert rebus neceſsitatem, nec Petrus cras neceſſario peccabit abſolute, quia Deus cognoſcit ipſum peccaturum; ſed potius ideo cognovit Deus ipſum peccaturũ, quia ipſe libere, tametſi determinate, peccabit.

Oppones quinto cum Thomiſtis contra id quod diximus circa coexiſtentiam creaturarum in æternitate. Aeternitas Dei eſt indiviſibilis, ergo quod ei coexiſtit ſemel, toti ipſi coëxiſtit, ſed creaturæ quando producuntur in tempore, coëxiſtunt æternitati Dei, ergo toti, ergo exiſtunt ab æterno in æternum, ſive ſemper. Antequam ſolvam argumentum, arguo in ſimili forma contra adverſarios. Immenſitas Dei eſt indiviſibilis, ergo quod ei ſemel coexiſtit, toti ipſi coexiſtit; ſed Petrus, v.g. quãdo exiſtit in hoc loco, ſeu ſpatio, coexiſtit immenſitati Dei, ergo illi coexiſtit, ergo exiſtit Petrus realiter in omni loco, ſeu ſpatio, ergo erit immenſus, quod eſt abſurdum. Vt reſpondeam, adverte. Aeternitatem eſſentialem & intrinſecam eſſe ipſammet Dei entitatem, quatenus illi repugnat incipere, aut deſinere; hæc vero æternitas cõnotat extrinſecam durationem imaginariam, cui ita poſtulat coexiſtere, ut nulla eſſe poſsit, aut concipi duratio realiter exiſtens, cui Deus non coexiſtat. Reſpondeo ergo, res quando exiſtunt, coexiſtere æternitati quoad ſuam entitatem intrinſecam, non vero quoad connotatum extrinſecum adæquate, eſt enim æternitas indiviſibilis quoad intrinſecam entitatem, & diviſibilis quoad cõnotatum, ſeu durationem extrinſecam. Sed de hoc alibi.

Argumentũ à libertate ſumptum, quod contra ſecundam aſſertionem fieri poteſt, iam liquet ex dictis. Quare ſolum eſt advertendum, particulam *forte*, ſæpe poni in ſacris litteris, non quidem propter incertitudinem cognitionis divinę, (quod abſit) ſed propter libertatem hominũ, qui libere facturi ſunt ea, quæ à Deo

Deo præcognoscuntur: ut acute notarunt D. Hieronymus in illud Ieremiæ 26. 2. *Ne forte audiant, & convertantur:* Et in illud Ezechielis 25. *Si forte vel ipsi audiant.* D. Augustinus in illud Psalmi 1, 11. *Ne quando iratscatur Dominus,* & Diuus Chrysostomus in illud 11. 37. *Verebuntur forte filium meum.* Vide Suarez lib. 2. de scientia conditionata futurorum contingentium cap. 1. nu. 7.

TRACTATVS QVINTVS.

In duos libros Aristotelis de priori resolutione.

PROOEMIVM.

HANDEM seriem, quam naturaliter observant tres mentis functiones, dum ab intellectu naturaliter producuntur, eandem in explanatione illarum retinemus; oportet enim artem & scientiam imitari naturam. Iam ergo post secundam de tertia agemus. Hoc plane præstat Aristoteles Antesignanus noster quatuor libris de Resolutione, inscriptis à nomine Græco Analysis, quod lingua Latina dat interpretatio In illis sermonem instituit de elementis, materia, forma, & constructione syllogismi, nos à suis principiis ordientes, in duos libros ordinem Aristotelis per unam disputationem sectabimur.

SVBIECTVM HVIVS OPERIS.

SVbiectum horum librorum est Syllogismus in communi, secundum formam consideratus, nulla habita ratione alicuius partialis materiç in qua fiat. Ratio est, quia syllogismi essentia, partes, & proprietates secundum formâ ex præcipuo instituto hic tractãtur: nec obstat quod Aristoteles in aditu huius operis polliceatur se acturum de demonstratione, nam id facit, ut ostendat hos duos libros referri ad demonstrationem, quç est syllogismus præcipuus ex parte materiæ.

DISPVTATIO VNICA;

In duos libros de Syllogismo, vel priori resolutione.

PLERAQVE huius doctrinæ propria, prædicuntur in Synopsi lib. vltimo de argumentatione & syllogismo: quare in hoc tractatu tantum ea, quæ ibi omissa, ut huic loco aptiora, assumenda erunt.

DVBIVM I.

Argumentationem adæquate dividi in Syllogismum, & Enthymema, ostenditur.

NON est præsens sermo de Argumētatione, prout ab aliquibus capitur pro syllogismo, sed prout quid cōmune est ad syllogismum, inductionem, &c.

Dico primo. Argumentatio perperam dividitur in Subalternationem, Aequipollentiam, & Conversionem. Probatur à priori. Argumentatio est consequentia, quæ ex argumento explicato aliquid aliud concludit: sed in Subalternatione, Aequipollētia, & Cōversione aliquid aliud non concluditur, ergo &c. Minor probatur à sufficienti partium enumeratione: quia in primis in Aequipollentia, v.g. Omnis homo est animal, ergo quod dā animal est homo, nullus terminus datur in antecedente, qui non sit in consequente, cum tantum discriminentur per mutationem terminorum, & particulas omnis, & quoddam, ergo. Deinde idem reperitur in Conversione, & Subalternatione, ergo, &c.

Dico secundo. Omnis Argumentatio, vel est syllogismus, vel Enthymema. Suadetur ex iis, quæ docui in methodo disputandi. Quia omnis Argumentatio vel constat Antecedēte simplici, vel composito; id est vel constat duplici, vel unica propositione; si unica est enthymema, si duplici est syllogismus; ergo omnis argumentatio vel est syllogismus, vel enthymema, atque adeo immediate, & adæquate in has duas dumtaxat species dividetur argumentatio, reliquæ vero sub istis continebuntur. Vnde Inductio, Exemplum, & Dilemma si constēt unica propositione, erunt Enthymema, si duplici, Syllogismus.

Confirmatur, & explicatur. Quia tota essentia Syllogismi, & Enthymematis vere & proprie convenit Inductioni, Exemplo, & Dilēmati: ergo si ista cōstent propositione duplici, erūt syllogismi; si unica propositione, erunt Enthymemata: ergo

Ar-

Argumentatio in communi dividitur immediate in Syllogismum, & Enthymema; & ista in Inductionem, Exemplum, & Dilemma. Tota difficultas est in antecedente, quod sic probo. Syllogismus definitur, Argumentatio, in qua quibusdam positis aliud ab iis, quæ posita sunt necessario sequitur. Et Enthymema definitur, Argumentatio, in qua non omnibus propositionibus constitutis colligitur festinata conclusio: sed ista omnino reperiuntur in Exemplo, Inductione, & Dilemmate, ergo &c. Maior per se patet, & ab omnibus admittitur, sin minus mutent definitiones, ut vitent vim Argumenti. Minor probatur in hoc duplici exemplo, constante uno duplici propositione, & alio unica tantum. Sit primum. Sicut Ninivitæ peccaverunt, ita Magdalena peccavit: Atqui ex eo quod Ninivitæ egerint pœnitentiam, Deus remisit illorum peccata, ergo similiter ex eo quod Magdalena egerit pœnitentiam, remisit Deus illius peccatum. Sit secundum: Deus pepercit Magdalenæ pœnitenti, ergo similiter parcet mihi, si me pœnituerit peccatorum. In his exemplis, primo convenit esse Argumentationem, in qua quibusdam positis, aliud ab iis, quæ posita sunt necessario sequitur: & secundo esse Argumentationem, in qua non omnibus propositionibus constitutis colligitur festinata conclusio, ut per se constat: ergo convenit illis ratio tota syllogismi, & enthymematis. Et idem reperitur in Dilemmate, & Inductione: ergo convenit, &c.

Ex his colligo Argumentationem esse genus immediatum, vel quasi genus ad syllogismum, & enthymema: & syllogismum dividi in Inductionem, Exemplum, & Dilemma, si constent duplici propositione: & Enthymema in hæc similia membra, si constent unica tantum.

DVBIVM II.

An solus syllogismus sit argumentatio formaliter.

STatuo primo. Consequentiã prout est quid superius ad argumẽtationẽ, subalternationem, æquipollentiam, & cõversionem, duplicem esse. Vnam materialem, & alteram formalem. Formalis est, quæ ratione formæ in quacunque materia bene concludit. Materialis, quæ solum in aliqua materia cõcludit, eo quod Antecedens habet connexionem cum consequẽti, vel è contra; ut hoc enthymema, leo est animal, ergo est substantia; sed variata materia, nihil concludet, ut leo est vivens, ergo est rationalis.

Statuo secundo. Vt aliquid sit formalis argumentatio non satis esse, ut sit formalis consequẽtia, etenim subalternatio, æquipollentia, & conversio sunt formales consequentiæ: & tamen nulla est formalis argumentatio, ut visum est dubio præterito, quia hæc ulterius efflagitat, ut aliquis terminus contineatur in antecedenti, qui non sit in cõsequenti.

Assero ergo primo. Omnis syllogismus est formalis consequẽ

tia, & Argumentatio, nam cuicũ que materiæ applicetur, legitime concludit vi formæ, & infert diverſum quidpiam à præmiſsis, ergo &c.

Aſſero ſecundo. Enthymema niſi formetur in ſyllogiſmum, non eſt formalis argumentatio. Liquet, quia ſervata ipſius forma in aliqua materia ex antecedenti vero infert cõſequens falſum, ut homo eſt animal, ergo eſt irrationalis. Idem dicendum eſt de Dilemmate, quod nihil eſt aliud, quam multiplex enthymema. Si autem enthymemati aliam addas propoſitionẽ, verum efficies ſyllogiſmum, qui erit perfecta, & formalis argumentatio, ut in hoc enthymemate, Omnis homo eſt rationalis; ergo Petrus eſt rationalis: quod efficies ſyllogiſmum ſi propoſitionẽ addas hoc modo, Omnis homo eſt rationalis; ſed Petrus eſt homo; ergo Petrus eſt rationalis.

Aſſero tertio. Exemplum non eſt argumentatio formalis. Probatur: quia nihil aliud eſt quã enthymema ductũ à ſimili; ſed enthymema non eſt formalis argumentatio, ergo neque exemplum; ſi vero reducatur ad formam ſyllogiſmi, erit formalis argumentatio, ut conſtat ex dictis.

Aſſero quarto. Inductio eſt conſequentia formalis ſi ei poſt aliqua individua numerata, addatur, & ſic de cæteris; non tamen formalis argumentatio. Probatur prima pars, quia addita particula, & ſic de cæteris, ſervata eadem forma in quacunque materia, infert bene concluſionem, ut hæc mater diligit filium, & illa, & illa, & ſic de cæteris; ergo omnis mater diligit filium ſuum. Secunda pars probatur, ſcilicet non eſſe formalem argumentationem, quia illa particula, & ſic de cæteris, idem valet, ac omnis mater diligit filium ſuum; ergo cum poſtea inferatur, Omnis mater diligit filium, idem eſt in conſequenti, quod fuit in antecedenti, & ita non erit formalis argumentatio.

Pater Vaſquez cenſet inductionem efficaciter, ex quibuſdam ſingularibus bene perpenſis recte colligere rem in univerſum ita evenire in his rebus, quæ naturaliter eveniunt, quia natura niſi ex accidenti eodem modo operatur, & ita non eſſe addendam particulam, & ſic in reliquis in antecedẽti, quia hoc inferendum eſt in conſequenti. Sed ſi Vaſquez velit eſſe conſequentiam materialem, ſi fiat in materia naturali, & tunc non adhibendam particulam, & ſic de cæteris, bene ſentit; ſi velit eſſe conſequentiam formalem, non ita, nam quod inductio colligat ex aliquibus ſingularibus bene perpẽſis, eſt quia fit in materia naturali, in rebus ſcilicet, quæ naturaliter, & eodem modo eveniunt; ergo iam non ratione formæ, ſed ratione materiæ concludit, nam ſi in alia fieret materia, dari poſſet verum antecedens, & conſequens falſum. Illuſtratur exemplis: hic ignis calefacit, ille ignis calefacit, & ille; ergo omnis ignis calefacit. Ratione materiæ colligit, & ſi illam mutes, & dicas: hic homo eſt albus, & ille homo eſt albus, & ille; ergo omnis homo eſt albus, nõ recte colligit, eſt enim cõſequẽs falſum.

Tomo 1. prima ſecundæ diſp. 79. c. 5.

Aſſero

Affero quinto. Si inductio revocetur ad syllogismũ, erit argumẽtatio formalis. hoc modo: omne, quod cõvenit necessario ratione speciei alicui individuo, debet omnibus convenire; sed hic ignis & alius ignis necessario calefacit ratione speciei, ergo omnis calefacit, & in hac forma non est opus addere, & sic de cæteris. Ex quibus liquet omnem & solum syllogismum esse formalem argumentationem.

DVBIVM III.

Quid sit Syllogismus.

IN Summulis attigi definitionem syllogismi ex Aristotele: Oratio, in qua quibusdam positis, &c. est nobilior Argumẽtationis species, quia habet totã dispositionem formæ discursivæ, quam non habet Enthymema. In Syllogismo enim disponitur clare medium cum extremis, in Enthymemate vero tantum confuse, ideoque Syllogismus truncatus, seu mãcus vocitatur. Circa syllogismi naturam

Postulabis primo, An essentialiter constet pluribus cognitionibus. Respondeo affirmative. Probatur, nam essentialiter est discursus, sed discursus essentialiter petit plures cognitiones, ergo & syllogismus Minor probatur, nam discursus in omnium consensu est progressio ex vi unius cognitionis ad alteram, ergo essentialiter exigit plures. Confirmatur, quia sola multitudo obiectorum, quorum unum ex alio cognoscatur, non sufficit ad discursum, nã Deus, & Angeli cognoscunt effectus pendentes à causis, & quia id unica & simplicissima cognitione præstant, minime discurrũt, ergo necessaria est multitudo cognitionum.

Postulabis secundo. An notitiæ præmissarum debeant esse iudicia necessario. Affirmant plerique Recentiores, secuti Conimbricenses, quia ex sola apprehẽsione præmissarum nequit intellectus sese ad firmum cõclusionis assensum applicare propter suam imperfectionem. Nihilominus respondeo negative. Suadetur primo exemplo: nam si quis perfecte prius apprehendat omnem hominem rationalem, Petrum hominem, poterit ex illis inferre, ergo Petrus est rationalis. Secundo ratione: quia ex sola apprehẽsione terminorum, & unionis, intellectus potest elicere assensum, ergo ex sola apprehensione præmissarum, in quibus apprehenditur idemptitas extremorũ cum uno tertio, poterit elicere intellectus assensum conclusionis, & ferre iudicium de extremorum idemptitate inter se. *Hic quæs. 3. art. 2.*

Opponis. Syllogismus definitur communiter, discursus in quo ex duabus propositionibus positis, aliud, id est tertia, sequitur necessario, sed præmissæ solum apprehensæ, & non iudicatæ non sunt propositiones, ergo syllogismus necessario requirit iudicia præmissarum. Respondeo. Præmissas apprehensas esse propositiones virtuales, & id sufficere ut ex illis sequatur cõclusio, & consequenter ut constituatur syllogismus. Vel dic, definiri per illam definitionem præstantissimum syllogismum, qui

quidem postulat præmissas iudicatas, tunc enim facilius, & firmius determinatur intellectus ad assensum conclusionis.

Postulabis tertio. Num cõclusionis notitia debeat esse iudicium. Negant nonnulli: nam ex his apprehensionibus præmissarum, omnis homo rationalis, Petrus homo, necessario sequitur, ergo Petrus rationalis. Respondeo. Ad notitiam conclusionis ut obtineat rationem discursus & syllogismi imperfecti, necesse non esse ut sit iudicium, bene vero ut obtineat rationem syllogismi & discursus perfecti. Prima pars patet ex exemplo allato, cumque ex duobus positis, aliud necessario sequatur, erit etiam syllogismus, licet imperfectus. Et confirmatur. Progressio unius cognitionis iudicativæ, ad aliam cum dependentia, est verus discursus, ergo & progressio unius apprehẽsionis ex aliis cum dependentia. Consequentia perspicua est, nam sicut maior, & minor iudicatæ proponunt intellectui obiectum conclusionis iudicatę sufficienter ad inferendum iudicium conclusionis, ita maior & minor apprehensæ proponunt obiectum conclusionis apprehensę ad apprehensionem conclusionis inferendam. Secunda pars ostenditur, quia syllogismus perfectus est discursus perfecte convincens intellectum, illumque prorsus certum faciens; sed dum intellectus iudicium non adhæret conclusioni, non cõvincitur perfecte, nec omnino acquiescit tãquam omnino certus veritatis, quam expetit; ergo necesse est ut conclusio iudicetur ad perfectum syllogismũ. Præterea, quia cõclusio syllogismi perfecti naturalis & evidentis semper est scientia, quæ quidem omnium Philosophorũ consensu est perfectum de obiecto iudicium, in cuius cognitione intellectus acquiescit; si ergo conclusio perfecti syllogismi necessario nõ est iudicium, daretur aliquis actus scientiæ, qui non esset iudiciũ, quod pugnat cum communi voce & sensu Philosophorum.

Postulabis quarto. An requiratur dependẽtia inter syllogismi notitias. Respondeo affirmativè. Ante probationem moneo cum divo Thoma duplicem discursum, unum secundum successionem, alterum secundum causalitatem; prior est series cognitionum sine dependẽtia sibi succedẽtium, qua ratione in prima & secunda operatione aliqualis reperitur discursus, quia in illis possunt dari multæ cognitiones, quarũ una alteri succedat, sine dependentia tamen; posterior est progressio ex cognitione unius ad cognitionem alterius cum dependentia unius cognitionis ab altera, ut omnis homo est animal, ergo Petrus est animal. Nunc ergo probatur, quia syllogismus est verus discursus secundum causalitatem, ergo inter eius notitias debet esse dependentia, qua nimirum conclusio dependeat ex præmissis. Antecedens probatur, nam in syllogismo conclusioni assentimur ex vi cognitionis præmissarum, ergo notitia cõclusionis pendet ex antecedente. Confirmatur, nam præmissæ influunt in conclusionem ut causa effectrix illius, quemadmodum inferius docetur, ergo notitia conclusionis tanquam effectus pendet

1. par. q. 14. art. 4.

det à prioribus cognitionibus; unde fit ut dependentia, quę inter ſyllogiſmi notitias requiritur, conſiſtat in eo, ut cognitio concluſionis pẽdeat à cognitionibus præmiſſarũ in genere cauſæ efficientis, & ab illarum obiecto in genere cauſæ formalis, id eſt tanquam à ratione formali aſſentiendi, ut liquet in hoc ſyllogiſmo, Omne rationale eſt riſibile, ſed omnis homo eſt rationalis, ergo omnis homo eſt riſibilis. Nam concluſio dependet à præmiſsis formalibus in genere cauſę efficientis, ut mox probabitur, & ab obiecto formalium præmiſſarũ in genere cauſæ formalis, nam ratio movens intellectum ad hunc aſſenſum, ergo omnis homo eſt riſibilis, eſt quia eſt rationalis, & omne rationale eſt riſibile.

Poſtulabis ultimo, An plures quam tres notitiæ ſint ſyllogiſmo neceſſariæ. Aliqui præter duplicem prę̃miſſam & concluſionem, duplicem actum requirũt, alterum, quo minor nectatur cũ maiori, qui reſpondet illi particulæ *ſed*; alterum, quo concluſio nectatur præmiſsis, & reſpondet particulæ *ergo*; ſed nulla ratione hoc eſt aſſerendum, quia poteſt intellectus his duabus præmiſsis tantum poſitis, Omnis homo eſt rationalis, Petrus eſt homo, nullo alio conceptu immediate elicere ex vi earum hæc concluſio, Petrus eſt rationalis, ergo præter duplicẽ præmiſſam & concluſionem nihil aliud requiritur. Conſequentia eſt certa, nam ſyllogiſmus eſt diſcurſus in quo ex duabus prę̃miſsis poſitis aliud neceſſario ſequitur ut pendens ex illis. Antecedens oſtenditur, nam cõcluſio, quæ eſt tertium illud iudicium, ut eliciatur ex vi priorum, duo poſſunt flagitari. Primum ut pendeat in genere cauſæ formalis ab illorum obiecto. Secundum, ut pendeat ex ipſis in genere cauſæ efficientis, ſed totum id reperitur in illo iudicio duobus aliis præhabitis, ergo elicitur ex vi eorum. Minor quoad primam partem liquet, quia per illa iudicia præcedentia applicatur intellectui ratio formalis aſſentiendi concluſioni, quæ eſt idemptitas medij cũ extremis cognita, ergo poterit elicere concluſionẽ propter formalem rationem, & ita pendentem ex præmiſsis obiectivis cognitis in genere cauſæ formalis. Confirmatur, quia idem actus fertur in ſuum obiectũ materiale & formale ſimul, ergo & actus concluſionis, qui eſt tertium illud iudicium, poterit ferri per ſe in ſuum obiectum materiale, propter formale, nempe prę̃miſſas obiectivas applicatas, & conſequenter per ſe pendebit in genere cauſæ formalis. Minor quoad ſecundam partem etiam patet, nam eo ipſo, quod illa iudicia applicant obiectũ formale intellectui ad cõcluſionẽ, movent illum, & conſequenter influunt efficiẽter ſi id opus ſit in actum concluſionis, ergo tũc etiam pendebit concluſio per ſe ab illis in genere cauſæ efficientis: quare ſuperfluum eſt peculiare iudicium, reſpondens particulæ, *ergo*, quia hæc ſolum exprimit dependentiam concluſionis in genere cauſæ formalis à præmiſsis obiectivis tanquam à ratione motiva, quæ dependentia imbibita eſt intime in actu concluſionis, qui eſſentialiter

liter elicitur ut pendens à præmissis.

DVBIVM IIII.

Quibus partibus confletur essentialiter Syllogismus.

Ita Albertus trac. 1. huius libri cap. 5. Niphus libro sequenti con clu. 2. dub. 2 & alii, quos refert collegiū. Conimbricense hic cap. 1. q. 2.

SVnt qui asserant, solas præmissas esse syllogismi partes, conclusionem vero effectum illarum, aut finem syllogismi. Ducuntur duplici testimonio Aristotelis, primo ex primo Poster. cap. 2. asserentis, demonstrationem dici ratiocinationem, eam, quę scientiam effi cit, sed solæ præmissæ efficiunt scientiam utique conclusionem, ergo solæ præmissæ sunt syllogismus demonstrativus. Secundo ex primo Priorum, ubi ait, syllogismum constare duplici propositione, & tribus terminis.

Ad primum respondetur primo, syllogismum per unam sui partem, scilicet præmissas, efficere scientiam actualem, quæ est conclusio evidēs, ideoque quod convenit parti, adscribi toti; sicut homo per alteram sui partē, solum nempe animam, se movet, & nihilominus absolute dicitur se movere. Respondetur secundo. Totum syllogismū gignere scientiam habitualem, quę est extra ipsum syllogismum. Tertio dici potest syllogismum efficere scientiam, non effective, sed formaliter, quia nimirū nos facit scientes in genere causæ formalis.

Ad secundum dico, aliquando accipi à Philosophis syllogismū pro solis præmissis, quia in illis continetur conclusio, ideoque eam nunquam excludunt.

Probabilius videtur è contra syllogismum constare sola conclusione, præmissis vero tanquam præsuppositis: nam sicut enuntiatio affirmat unum de alio, ita & syllogismus colligit unum ex alio; sed enuntiatio solum cōsistit in iudicio unionis, ut nectentis extrema, & pendentis ex illis, ergo & syllogismus in iudicio conclusionis ut pendentis, vel deductæ ex præmissis. Neganda tamen consequentia, quia enuntiatio est unio intentionalis extremorum, quæ tunc formaliter reperitur, cum cognoscitur unio extremorum in actu exercito, ut supra diceba mus: neque formaliter includit apprehensiones subiecti, & prædicati; at syllogismus essentialiter est discursus mentalis, seu progressio ex uno obiecto cognito ad notitiam alterius ex vi prioris cognitionis, ideoque essentialiter includit notitiā præmissarum, & notitiam conclusionis, illam tanquam terminū à quo progreditur intrinsece intellectus discurrendo, & hanc tā quam terminum ad quem intrinsece tendit, & in quo sistit.

Dicendum ergo est primo, cōclusionem esse partem essentialē syllogismi. Probatur primo. Syllogismus & discursus est tertia mentis operatio, sed tertia mentis operatio illationem includit, alias constituenda esset alia mentis operatio, quæ esset illativa, ergo &c. Secundo, per conclusionem aliquid clare manifestatur, quod obscure attingebatur in maiori & minori, ergo cōclusio est diversus modus scien-

sciendi, non enuntiatio, neque definitio, ergo discursus. Antecedens patet. In præmissis solum clare iudicatur unio extremorum cum medio, ubi confuse continetur unio extremorum inter se, quæ clare per conclusionem affirmatur. Tertio syllogismus in Barbara, & Baraliptó, intrinsece inter se differunt, ut nemo inficiabitur, sed non differunt per præmissas, quia habent easdem, ergo per conclusionem, quæ consequenter erit pars intrinseca & essentialis syllogismi, cum sit eius distinctiva.

Dicendum secundo. Syllogismum componi etiam ex præmissis. Probatur ex ipsa Aristotelis definitione: Oratio in qua quibusdam positis, aliud, id est conclusio, necessario sequitur, ergo etiam præmissæ ponuntur in ipso syllogismo; hoc enim indicat particula, *in qua*: non enim dicit *ex qua*, sed *in qua*, ut in ipsa includi præmissas, & conclusionem intelligatur. Secundo, syllogismus est discursus, sed discursus essentialiter cõstat duplici actu; ergo & syllogismus. Minor probatur. Discursus est progressio ab una ad aliam propositionem, ergo includit essentialiter utramque.

DVBIVM V.

Quomodo imitetur cõclusio debiliorẽ præmissam.

HOC axioma, Conclusio sequitur debiliorem partem, Dialectici, duobus ultimis amplexi sunt. Pro cuius interpretatione animadvertere oportet, præmissas aliquando esse impares in perfectione, & imperfectiorem vocari debiliorẽ. Imparitas, seu inæqualitas perfectionis potest esse in quantitate, ut quando una est universalis, & altera particularis, aut singularis; vel in qualitate essentiali, quando una est affirmans, & altera negans; una clara, altera obscura; certa una, altera incerta; vel in qualitate accidentali, quando una est vera, & altera falsa; vel postremo in ordine entitatis, vel entis, quando una est ordinis supernaturalis, & altera ordinis naturalis secũdum suam entitatem.

Propositio prima. Verum est proloquium in quantitate, nam si altera præmissa est universalis, altera particularis, vel singularis, sequitur particularis, aut singularis conclusio, ut patebit percurrenti syllogismorum modos. Ratio est, nam conclusio sub præmissis continetur, atqui sub præmissa particulari, aut singulari contineri non potest cõclusio universalis, ergo &c.

Propositio secunda. Verum etiam est axioma in qualitate essentiali affirmationis utique & negationis. Vnde si aliqua præmissarum negans sit, conclusio prodit negativa. Ratio est, conclusio solum ea connectit, quæ cum medio coniunguntur, sed præmissa negans disiungit unũ extremum à medio, ergo conclusio non poterit illa copulare.

Propositio tertia. Verum itẽ est in qualitate essentiali certitudinis aut incertitudinis, claritatis aut obscuritatis, nam si una præmissa sit certa, altera incerta, conclusio incerta; & si una

fuerit clara, altera obscura, obscura oborietur conclusio. Ratio est, nam intellectus nequit certo & evidenti assensu approbare idemptitatem extremorum inter se in conclusione, nisi certo & evidenter penetraverit ipsorum idemptitatem cum medio in præmissis, quod nequit contingere quãdo una præmissa est certa & evidens, altera incerta & obscura, ergo &c. Antecedẽs probatur, nam quando una præmissa est certa, vel evidens, altera incerta vel obscura, ex una parte repræsentatur idemptitas medij cum uno extremo incerte, & obscure, ergo tunc idemptitas cognita incerta & obscura similiter erit; Malum enim ex quocunque defectu, ut canit communis adagio.

Roboratur amplius. Quando una præmissa est de fide, & altera naturalis evidens, tunc conclusio est inevidens, ut in hoc syllogismo, Omnis homo est risibilis, sed Christus est homo, ergo Christus est risibilis, alias daretur habitus Theologicè evidẽs. Itẽ quãdo altera est supernaturalis, & de fide, altera naturalis tantum probabilis, tunc conclusio tãtũ est probabilis, ut in hoc alio syllogismo: Omnis hõmo habet intellectum realiter distinctum ab anima, sed Christus est homo, ergo habet intellectum realiter distinctum ab anima. Et ratio est, quia nisi certo & clare iungam duo cum tertio, non possum cum certitudine & claritate illa inter se necterere nam obiectum materiale conclusionis maiorem certitudinem & claritatẽ habere nequit, quam formale propter quod educitur, ergo in certitudine & claritate conclusio sequitur infimiorem præmissam.

Objicis. Ex præmissis falsis potest sequi conclusio vera, ergo multo magis ex probabilib⁹. Antecedens claret in hoc syllogismo: Omnis lapis est substantia, sed omnis homo est lapis, ergo omnis homo est substãtia. Respondẽ, conclusionem hanc non habere formalẽ certitudinem, quia hæc non trahitur à solo obiecto materiali, sed à formali, id est medio & motivo, per quod materiali obiecto assẽtimur, cum autem motivum falsum sit, scilicet præmissa, actus etiam erit falsus.

Propositio quarta. Prolatum illud non semper est verum in veritate & falsitate, nam aliquando præmissæ sunt falsæ, & vera conclusio: v. g. Omnis lapis est animal, homo est lapis, ergo omnis homo est animal. Ratio est, quia veritas, vel falsitas non desumitur à motivo, vel ratione assentiendi, sicut certitudo & evidentia: veritas enim solum desumitur ab obiecto, cum sit extrinseca denominatio ab obiecto cui conformatur, eo quod ita se habeat sicut affirmatur per actum.

Dici communiter solet, ex falso sequi verum ratione formæ quod verum est, si nomine formæ intelligatur (ut solet communiter) illa quasi localis positio terminorum, & propositionum; recte enim colligitur ea conclusio ex vi talis positionis extremorum, & propositionum eo in loco, quem præscribunt regulæ logicæ. Revera tamen forma adæquata non est sola illa positio terminorum & propositionum, sed talium terminorũ, qui

qui affirmari, vel negari possunt de medio, & invicem, quod in præmissis falsis non reperitur, & ideo ex illis non recte colligitur ex vi formæ propriè sumptæ, sed ex vi materiæ, quia scilicet obiecta conclusionis à parte rei coniunguntur, non tamen ex vi assumpti medij.

Ita Vasquez 1.p. tomo 1. q.1. artic.2. dispu.4.c.8. n.13. Conimbri. in c.2. li. 1. Topi. q. unica ar.2. alii. que Recentiores cõtra Molinam 1.p.q. 2. ar.2. disp.1 Gillium lib. 1. tract. 4. c. 32. n. 11. Fonseca tom. 3. lib. 6. cap. 1. q. 6. sect. 8.

Propositio quinta. Conclusio in entitate perpetuo sequitur debiliorem partem. Vnde si una præmissa sit supernaturalis, & altera naturalis, cõclusio in entitate naturalis erit, ut in hoc syllogismo, Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis. Probatur primo. Quãdo una præmissa est supernaturalis, & altera naturalis probabilis tantum, vel falsa, conclusio est naturalis, ergo etiã si altera sit naturalis certa, etiã conclusio erit naturalis. Patet consequentia. In utroque casu reperitur præmissa supernaturalis. Secundo. Actus naturalis terminari potest ad obiectum supernaturale, saltem materialiter acceptum, ut videre est in actu fidei elicito ab Hæretico, ergo etiam conclusio naturalis terminari poterit ad obiectum supernaturale præmissę supernaturalis, saltem materialiter acceptũ. Tertio. In aliis rebus conclusio adhæret parti debiliori, ergo & in naturalitate.

Aliqui distingunt illationem & consequens, & asserunt illationem esse supernaturalem, cõsequens vero naturale; alii è cõverso: verum iam dixi supra cõsequens & illationem non esse duplicem actum; & tametsi duplex esset, uterque tamen vel esset naturalis, vel supernaturalis, nam uterque specificaretur eodem modo ab utraque præmissa, ergo uterque ab illa eandem rationem naturalem, vel supernaturalem caperet.

Oppones primo. Vt aliquid sit supernaturale, sat est ut aliquod eius principium supernaturale sit, ut liquet in charitatis actu, qui supernaturalis est, quia prodit à voluntate naturali coniuncta cum charitatis habitu supernaturali, ergo cum conclusio in nostra sentẽtia sit effectus præmissarum, si una sit supernaturalis, evadet ipsa supernaturalis. Verum hoc probat etiam cũ clusionem fore supernaturalem, quando prȩmissa supernaturalis coniungitur cum naturali falsa, aut probabili, quod ipsi negant. Respondeo ergo sat esse unum principium supenaturale elevans ad actum supernaturalem, at hic conclusio non specificatur à præmissa naturali ut elevata, sed secũdum veritatem, quam habet, & ita nulla est hic necessaria elevatio, maxime cũ præmissa supernaturalis non operetur in hoc syllogismo ut supernaturalis est formaliter.

Oppones secundo. Conclusio huius syllogismi, Omnis homo est risibilis, sed Christus est homo, ergo Christus est risibilis, est Theologię, & etiam habitus ab ea productus, sed habitus Theologiæ est supernaturalis, ergo & ea conclusio. Respõdeo eum habitum reducendum esse ad habitum proprie Theologiæ, qui est supernaturalis, & deducitur ex utraque præmissa de fide. Quod si dicas, actum supernaturalem non posse naturaliter producere actum naturalem, negandum id est cum Molina, nam præmissa supernaturalis cũ alia naturali

1.p. quæst.1. art.3. disp.3 in fine.

probabili, vel falsa actum naturalem producit.

Oppones tertio. Actus naturalis nequit specificari ab obiecto supernaturali, ergo actus conclusionis naturalis à supernaturali præmissa specificari nequibit. Respondeo nõ specificari à præmissa formali supernaturali, sed obiectiva, non ut supernaturali formaliter, sed materialiter tantum. Actus autem naturalis bene potest ab obiecto supernaturali spectato materialiter specificari, ut tenentur concedere ipsi in conclusione falsa deducta ex una præmissa supernaturali, & altera naturali falsa.

DVB. VLTIMVM.

Divisiones Syllogismi explicantur.

SOlũ hic ago de divisionibus syllogismi universaliorib⁹. Prima sit in formalem, & materialẽ. Secunda in vitiosum & bonum. Tertia in necessariũ, probabilem, & sophisticum.

Dico primo. Syllogismus optime finditur in formalem, & materialẽ. Probatur. Datur syllogismus concludens solum ex vi materiæ, alius vero ex vi formæ, ergo findi potest syllogismus in materialem, & formalem, id est in concludentem ex vi materiæ, & ex vi formæ. Antecedens claret, quia ex duabus propositionibus particularibus quandoque male, quandoque recte concluditur, ut in his; Quædam qualitas est virtus, sed quędam avaritia est qualitas, ergo quędã avaritia est virtus. Quoddam animal est risibile, quidam homo est animal, ergo quidam homo est risibilis. Et idem videre est cum ambæ propositiones sunt negativæ, ergo syllogismus, qui rectus est, non concludit ex vi formæ. Patet consequentia, quia ex vi formæ nunquam ex antecedente vero colligitur consequens falsum, eadem servata forma.

Dices. Minorem primi syllogismi esse falsam, imo & mutari medium in illa, quia medium mentale est qualitas particularis indicata ex nota, quædã qualitas: At in minori medium mẽtale est qualitas absolute, & non particularis, & ideo non servatur forma, quæ sita est in hoc, quod utrumque extremum coniungatur in mente cum eodem medio. Frivola solutio, nã hac ratione etiam in Barbara mutaretur medium, v. g. Omne animal est substantia, sed omnis homo est animal, ergo &c. Ecce in maiori medium est omne animal, in minori vero solum animal, imo si in minori coniungeretur extremum cum omni animali, esset falsa propositio.

Dico secundo. Distribui etiã potest syllogismus in utilem, & inutilem ratione formæ; & similiter in vitiosum & bonum ratione formæ. Pater, quia, ut dixi, alii sunt syllogismi optima forma dispositi, alij secus, ergo &c. Si autem nomine vitiosi, aut inutilis syllogismi intelligatur ille, in quo conclusio non attingit suum obiectum propter veritatem præmissarum, non est optima divisio, quia nullus datur syllogismus mentalis, qui sit inutilis, aut vitiosus: quod sic suadeo. Nam si aliquis daretur

tur, maxime iſte, Omnis homo eſt animal, ſed omnis planta eſt ſubſtantia, ergo omnis leo eſt vivens; atqui iſte non eſt, ergo &c. Maior eſt certa, nam talis ſi appellandus eſſet ſyllogiſmus, cum non inferat concluſionem ex præmiſſis, erit inutilis. Minor probatur, quia tametſi intellectus concipiat tribus iudiciis omnes illas propoſitiones obiectivas, nihilominus non habet ſyllogiſmum, quia tertiæ illi præpoſitioni obiectivæ non aſſentitur propter præmiſſas, quod requiritur ad diſcurſum & ſyllogiſmum, qui eſſentialiter efflagitat aſſentiri uni ex altero. Vnde non elicit proprie actum concluſionis, quamvis voce proferat illam particulam, ergo, &c.

Maior eſt difficultas circa diviſionem ſyllogiſmi in neceſſarium, probabilem, & ſophyſticum. Revocandum in memoriam, dari poſſe in conceptibus æquivoca, quia poſſent Angeli inſtituere, ut conceptus leonis Chriſtum ſimul, & leonem ſignificet. Quo poſito

Dico tertio. Dari poteſt mentalis ſyllogiſmus ſophiſticus. Probatur. Syllogiſmus vocalis conſtans æquivoca voce, eſt ſophiſticus, ergo & mentalis conſtans æquivoco conceptu, ſcilicet repræſentãte ſimul gallum, v. g. auem ad placitum, & hominem naturaliter in Angelis erit ſophiſticus. Secundo ſyllogiſmus ſophiſticus eſt, qui licet falſus ſit, ratione tamen fallaciæ, vel æquivoci, verus apparere poteſt, ſed in eo cuius cognitio ad placitum repræſentat gallum auem, & naturaliter gallũ hominem, poſſet apparere verus ſyllogiſmus, ut iſte, Gallus eſt animal irrationale, ſed homo Francus eſt gallus; ergo homo Francus eſt animal irrationale, ergo eſt ſophiſticus. Minor probatur. Hæc propoſitio, licet falſa, Gallus eſt animal irrationale, continet tamen fallaciam. Confirmatur ſaltem alteri Angelo percipienti illum actum, & ſcienti poſſe ad placitum ſignificare auem, poſſet huiuſmodi actus verus apparere.

Dico quarto. In actu repræſentante plura naturaliter dari nequit ſyllogiſmus ſophiſticus. Probatur primo. In actu repræſentante plura naturaliter non datur fallacia, ergo in actu repræſentante plura naturaliter, nequit dari ſyllogiſmus ſophiſticus. Antecedens probatur, tum quia in Deo daretur fallacia, qui actum habet ſimpliciſſimum omnia contuentem: tum quia is actus eodem modo eadẽque claritate exprimit utrumque obiectum, ergo fallere nequit. Secundo, ſi notitia aliqua naturaliter repræſentet hominem gallum, & auem, non poteſt hęc propoſitio, Gallus eſt animal rationale, appare vera adęquatè, nam ſenſus eſſet, totũ illud obiectum repræſentatum naturaliter per eam notitiam eſſe animal rationale, quod falſum eſt aperte, & ſine fallacia, ergo non eſt ſophiſticus.

Dico quinto. Datur ſyllogiſmus vocalis ſophiſticus. Probatur. Syllogiſmꝰ factus eſt verus ſyllogiſmus, ſed poteſt conſtare æquivoca voce, ergo erit ſophiſticus. Conſequentia patet, ſyllogiſmus falſus conſtans voce æquivoca, poteſt apparere verus, & continet fallaciam, ergo

est sophisticus. Dices eum non esse unum syllogismum. Falsum tamen id est, nam vox aliqua propter multas significationes non multiplicatur, sed remanet una, quia concreta accidentalia non multiplicantur ad multiplicationem formarũ, sed subiectorum, ergo vox æquivoca, licet plura significet, cum sit tamen unicus sonus, unica erit, ergo & syllogismus illis constans, unicus est.

Hinc liquet recte syllogismũ mentalem & externum dividi in necessarium, probabilem, & sophisticum.

TRACTATVS VLTIMVS.

Ad Geminos Aristotelis libros de Posteriori Analysi, seu de Demonstratione.

PROOEMIVM.

HI duo postremi libri, ab Aristotele de Demõstratione nuncupati (ut constat ex primo Posteriorũ capite tertio, à posterioribus interpretibus inscripti de Posteriori Analysi. vel resolutione, & Analytica Posteriora, ad differẽtiam duorum librorum præcedentium, qui de priori Analysi, seu resolutione inscribuntur, eo quod resolvant, & examinent syllogismum, qui consideratione antecedit demonstrationem, quam resolvunt isti duo postremi libri) nobis nunc exponendi sunt, opus sane arduum, & in quo conficiendo tanquã in postremo Dialecticæ actu, Aristotelicum desudavit ingenium. Hanc enim Logicæ partem ita ingeniose Aristoteles elaboravit, ut merito dicatur ipse ab Aphrodiseo demonstrando, demonstrare docuisse.

Hic tractatus in quatuor disputationes resolvitur. Prima est de præcognitis. Secunda de principiis. Tertia de essentia demonstrationis, eiusque divisione. Vltima de scientia in communi, actualem, habitualemque complectente.

CA-

CAPVT PRIMVM.

De Præcognitis.

SVMMA CAPITIS.

INTENTVM Philosophi in hoc capite est aditū facere ad ostendendum ex quibus partibus demonstratio constet, tametsi latentur etiam contra Antiquos ostendat dari demonstrationem, & scientiam. In cuius prima parte ea, quæ sunt præcognoscenda ante demōstrationem ostendit. In secunda vero duo sophismata veterum dissolvit.

EXPLANATVR TEXTVS.

OMNIS doctrina, omnisque disciplina ex præexistenti fit cognitione. Relictis variis sententiis circa sensum huius celebratissimæ propositionis, autumo loqui Aristotelem dumtaxat de notitia discursiva, & sensum illius esse: Omnis notitia discursiva ex præexistenti notitia fit. Propositionem hanc Philosophus suadet inductione in scientiis & artibus.

Prænotionum autem genera, &c. Aristoteles antequam ea, quæ ante demonstrationem præcognoscenda sunt exprimat, docet prænotionem esse duplicem, *An sit*, & *Quid sit*. Prænotio *An sit* est duplex, una simplex, qua præcognoscitur an res simplex præexistat, v. g. an sit homo; & altera composita, qua præcognoscimus an aliqua propositio sit vera, v. g. est ne homo animal rationale? Prænotio *quid sit* etiam est duplex, una nominis, qua præcognoscimus quid sit nomē, id est quid significet. Altera rei, qua præcognoscimus quid sit res, id est quam essentiam obtineat.

Quædam enim sunt, &c. Docet iam Philosophus ante demonstrationem tria esse præcognoscenda, utpote subiectum, attributum, seu proprietatē, & principia demonstrationis, ita tamen, ut de principiis præcognoscantur an sint vera, de attributo quid nominis saltem, de subiecto autem utrumque, videlicet an existat, vel existere possit, & quid sit, tam nominis, quam rei. Huius doctrinę ratio est, quia demonstratio debet cōstare subiecto, attributo, & medio tanquam partibus remotis, ex quibus immediate principia cōflantur, ergo debent cognosci prius quam ex eis demonstratio constituatur ad conclusionem deducendam.

Sunt autem, &c. Exprimit hic quo ordine cognoscantur præmissæ,

missæ, & conclusiones; & ait, quædam ex illis prius tempore cognosci ante conclusionem, sive sit maior sine minori, sive minor sine maiori, tametsi cognita utraque, simul tempore cognoscatur conclusio propria, & distincta notitia.

Alioquin in laqueos, &c. In hac postrema parte solvit Aristoteles duo sophismata. Primum erat Platonis in Menone, asserentis scire nostrum esse quoddam reminisci, quia animis nostris ante unionem cum corporibus, datę erant omnes scientię, quarum ipsæ cum corpori uniūtur, obliviscuntur, & ita scire nostrum esse quoddam reminisci, quod ita suadet Plato. Nam qui investigat, vel scit id, quod investigat, & tunc non est invenire, nec scire, cum iam id cognoscat; si vero non scit, frustra quærit, cum etiam si illi occurrat, non deprehensurus sit: sicut, qui quærit servum facie ignotum, quamvis inveniat, non cognoscit eum, ergo non datur scientia de novo.

Neque enim cum iis consentio, &c. Secundum sophisma erat Heraclitі, & Cratyli, quo nitebantur auferre scientiam rerum propter earum incertitudinem: qui interrogabant eum, cum quo disputabant: Scis ne omnem binarium esse parem? quod concedendum est; & postea faciebant sophisma, proferentes binarium quem iam absconditum in manu, hic est binarius, & tu ignoras esse binarium: Sciscque omnem binarium esse parem, ergo scis idem, & ignoras. Quod cū dici nequeat, auferenda erit scientia. Respondet igitur Philosophus ad utrumque, in præmissis sciri conclusionem in generali & in confuso, ignorari tamen propria cognitione, & postea sciri de novo in particulari, sicut in illa propositione: Omnis binarius est par: in confuso scitur illud, quod est in manu esse par, quia est binarius, seu dualitas, tametsi propria cognitione ignoretur quod sit par, quia ignoratur quod sit dualitas, seu binarius.

DISPVTATIO PRIMA;
De Præcognitis, seu Notiis prævіis demonstrationi.

HORVM librorum initium Aristoteles sumit ex illo axiomate, Omnis doctrina, omnisque disciplina ex præexistente fit cognitione. Doctrinam dixit, quia docet: disciplinam, quia discitur. Vnde non loquitur de notitia sensitiva, quę nec docet, nec discitur: nec de omni intellectiva, sed de discursiva: hoc enim sonat vox illa Græca, Dianoitikē: quare mēs Aristotelis est: omnis notitia discursiva ex præexistente notitia fit: quapropter recte Aristoteles infert ante demonstrationem, quæ discursiva est, quædam esse prænoscenda, hæc vero quænam sint, sequentia dubia dilucidabunt.

DV-

DVBIVM I.

An, & quid sit de subiecto prænoscendum.

SVbiectum hic pro eo sumitur, quod in demonstrationis conclusione subiicitur: exempli gratia in hac demonstratione: Omne animal rationale est risibile, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est risibilis: omnis homo est subiectum; de eo igitur.

Assero primo, prænoscendum esse, quid nominis, id est quid eius nomen significet, etenim ignorato nomine, ignoratur quoque, quod eo significatur: quare cum requiratur subiecti cognitio ad aliquid de eo demõstrandum, opus est & eius nomen probe callere; quod intelligendũ est si medio nomine percipiatur, nam si medio visu, vel alia ratione, opus non erit nominis prægognitio, cum scientia non sit de nominibus, sed de rerum naturis, quæ tametsi sæpe, non tamen semper nominibus explanantur.

Assero secundo, non esse prænoscendum de subiecto an sit. Nam vel demõstratio est à priori, vel à posteriori; si sit à priori, demonstratur connexio attributi cum subiecto, ad quod non est prænoscendum an subiectum existat, nec ne, quia de rosa, hyeme non existente, potest eius proprietas demonstrari; si sit à posteriori, demonstratur ipsa subiecti existentia, & sic non est opus antea prænoscatur, saltem eo modo quo demõstratur.

Nec refert Aristotelem hic dixisse prægnoscendum de subiecto quod sit, nã id dixit, quia necesse est cognoscere obiectum existens, si habenda sit demonstratio per proprias species ab obiectis emendicatas; etenim cũ proprię species naturaliter producantur ab obiectis existentibus, ea quoque ut existentia repræsentant: quo circa si intellectus habet propriam speciem ab obiecto productam, per illam debebit cognoscere obiectum existens, saltem in prima cognitione, quod non esse ad demõstrationem necessarium, ex eo constat, quia postquam intellectus hausit species ex obiectis, easque conservavit, ut de facto contingit, etiam pereuntibus obiectis poterit per illas species demonstrationes circa illa conficere.

Inquires, An existentia demõstrari possit de subiecto. Sileo ad Theologos demonstrationem de existẽtia divina, de creata di co posse demõstrari ex se à priori, & à posteriori, tametsi id semper à nobis fieri nequeat. A posteriori patet ex variis effectibus; à priori probatur, habet causam, scilicet liberam Dei voluntatem, & actionem qua fit, ergo per has ex se demonstrari poterit. Deinceps etiam per causam materialem, v. g. quotiescunque datur subiectum actu sustentans albedinem, illa datur, sed de facto datur materia & subiectum actu sustentans albedinẽ, ergo datur albedo. Vltima pars liquet, cum lateant nos libera Dei voluntas, & actio productiva, & sæpe etiam non patẽt oculis formæ existentes in materia, ergo sæpe non licet nobis existentiam ostendere.

Aſſero tertio. De ſubiecto nõ numquam eſſe prænoſcendum quid ſit, id eſt eius eſſentia clare, nonnumquam confuſuſe, ſemper autem aliquo ex his modis. Nam vel de ſubiecto demonſtratur proprietas per eſſentiã ſubiecti, ut in hoc ſyllogiſmo: Omne animal rationale eſt riſibile; omnis homo eſt animal rationale, ergo &c. & ſic clare cognoſcitur quid ſit ſubiectum; vel proprietas demonſtratur de ſubiecto, non per eſſentiam ſubiecti, ſed per aliam proprietatem, v. g. Omne admirativum eſt riſibile, omnis homo eſt admirativus, ergo &c. & ſic etiam cognoſcitur quid ſit ſubiectum, ſaltem confuſe; etenim ſubiectum ſemper ponitur in præmiſſis, ergo ſemper aliquo modo cognoſcitur, ſive clare, ſeu confuſe.

Inquires, an tota eſſentia de ſubiecto poſsit demõſtrati. Reſpondeo poſſe, & à poſteriori per effectus, ac per proprietates, & à priori eſſentiam metaphyſicam per phyſicam, & è converſo, quia differunt ratione, utraque vero eſſentia ſimul ſolum per cauſam extrinſecam efficientem, finalem, & exemplarem probari valet, quia cauſa intrinſeca eſt eſſentialis.

DVBIVM II.

Quid prænoſcendum de Prædicato, medio, præmiſſis illatione.

PRædicatum eſt, quod in concluſione de ſubiecto concluditur, ab Ariſtotele paſsio vocitatur, non quod ſemper ſit vera paſsio, ſed quia in demonſtratione à priori, de qua potiſſimum hic agitur, fere ſemper eſt paſsio; vel quia quamquam non ſit, ſemper tamen ſe habet admodũ paſsionis reſpectu ſubiecti.

De Prædicato prænoſcendum eſt primo quid nominis, id eſt, quid eius nomen ſignificet, eo modo, quo de ſubiecto dubio præcedenti dictum. Secundo an ſit poſsibile, quia ſtulte de ſubiecto poſsibili prædicatum impoſsibile demonſtrabis: quod intelligendum etiam volo de ſubiecto medio, atque præmiſſis. Dices aliquando quæritur an paſsio ſit poſsibilis, ergo nõ eſt ſemper præcognoſcenda paſsionis poſsibilitas. Reſpõdeo tunc paſsionem eſſe ſubiectum, & de illa cõcludi poſsibilitatem, quæ poſsibilitas prius ſaltem confuſe debet apprehendi, & præcognoſci, ut poſtea eius conuenientia cum ſubiecto probetur. Tertio, quid ſit, ſaltem cõfuſe, quia ſi prorſus ignores quid ſit prædicatum, quomodo illud de ſubiecto demonſtrabis? Non vero eſſe prænoſcendum an exiſtat, ſicut dictum eſt ſupra de ſubiecto, nec prænoſcendum de prædicato an conveniat ſubiecto, tum quia prædicatum nunquam in præmiſſis cum ſubiecto conjungitur, tum etiam, quia in cõcluſione clare demonſtratur connexio prædicati cum ſubiecto, quare non opus eſt prænoſcatur in præmiſſis. Et voluit docere Ariſtoteles cũ dixit, de paſsione, id eſt de prædicato, cognoſcendum quid nominis, nõ quid rei, utique non prænoſcendum an ſubiecto conveniat, vel ſit eius paſsio, quia hoc eſt demonſtrandum in concluſione.

De

De medio prænoſcẽdum quid nominis, non tamen neceſſario quod actu exſiſtat, bene vero quod ſit poſsibilitetem quid rei clare, vel confuſæ, & quod cum duobus extremis connectatur, quæ omnia patefiunt ex ſuperioribus.

Dices, Ariſtoteles non recenſet medium inter præcognita, ergo. Reſpondeo Ariſtotelem loqui de potiſsima demonſtratione propter quid, in qua medium eſt definitio ſubiecti, definitio autem non conſtituit omnimode diverſum mediũ à ſubiecto, ſed ſolum ſecundum conceptum clarum, vel confuſum. Vel dic, ex eo quod medij non meminerit, non ſequi id negaſſe.

De præmiſsis formalibus prænoſcendum eſt nihil, quia ad cõcluſionem deducendam non requiritur cognitio ulla reflexa.

De præmiſsis obiectivis duo prænoſcenda aio. Primum quod ſint cauſa, & ratio movẽs ad concluſionem. Secundum, quod ſint verę invariabiliter, tota enim veritas concluſionis à præmiſsis petenda.

De illatione dico, nihil eſſe prænoſcendum, quia ipſa in cõcluſione includitur, quare cum concluſione noſcenda eſt, ante illam vero neutiquam prænoſcenda.

Collige hinc quot ſint præcognita: ſunt enim quatuor, Subiectum, Prædicatum, Medium, & geminæ Præmiſſæ, quæ unum complexum præcognitum faciunt.

Collige deinde, oportere ut iſta omnia præcognita actum concluſionis antecedant, quia tota veritas concluſionis pendet ex eorum diſpoſitione, recta autem diſpoſitio nequit conſtare, niſi ante concluſionem prænoſcantur.

Collige præterea, Ariſtotelẽ in his præcognitis fuiſſe locutũ de his, quæ antevertunt ſcientiam, non totalem, ut Philoſophiam, ſed partialem ut concluſionem ſcientificam.

CAPVT SECVNDVM.

De Scientia, Demonſtratione, & Principiis.

SVMMA CAPITIS.

SCOPVS & finis huius capitis eſt, in generali deſcribere ea, ex quibus demonſtratio conficitur, & in quæ reſolvenda ſit. Et quoniam demonſtratio ad ſcientiam dirigitur tanquam ad ſuum effectum, ideo in prima capitis parte ſcientiam definit, in ſecunda duas demonſtrationis de-

finitiones ostendit, in tertia & postrema parte differit de principiis, & explicat quid, & quotuplex sit, & concludit principia debere esse notiora conclusione.

ENODATVR CAPVT.

Scire autem arbitramur, &c. Describit in limine Philosophus ipsum scire, nempe scire est rei cognoscere causam perquam est, & quod illius est causa, & quod non potest aliter se habere. Hanc definitionem optimam esse suadet ex cõmuni omnium consensu. Nam omnes, qui vere sciunt, tunc se scire autumant, quando causam per quã est, noscunt, & taliter eius causam esse, ut aliter se habere nequeat. Deducit Philosophus ex præfata definitione, rem, de qua habetur scientia ita esse certam, ut aliter se habere non possit. Præterea, quia quis insurgere posset, dicendo dari scientiam, quæ per causam minime habetur, præmonet se postea ostensurum, num detur alter sciendi modus præter scire à priori.

Demonstrationem autem, &c. In secunda capitis parte adducit duas demonstrationis definitiones: quarum prima est à fine: Demonstratio est ratiocinatio generans scientiam. Altera vero à materia ex qua conflatur, scilicet Demonstratio est ratiocinatio constans ex præmissis veris, primis, seu immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis. Singulas particulas harum definitionũ enodavimus libro ultimo, sectione ultima Synopsis.

Quod autem supra, &c. In tertia parte sermonẽ instituit de principiis, & docet primum principium esse propositionem medio vacantem, seu carentem medio per quod probetur. Deinde secat principium in dignitatem, & positionem. Dignitas est principiũ per se notum fere in omnibus facultatibus, ut totum est maius sua parte. Quodlibet vel est, vel non est, &c. Positio vero est principiũ indemonstrabile per aliud; quod tamen non est adeò notũ in omni facultate, & hoc est duplex; aliud vocatur hypothesis, seu suppositio, in quo scilicet statuitur aliquid esse, vel non esse; aliud est definitio, per quam explicatur quid sit res; & in hoc principio effertur definitio de definito: ut Omnis homo est animal rationale. Deducit ergo Philosophus demonstrationem conflari ex his principiis, atque adeo principia magis cognosci quam conclusionem, & dat rationẽ: quia propter quod unumquodque est tale, illud est magis, sed conclusio cognoscitur à nobis per principia, ergo principia debent esse magis nota. Monet postremo omnia, aut saltem aliqua principia esse notiora & certiora conclusione, quod ideo dicit, nam cũ ex principiis quædam sine discursu agnoscantur ex sola terminorum apprehensione, alia per discursum demonstrando illa per alia principia, si hæc nõ sunt certiora conclusione, saltem priora erunt.

CA-

CAPVT TERTIVM.

In quo duo Philosophorum errores evelluntur.

SVNT autem, quibus, &c. In prima huiꝰ capitis parte Aristoteles proponit duos Philosophorum errores procedẽtes ex his, quę dixerat in ultima parte capitis, nempe principia sciẽda esse, si per ea cõclusiones sunt sciendæ. Primus error erat eorum, autumantium nullam cognitionem esse perfectiorem conclusione demonstrata; & consequenter dicebant omnia scientiarum principia esse demõstranda per alia principia, atque adeo nullam dari scientiam, quia oporteret infinita principia cognoscere. Secundus error erat eorum, qui arbitrabantur scientiam esse posse probando conclusionem per principia, & rursus principia per conclusionem, cõmittendo circulum, ut probando hominem esse discursivum, quia rationalis, & esse rationalem, quia discursivus.

Et hoc igitur sit dictum, &c. In secunda parte primo ostendit non omnem cognitionem certam & evidentem debere esse discursivam, & ita non omnia, quæ noscuntur, debere cognosci per demonstrationem, & consequenter non dari sciẽtiam de omnibus rebus, quia tametsi aliqua principia possint per alia priora probari, non tamen omnia, quia deveniendũ est ad aliqua principia omnino prima, & immediata, ita per se manifesta, & nota, ut sine ulla demonstratione possint cognosci clare, & cerce ex sola terminorum cognitione, à quibus incipiat discursus & scientia. Quare docet Philosophus præter habitum scientiæ statuendum esse intelligentiæ habitum circa prima principia.

Circulo autem, quod impossibile sit, &c. Secundo triplici argumento suadet, nõ posse dari sciẽtiam de omnibus rebus per demonstrationem circularem. Primum est, quia principia per quę conclusio probatur, debent esse notiora conclusione, sed idem non potest esse notius & ignotius seipso, ergo principia nequeunt probari per conclusionẽ, alioquin idem in ordine ad idẽ esset notius & ignotius, quod est absurdum. Secundum, quia inde fieret idem esse causam, & effectum respectu eiusdem, nam principia sunt causa conclusionis, & essent effectus eiusdem, si per illam probarẽtur. Tertium, quia tametsi in terminis reciprocis connexionem necessariã habentibus fieri possit iste modus probandi principia per conclusionem, non tamen in terminis inæqualibus, ut est manifestum, ergo nõ datur scientia de omnibus rebus per demonstrationem circularem. Ex dictis liquet ad primam sententiam dicendum esse, ad prima principia non cognita per scientiam, sed per habitum intelligentiæ esse

deveniendum; ad secundam vero tametsi circularis demonstratio queat fieri in terminis reciprocis, cum tamen omnes termini non reciprocentur, ut liquet de superiori & inferiori, nequire fieri de omnibus rebus demõstrationem circularem.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Principiis demonstrationis.

IAM magis accedimus ad scopum, principia intentamus, illorum rationem inquirimus, ut illa nos ducat ad rem principiatam, quæ demõstratio est, ut cognita causa minus difficile effectum comperiamus.

DVBIVM I.

An, & quomodo Præmissæ sint causa conclusionis.

MOneo primo, duplicem esse præmissam, & conclusionem; unam formalem, & alteram obiectivam, utramque iam notam ex sæpius inculcatis.

Moneo secundo, duplicem esse causam formalem, unam intrinsecam, & aliam extrinsecã; illa est, quæ dat esse intrinsece constituendo, sicut anima rationalis respectu hominis, quem componit; Altera, quæ dat esse alteri extrinsece tanquam ratio formalis specificans aliud, quod ad se tendit; sic visibilitas est extrinseca causa formalis potẽtiæ visivæ, quia ab ea capit suã speciem, & distinctionem.

Moneo tertio. Difficultatem non procedere de principiis obiectivis respectu cõclusionis obiectivæ, nam sic certum est non semper esse causam cõclusionis, ut claret in omnibus demõstrationibus à posteriori, & in illis à priori, in quibus cõclusio obiectiva nõ differt realiter à prœmissis obiectivis: v. g. quando probamus Deum esse æternum, quia est immutabilis, & Petrum esse hominem, quia est animal rationale.

Dico primo. Præmissæ obiectivę sunt causa formalis extrinseca conclusionis formalis. Probatur, nam ratio movens intellectum, ut feratur in assensum conclusionis, sunt præmissæ obiectivæ cognitæ, in quibus continetur identitas extremorũ cum medio, ergo sunt causa formalis assensus conclusionis.

Dico secundo. Præmissæ formales sunt causa efficiens physica conclusionis formalis. Probatur primo ex Aristotele passim dicente, principia esse causas cõclusionis, & ita esse præstantiora, certiora, & evidentiora conclusione: quod suadet axiomate illo, Propter quod unumquodque est tale, & illud est magis tale: quod sine dubio continet rationem causæ efficientis unius in aliud.

Probatur secundo ratione sicut

Ita Gabriel q. 8. disp. 2. Molina 1. p. q. 1. Toletus 1. Post. rex. 1 notatione 3. Conim. ibi dẽ c. 1. q. 1. ar. 2. Rubius hic q. 1 & 5 N. ster Blãch disp. 1. de argumentatione sect. 3 co tra Durãdũ

in 1. dist. 14 q. 1. Hurta. d. Anima, disp. 7. sect. 8. & alios.

cut se habet actus intentionis finis in voluntate respectu actus electionis mediorum, ita se habet actus præmissarum in intellectu respectu actus conclusionis: nam sicut voluntas movetur ex actu intentionis finis ad eligenda media, ita intellectus movetur ex actu præmissarum ad actum conclusionis, sed intentio finis in voluntate est causa efficiens electionis mediorum, ergo assensus principiorum in intellectu erit causa efficiens assensus conclusionis.

Tertio Præmissæ formales cõtinent virtute actum conclusionis, ergo ad illum efficienter concurrunt. Consequentia est optima, nam ideo principia formalia efficienter producunt habitum intelligentiç, quia ipsum virtute continent. Antecedens ostenditur, nam præmissæ formales communicant conclusioni suam certitudinem & evidẽtiam, aut incertitudinem & obscuritatem.

Quarto. Nam species intelligibilis concurrit efficienter simul cum intellectu ad actũ cognitionis, ergo assensus principiorum concurrit simul cum intellectu efficienter ad actum cõclusionis. Probatur consequentia, quia sicut intellectus absque specie intelligibili est insufficiens principium, & non habet completam virtutem activam ad intelligendum, ita similiter sine cognitione principiorum est insufficiens principium, & non habet virtutem completam respectu conclusionis, ergo sicut species intelligibilis efficienter cõcurrit ad actum cognitionis, ita assensus principiorum ad assensum conclusionis.

Quinto. Quia intellectus simul cum specie impressa habet sufficientem virtutem ad producendum actum sine habitu, & tamen hoc non obstante, si adsit habitus concurrit efficienter, ergo licet daremus intellectum cum speciebus sufficientem esse ad conclusionem, ex hoc tamen non sequeretur principia nõ cõcurrere efficienter quando adsunt.

Oppones primo, Aristoteles contradistinguit principiũ cognitionis à principio effectionis, nã principiũ ita definit: Est unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur, atqui præmissæ sunt principium cognitionis ad conclusionem, ergo nõ effectionis. Respondeo principium cognitionis vocasse nõ cognitionem ipsam, sed obiectum, unde incipit cognitio, & movetur ad aliud intelligendum, sicut etiam terminus unde incipit localis motus, dicitur principium motus, quare nihil contra nos efficit.

Oppones secundo. Præmissæ solum determinant intellectum in genere causæ formalis repræsentãdo obiectum formale propter quod debeat assentiri conclusioni, ergo nõ in genere causæ efficientis, nam tota illarum causalitas in primo genere continetur. Nego antecedens, nam præmissæ formales quamuis repræsentent causam formalem extrinsecam conclusionis non tamen ipsç sunt causa formalis, sed effectiva illius; & tametsi essent causa formalis extrinseca, non tamen id obstaret concursui effectivo, nam substantia Angeli est causa formalis suç cognitionis, & simul effectiva in communi Theologorum sententia,

tia, nam Angelus non habet speciem intelligibilem suę substãtiæ, quia cum sit intima illi, potest intellectum immediate, & effectiue ad sui cognitionem determinare.

Oppones tertio. Licet actus intellectus requiratur ad actum voluntatis, non concurrit effectiue, sed solum repræsentando obiectum, ergo idem de præmissis sentiẽdum. Respondeo, Actus illos pertinere ad diuersas potẽtias, quę habent longe diuersam rationem tendendi in suum obiectum, ut alibi ostendetur; at præmissas, & conclusionem esse actus eiusdem potentiæ intellectiuæ, & ideo illas in hanc posse influere. Accedit quod satis probabiliter docet Molina, actus intellectus concurrere effectiue ad volitionem.

Dico tertio. Præmissæ formales sunt causa efficiens principalis conclusionis formalis. Probatur. Assensus prę̃missarum perfectior est assensu conclusionis, quia perfectior est cognitio, quæ habetur ex terminis, quam illa, quæ habetur per discursum. Ex eo enim quod Angelica cognitio habeatur ex terminis, nostra vero per discursum, colligimus illam perfectiorem esse nostra, ergo &c. Confirmatur, quia præmissæ habent pro obiecto verum propter se, & cõclusio verum propter aliud, scilicet propter prę̃missas, sed perfectius est verum propter se, quam verum propter aliud; sicut in voluntate perfectius est bonum propter se, quod est bonum intentionis, quam bonum propter aliud, quod est bonum electionis, ergo cum præmissæ habeãt perfectius obiectum formale quam cõclusio, erunt perfectiores conclusione, & consequẽter principalis illius causa. Nihilominus aliquando prę̃missæ dicuntur instrumenta intellectus in quantum illi subduntur in operãdo, ut principio magis principali: quo pacto etiam ipse intellectus dici solet instrumentum animæ tanquam principalis causæ cui subordinatur in operando, cum tamen intellectus simpliciter sit vera principalis causa intellectionis.

Collige ex dictis apprehensiones terminorum Propositionis concurrere effectiue ad actum iudicij, nam sicut præmissæ formales repræsentant idemptitatem extremorum cum uno tertio, ex qua movetur intellectus ad actum conclusionis, ita illæ apprehensiones repręsentant immediate conuenientiam terminorum inter se, ex qua intellectus ad iudicium ducitur, ergo debet effectiue ad iudicium concurrere sicut præmissæ ad conclusionem.

DVBIVM II.

Num cõclusio exigat actualem præmissarum exsistentiam.

AVtumo primo. Conclusio efflagitat prę̃missas exsistẽtes ut primo producatur, & exsistat. Probatur, quia effectus requirit saltem ut primo producatur, & exsistat suæ causæ exsistentiam, nam causa actu non exsistens nequit physice aliquid producere, sed conclusio est effectus præmissarum, ut ostensum, *Ita Hurtad. disp. 7. de Anima sect. 7.*

tensum, ergo exigit præmissas actu existentes.

Secundo. Actus conclusionis est assensus obiecti propter præmissas obiectivas, tanquam propter rationem formalem, ut nemo inficiatur: sed ista ratio motiva & formalis proponitur per assensus præmissarum, ergo requirit illos existentes actu. Probatur consequentia, quia assensus conclusionis dependet actu ab obiecto formali, quod per præmissarum assensus applicatur.

Tertio, sicut voluntas fertur in suum obiectū propter rationem boni, ita assentitur intellectus conclusioni obiective propter rationem formalem præmissarum, sed actus voluntatis necessario efflagitat actum cognitionis proponentem sibi obiectum suum secundum rationem boni, ergo intellectus necessario requirit actus præmissarum proponentes sibi actu rationem formalem assentiendi cōclusioni obiective.

Ita Hurtad. supra. Autumo secundo. Conclusio semel producta pendet similiter ab utraque præmissa existenti ut conservetur. Sequitur ex dicto præcedenti, præsertim ex ultima illius ratione, etenim actus voluntatis semel elicitus pendet omnino ab intellectione existente, quæ applicat rationē formalem amandi, ergo & actus cōclusionis semel productus pēdebit etiam omnino ut actu conservetur ab actu utriusque præmissæ, cum etiam applicet rationem formalem. Vnde manifeste infertur non solum maioris, aut minoris, ut alij qui voluere, requiri existētiam, sed utriusque simul, quia neutra solum applicet obiectum formale adequatū conclusioni, sed utraque simul, sed occurrēdum est triplici sententiæ obviæ.

Prima sentētia obvia. Conclusionem non petere ut præmissæ existant in eodem instanti, in quo ipsa est, sed ut immediate antea extiterint. Suadent, quia dispositiones præviæ essentialiter concurrūt ad generationem viventis sicut præmissę ad productionem conclusionis, sed sat est ut illæ precesserint immediate ante instans generationis viventis, ergo & istæ similiter satis erit si existant immediate ante actum conclusionis. Falsa sententia, falsoque innixa fundamento: quia cum dispositiones ad generationem viventis physice concurrant, opus est in ipso instanti generationis existant, alias quomodo tunc physice influēt, si non sunt? Et idem est de præmissis sentiendum, cū non tantum sint causa effectrix conclusionis, sed etiam applicēt rationem formalem sub qua illius, ut fiet perspicuum ex infra dicendis.

Secunda sententia obvia est Conimbricentium, quæ censet postquam semel elicita est conclusio, non requiri præmissarum existentiam, vel ut iterum eliciatur, vel ut conservetur. Videtur enim ad id sufficere sola recordatio præmissarum, quas antea habuit intellectus. Primo, quia per principia multo ante cognita sæpe assentimur conclusioni. Secundo, quia non est tanta vis nostri intellectus, ut simul tot obiectis possit attendere. Tertio, quia sufficere videtur recordatio illa, cum sufficienter applicet principia ut ratio for-

cap. 1. lib. 1. Posteriorum quæst. 3. art. 3.

malis conclusionis, ergo illa sine actuali exsistentia præmissarum satis erit ut denuo eliciatur conclusio. Negandum tamen est, nos unquam per principia non actu cognita assentiri, & tam angustam esse vim nostri intellectus, ut nequeat ad illa simul obiecta attendere, & tã amplam esse vim illius recordationis, ut applicet principia sufficienter ad eliciendam conclusionem: quare displicet omnino ista sententia. Nam vel ista recordatio est principiorũ in particulari, ita ut intellectus cognoscat se habuisse principia & actu illa cognoscat, & sic iam non est recordatio solum, sed actualis cognitio principiorum determinantium intellectum ad assensum conclusionis; vel est recordatio illorum in confuso, ita ut solum meminerit se habuisse principia, & non eorum obiecta cognoscat, & sic non applicat medium proprium, nec peculiarem rationem formalẽ, à qua pendet conclusio primo elicita, quod si aliqua eliciatur, erit specie diversa.

Tertia sententia est aliorum, quos suppresso nomine refert Hurtadus supra, exsistimãtium opus esse, ut vel principia actu exsistant in intellectu, vel aliquid ex ipsis relictum, nempe habitus. Sed reiicienda. Primo, quia habitus principiorum solum concurrunt saltem per se ad similes actus iis quibus geniti fuerunt, conclusio autem diversa est specie ab assensu præmissarum. Secundo, quia quod potest efficere potentia cum habitu naturali, potest etiam sine illo, quia eius concursus non est simpliciter necessarius ad actum eliciendum, atqui sine præmissa cum habitu illo, ut isti volunt, potest intellectus producere actum conclusionis, ergo & sine præmissa, & habitu. Tertio, quia præmissæ ideo præcipue requiruntur simpliciter ad conclusionem, quia repræsentant rationẽ formalem illius, sed habitus nõ est repræsentatio illius rationis formalis, ergo nequit explere munus præmissarum.

DVBIVM III.

Num simul tempore cognoscantur principia, & conclusio.

PRimo certum est, ut certa prius statuantur, principia cognosci prius natura conclusione: nam omnis causa est prior natura suo effectu. Secundo, quamcunque præmissam sigillatim secundum se posse cognosci prius tempore conclusione, quia una præmissa non est causa efficiẽs conclusionis. Tertio, utramque præmissam simul posse considerari secundum se, non considerando ordinem, quẽ dicunt ad conclusionem; nec cõnexionem, quam conclusio cum eis habet, quo pacto agnosci queunt prius tempore, quia ut intellectus assentiatur cõclusioni, non sat est cognoscat principia, nisi cognoscat illa ut applicata, & ut connexa cum conclusione. Difficultas igitur est, nũquando intellectus cognoscit principia ut connexa cum conclusione, & adsunt cætera requisita ad inferẽdam conclusionem in eodem instanti, & duratione reali

reali cognoscat conclusionem.

Assertio est affirmativa. Suadetur, quia omnis causa naturalis, positis omnibus requisitis ad operandum, in eodem instanti elicit actum, sed intellectus est causa naturalis conclusionis certæ & evidentis, non secus ac sensus, v.g. visus, &c. ergo posita utraque præmissa & cæteris necessariis, in eodem instanti eliciet cõclusionem, sicut omnis causa naturalis proprium effectum. Hinc collige intellectum in eodem instanti reali posse assentiri maiori, minori, & conclusioni. Vnde quando Aristoteles docet maiorem prius tempore cognosci conclusione, solum vult cognitionem maioris sæpe prius tempore incipere, sed non necessario. Necessarium autem est, ut in eo instanti in quo intellectus assentitur conclusioni, perseverent etiam assensus maioris & minoris.

Oppones primo. Numerus actuum, quos simul elicere potest intellectus, est finitus, & limitatus, ergo poterit tot actus elicere, ut adveniente minore expleatur numerus, ergo tunc nõ eliciet conclusionẽ. Respondeo, in eo eventu cessaturum intellectum ab aliquo ex aliis actibus non necessariis, si quis esset, sin minus non eliciturũ conclusionem, quia deest vis intellectiva, quæ est omnino necessaria. Dictum vero nostrum positis omnibus necessariis productum iri affirmat.

Oppones secundo. Si intellectus simul tempore cognosceret maiorem, minorem, & conclusionem, sequeretur dari duo accidentia eiusdem speciei in eodem intellectu, quod potentiæ naturali repugnat, ut communia docet Philosophia. Sequelæ fidem facit hic syllogismus: Homo est rationalis, Petrus est homo, ergo Petrus est rationalis: in quo semel concipitur Petrus in minori, & iterum in conclusione. Respondeo primo, duo accidentia eiusdẽ speciei esse posse in eodem subiecto, dummodo dicant ordinem ad extrinsecũ: talia sunt conceptus, qui essentialiter habent ordinem ad obiectum extrinsecum. Secundo responderi potest, nõ esse opus ut in isto syllogismo Petri conceptus geminetur, nam idẽmet Petri conceptus potest in minori, & conclusione pro subiecto servire diversimode applicatus.

Oppones tertio. Nequit intellectus habere simul duo iudicia contraria de eodem obiecto, sed potest in eodem instanti, in quo assentitur minori, retinere iudicium erroneum assensui conclusionis contrarium, ergo non poterit simul cum minori producere conclusionis assensum. Minor probatur, nam si iudicanti terrã non esse rotundam, id demonstres prius, iudicabit maiorem, & minorẽ veras esse, quam deponat iudicium erroneum, ergo simul cum assensu minoris retinet iudicium assensui conclusionis contrarium. Negatur minor: nam in eodẽ instanti in quo intellectus præbet assensum minori, posita advertentia de necessitate illationis, nequit habere iudicium conclusioni cõtrarium, nequit enim iudicare duo esse eadem uni tertio, & esse diversa inter se. Quare in instanti in quo eliciet minorem demõstrationis, abiiciet erroneum illud iudicium, & iudicabit veram

conclusionem, & primum esse assensus conclusionis erit primum non esse contrarii erroris. Vel certe si tenacissimus est erronei iudicii, non poterit de minori iudicium ferre.

DVBIVM IIII.

Necessitas assentiendi conclusioni.

Dictum est, intellectū, posita utraque præmissa, si suæ naturæ relinquatur, necessario in actum cōclusionis prodire. Nunc controversia est, an ita necessario positis præmissis erumpat conclusio, ut neque à voluntate, neque à Deo possit impediri.

Duplex est necessitas: una quoad speciē, altera quoad exercitium. Necessitas quoad speciem, est quando potētia actum elicitura cogitur ad eliciendum actum alicuius determinatę speciei, vel generis: ita ut nequeat contrarium elicere. Sic voluntas determinatur ad bonum in communi, circa quod si velit actum elicere, necessario eliciet amorem. Necessitas quoad exercitiū est, quando potentia determinatur necessario ad actum huius, vel illius speciei exequendum, ita ut nequeat eū suspēdere. Sic oculus posita albedine, & omnibus requisitis, cogitur hic & nunc elicere albedinis visionē. Difficultas procedit quando intellectus est omnino expeditus, & apprehendit necessitatem illationis: si enim non apprehendat consequens necessario colligi ex præmissis poterit voluntas tametsi assentiatur conclusioni, illum retardare.

Iudico primo. Intellectus posito assensu utriusque præmissæ, & requisitis cogitur ad actum conclusionis quoad speciem, ita ut nec divina virtute contrarium actum elicere queat. Suadetur primo, quia intellectus dissentiri nequit obiecto proposito evidenter vero, sed ita præmissæ proponūt conclusionem, ut supponimus, ergo &c. Confirmatur. Voluntas nequit odisse bonum ut sic, ergo neque intellectus dissentiri vero.

Secundo. Intellectus in præmissis cognoscit evidenter duo extrema esse idem uni tertio, & advertit ut supponimus, consequenter esse idem inter se propter illud principium, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt idem inter se, ergo postea nequit negare dissensu idemptitatem illorū inter se. Probatur consequentia: nam cogeretur admittere duas contradictorias simul: etenim ex una parte dissensu negaret esse idem, & ex alia parte dum cōcedit in præmissis esse idem cū uno tertio, inde sequitur evidēter esse idem inter se, ergo admittere cogeretur esse idem, & non esse idem inter se, quæ est manifesta contradictio.

Quod vero nec divinitus possit, probatur: tum quia unus actus contradictorius de obiecto evidenti, destruit alteri obiectum, & repugnat cum illo in eodem subiecto: tum etiam quia nequit Deus esse autor falsi actus, foret autem si intellectum ad dissensum conclusionis demonstrativæ, quæ evidenter est vera, traheret.

Difficultas est, an in prædicto casu ita necessitetur intellectus quoad

quoad exercitium ad assensum conclusionis, ut à volùtate nequeat cohiberi. Posse enim à Deo impediri, non est dubium: nam intellectus adhuc positis præmissis, & omnibus necessariis in actu primo ad operádum, ut exúpat in assensum conclusionis, eget influxu Dei, quem ipse cum possit negare, poterit etiam, & assensum impedire.

Contra Ruvium, Mar cia, & alios tenent Conim. Scotus, Caietan. Lorca, Didacus à Iesu, quos citat & sequitur noster Blách disp. 1 de argumen. sect 4. Item Fonseca 6. Meta. c. 1. q. 4. sectio. 4. Hurta. disp. 7. de anima sect. 4. §. 17 qui pro se adducit D. Th. variis in locis.

Iudico secundo. Nequit, positis necessariis ad operádum, intellectus voluntatis imperio ab exercitio assensus conclusionis impediri. Demonstratur primo. Voluntas non potest non amare obiectum, quod ei proponitur omni ex parte bonum, ergo neque intellectus poterit non assentiri obiecto proposito evidenter vero. Consequétia patet: Sicut obiectum omni ex parte bonum nihil habet malitiæ, ita neque obiectum evidenter verũ falsitatis.

Secundo. Voluntas posita efficaci voluntate finis est determinata ad electionem unici medii, & necessarii, ergo & intellectus positis principiis est determinatus ad conclusionem. Patet consequentia ex Aristotele secundo Physi. textu 89. asserente, sicut se habet finis in praxi, ita principium in theorica. Antecedens est sententétia communis Theologorum. Si respondeas intentionem finis non necessitare ad electionem formalem medii, sed ad eius executionem, cum qua habet necessariam connexionẽ, sequitur saltem ex ea doctrina cum executio medii sit aliquis actus internus voluntatis, quatenus est dispositio ad gratiam, necessitari voluntatem ad illum actum ex efficaci finis volitione, ergo idem erit in intellectu.

Suarez disp. 19. Met. sec. 6. n. 14 Vasquez 1. 1. disput. 43. ca. 3. Salas 1. 2. tract. 6. disp 1 sect. 5 Ruvius 1. Pos. c. 1. q. 8. Conimb. hic lib.

1. ca. 1. q. 4. art. 4.

Tertio. Nequit voluntas efficere ut intellectus agens præsente phantasmate nõ concurrat cũ eo ad productionem speciei intelligibilis, ergo nec poterit efficere, ut proposita conclusione evidenter vera, intellectus illi non assentiatur; cur enim intellectus, qui æqualiter est potẽtia ad intelligendum, & ad producendum species, obediet voluntati circa unum, & non circa aliud?

Vltimo. Sicut visus est potentia naturalis tendens in coloratum, ita intellectus est potentia tendens in verum; sed voluntas non potest efficere ut visus apertis oculis, & præsente colorato non videat illud: ergo nec poterit efficere ut intellectus, cognitis principiis cum omnibus requisitis, non assentiatur conclusioni.

Dices primo. Intellectus est potentia rationalis subdita voluntati, ergo ad eius nutum cessabit ab actu. Respondeo intellectum esse potẽtiam rationalem, quia est immediatum principiũ movens voluntatem iuxta regulas rationis, & subditur voluntati in applicatione; tum etiam, quia indirectè illum divertere potest voluntas; tum denique, quia in actibus probabilibus, & in obscuris, v. g. fidei, determinatur à voluntate, quia non rapitur ab obiecto.

Dices secundo. Voluntas non necessitatur ad amandum aliquod bonum creatum; ergo neque intellectus ad assentiendum vero creato. Respondeo etiam voluntatem determinari ad aliquod bonum creatum, scilicet electionem unici medij necessa-

rij, ut dixi, non quidem absolute, sed posito alio actu, scilicet efficaci intētione finis: deinceps dato antecedente neganda consequentia, quia voluntas est formaliter libera, ideoque magis propriorum actuū domina quā aliorum. Addo bonitatem non esse æqualem in omnibus obiectis, ideoque voluntas non determinatur à quacunque bonitate: at veritas æqualis est in quocunque obiecto, cum sistat in indivisibili, ut ostendam infra; vnde si ea evidenter proponatur, in quolibet obiecto determinabitur.

Dices tertio. Voluntas nō potest impedire assensum circa cōclusionem, ergo neque continuationem talis assensus, & ita non poterit efficere, ut intellectus cesset à cognitione conclusionis, cuius contrarium experimur. Respondeo verum esse perseverantibus eisdem causis, & debita applicatione, nequire intellectum cessare ab assensu conclusionis ex imperio voluntatis, tametsi absolute loquendo, possit voluntas continuationem assensus conclusionis cohibere, tollēdo applicationem intellectus, & applicando eum ad alia obiecta.

Dices quarto. Posita efficaci intentione finis voluntas est libera ad electionem mediorum, ergo etiam positis principijs evidentibus adhuc poterit intellectus ex imperio voluntatis cōclusionem non elicere. Respondeo primo, dato antecedente, negando consequentiam: quia voluntas est potentia formaliter libera, ideoq; magis domina suorum actuum, quam intellectus qui est potentia naturalis. Respondeo secundo, negando antecedens, iuxta dicta in probatione secundi dicti. Quod si vrgeas electionem mediorum esse meritoriam, ergo liberam: tum etiā efficacem finis intentionem, solum habere connexionem cum executione mediorum, non vero cum formali electione mediorū. Occurro, ut electio mediorum meritoria sit, sat esse ut voluntas absolute cessare possit ab intētione finis, sicque potest absolute non elicere actum circa medium. Ad aliam rationem dico, intentionem finis habere cōnexionem cum electione formali mediorum, tametsi enim intentio finis sit virtualis volitio medij, tamen voluntas ut humano modo, & magis connaturali potentiam executivam applicet, ad executionem medij velle debet medium ut sic.

Dices quinto. Si intellectus necessitetur quoad exercitium sicut oculus ad visionem, non egeret habitu, ergo non necessitatur. Nego antecedens: potest enim mens amplius inclinari, ut suo loco.

Dices sexto. Positis præmissis, non magis cogitur intellectus ad cōclusionem directam quam ad indirectam, quo modo ergo determinatur? Respondet Hurtadus intellectum utramque elicere conclusionem si utrique attendat, sin minus eam quam videt evidentem. Quod si utramque simul nō possit, eliciet eam, cuius species fuerit efficacior, communiter autem clarius proponi conclusionem directam: si vero species, propositio, & attentio utriusque illationis æqualis fuerit, intellectus vero ad utrāque impotens, determinabitur à causa

causa prima, vel à voluntate, tũc enim cum non rapiatur ab obiecto, poterit à voluntate determinari.

Quæres, An si intellectus assentiatur principiis probabilibus, ex quibus videt evidenter inferri conclusionẽ, necessitetur ad assensum conclusionis, ita ut non possit à voluntate cohiberi. Respondeo necessitari ad assentiendum conclusioni probabiliter. Et ratio est, quia sicut assensus principiorum evidentium sunt causa naturalis conclusionis evidentis, ita assensus principiorum probabilium sunt causa naturalis conclusionis probabilis, cuius illationis vis & bonitas evidẽter apparet; ergo sicut ex assensibus principiorum evidentium necessitatur circa conclusionem evidentem, ita ex assensibus probabilibus necessitabitur circa conclusionem probabilem: ut in hoc syllogismo, Omnis mater diligit filium suum, sed hæc est mater, ergo hæc diligit filium suum. Si assentiatur quis maiori & minori, & advertat conclusionem evidenter sequi, ut revera sequitur, non poterit non assentiri cõclusioni. Dixi, quando advertit intellectus evidenter conclusionem inferri; nam si iudicet conclusionem probabiliter tantum sequi, tũc bene poterit ex imperio voluntatis illi non assentiri, quia tunc non proponitur cõclusio evidenter ut obiectum verum, nec evidenter & necessario connexum cum præmissis, ergo poterit impedire talem actum, quia obiectum illius non est satis applicatum.

Dices, intellectus non necessitatur ad aliquem actum, nisi illum convincat evidentia obiecti, sed conclusio probabilis nõ habet evidentiam, ergo ad illam nõ necessitatur intellectus. Respondeo, non semper requiri evidentiam obiecti, ut intellectus necessitetur ad actum, sed sufficere evidentem connexionem cum alio præsuppositio, quam habet conclusio probabilis cum præmissis probabilibus cognitis & concessis.

DVBIVM V.

Quid sit propositio per se nota.

VT valeamus decernere an demõstratio principia per se nota efflagitet, eluc idã dum prius est, quid sit propositio per se nota, ea autem vocitari solet propositio per se nota, vel immediata, aut prima, quæ caret medio quo demonstretur, quod qua ratione intelligẽdum sit, ex infra dicendis constabit.

Assero primo. Necessario concedendæ sunt propositiones per se notæ. Suadetur, nam ut conclusio scientifica, certa, & evidens deducatur, debent antecedere præmissæ certæ, & evidentes, sed istæ non habent evidẽtiam, & certitudinem ex cõclusione, cum potius ei tribuant, ergo erunt illæ per se notæ, & evidentes. Nec dicas istas esse notas, & evidentes, quia resolvuntur in alia principia, ideoque propriè non esse per se notas, nam de his quæram an sint propositiones, & principia per se nota; si non, resolvenda erunt in alia principia, quousque deveniatur ad certum, & per se notũ, quod

neces-

necessario est admittendum, ne è medio tollamus notitiam certam & evidentem.

Assero secũdo. Propositio per se nota est illa, cuius obiectum ex terminis sufficienter dignoscitur: v.g. Omne totum est maius sua parte, si enim penetretur quid totũ, quidque pars sit, noscetur ex ipsis terminis propositio obiectiva.

Oppones. Nulla est propositio, quæ per alia principia demonstrari nequeat, vel à posteriori per effectũ, vel à priori per causam physicam, aut metaphysicam, vel efficientem, aut finalẽ; ergo nulla erit propositio per se nota. Transeat antecedens, & nego consequentiam, nam ut aliqua propositio sit per se nota, sufficit ut ex penetratione terminorum innotescat, & per se illi mens assentiatur, nec enim requiritur ut careat medio, quo demonstretur, sed ut non indigeat illo.

Vnde hic observandũ est, eandem propositionẽ esse posse per se notam, & notam per aliud in diverso genere demõstrationũ: nam à priori, homo est animal rationale, est propositio immediata, & per se nota, at à posteriori potest esse eadem nota per aliud, id est per effectus, qui quidem in demonstratione à posteriori sunt per se noti, & per aliud à priori. Et ratio est, quia res nos intelligim⁹ discurrẽdo nunc à causa ad effectum, nunc ad causam ab effectu.

Absolute tamen illa propositio vocari solet per se nota, quãdo in uno genere causæ est indemonstrabilis à priori, tametsi in alio demonstretur: ut homo est animal rationale, est principiũ simpliciter per se notum, quia nullam habet causam intrinsecam per quam demonstretur, tametsi probari possit per causam extrinsecam, scilicet finalem.

Propositionem per se notam divisit D. Thomas, in per se notam secundum se, & per se notam quoad nos. Illam dicit per se notã secundum se, cuius prædicatum est de essentia subiecti, ut Homo est animal rationale, nam cum prædicatum immediate uniatur subiecto, apta est ut immediate, & sine aliquo medio noscatur. Illam vero per se notã quoad nos, quę sine medio à nobis cognoscitur in se, ut Homo est risibilis. Cõtra hanc divisionem Scotus, & Nominales acerrime pugnant; sed plane pugna est de nomine, ut notarunt pater Vasquez, & pater Molina. 1. *part. q. 2. art. 2.* *Vasquez 1. p. disp. 16. cap. 2. nu. 8. Meli. 1. p. q. 1. ar. 2. disp. 1. §. addebamus.*

Assero tertio. Minus propria est divisio propositionis per se notæ in secundum se, & quoad nos. Ita Hurtadus disp. 11. Logicæ, sect. 4. sequutus Molinam citatum. Probatur primo: nam propositio secũdum se, nec nota est, nec ignota, sed solum per ordinem ad intellectum cognoscentem, ergo omnes erũt per se notæ quoad nos. Secundo: quia hic agimus de propositionibus humanis, quæ serviunt ei demonstrationi, quam intellectus humanus efformat, cui nihil prodest obiectum secundum se, vel ab Angelis, & beatis esse cognoscibile, sed ut à nobis viatoribus cognosci potest. Vnde hęc propositio absolute nõ est per se nota: Deus est, quia à nobis viatoribus non cognoscitur immediate, & in se, sed per creaturas; é contra vero hæc alia; Creaturæ sunt, est absolutè per se nota, quia à nobis

bis in se cognoscitur, & sine alio medio.

Affero quarto. Propositio per se nota distribuitur primo in affirmantem, & negantem: sicut enim hæc est per se nota, Homo est animal rationale, ita hæc, Homo nō est lapis. Secundo, in veram, falsam, & probabilem. Dari autem propositionem probabilem per se notam, ostenditur primo. Illa est propositio certa per se nota, cui intellectus sine medio assentitur certo, ergo illa probabilis propositio, cui intellectus, licet non certo, tamen probabiliter, & sine medio assentitur, erit per se nota probabilis. Secundo. Conclusio evidēter probabilis nititur aliqua præmissa evidenter probabili, ergo vel hæc cognoscitur per se, vel per aliam: si primum, habetur intentum: si secundum, cū procedi nequeat in infinitum, sistendum erit in aliqua præmissa probabili per se nota. Secundo, cum quis non penetrat evidentem connexionem extremorum propositionis, non habet actum evidentem, ergo vel falsum, vel probabilem, atqui est ex terminis ipsis, ergo est propositio per se nota probabilis. Dari autem falsam propositionem per se notam, patet in eo, qui videns falsitatem huius propositionis, Homo non est animal, ex terminis eam profert. Tertio. Propositio per se nota, certa, & evidens, finditur in dignitatem, & positionem. Prima est principium universum facultatibus universis commune: ut quodlibet est, aut non est. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se. Posterior est principium alicuius particularis facultatis, quod tam est manifestum ex terminis, quam dignitas; talia sunt principia Logica.

DVBIVM VI.

An demōstratio exigat præmissas per se notas.

INter præmissas quædam censentur per se notæ formaliter, & primæ, quia non sunt aliç priores, quibus demonstrentur. Aliæ per se notæ virtualiter, quæ nituntur aliis præmissis formaliter primis & per se notis, ad quas possunt revocari.

Dico primo, neque demōstratio propter quid, neque quia, necessario efflagitat principia prima, & formaliter per se nota. Demonstratur primo ex Aristotele docente demonstrationem esse ex primis, aut ex his, quç ex primis fidem acceperunt. Secundo, quia potest acquiri certa cognitio rei per causam sine principiis omnium primis, & immediatis, ergo & sine illis dari demonstratio. Antecedens patet hoc exemplo: Omne admirativum est risibile, omnis homo est admirativus, ergo omnis homo est risibilis. Tertio, quia in scientiis particularibus vix ulla haberetur demonstratio, nam vix est in illis ullum principiū, quod non posit ad illa universalissima & communissima omnibus facultatibus revocari. *Hic t.15. & 1.Topic.c.1.*

Dico secundo. Exigit tamen demonstratio immediata & per se nota principia saltem virtualiter. Probatur, quia eius principia debēt causare certitudinem, & evidentiam, ergo debent esse

ita vera, ut eorum certitudo possit probari evidéter per alia prima, & ad illa revocari ut intellectus sit certus de ipsis, nisi iã forte ex terminis suis innotescant.

Dico tertio. Ad demonstrationem sufficit ut ex terminis principia penetrétur; neq. opus est ut per alia demonstrentur, tametsi habeant illa in alio genere: nam si principia evidenter pateant ex terminis ipsis obiectivis, erit notitia eorum certa & evidés, ergo poterit causare certam, & evidentem conclusionẽ; atqui ex principiis evidentibus & certis, & simili conclusione deducta ex illis constituitur vera demonstratio, ergo &c.

Nec dicas non esse notũ principium, si possit per aliud demõstrari, nam hæc propositio, Homo est rationalis, est per se nota ex terminis, nam penetrato homine, & rationali, utriusque cõnexio evidenter cognoscitur, & tamẽ probari potest per causam efficientem, & finalem, vel per definitionem physicam.

Dico quarto. Si principium ex ipsis terminis minime noscatur, debet reduci ad aliud principium per se notum ex terminis. Ratio est, quia alioquin non erit illius notitia certa, & evidens, nec causabit conclusionem certã & evidentem. Nam si velis ostendere cõclusionem istam, Omnis homo est risibilis, non satis erit hęc ratiocinatio, Omne admirativum est risibile, omnis homo est admirativus, ergo est risibilis; nam si illa propositio, Omnis homo est admirativus, ex terminis ipsis nõ innotescat, debet prius probari per definitionem subiecti hoc modo, Omne animal rationale est admirativum, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est admirativus.

Collige ex dictis, non esse necessarium ut principia demonstrationis resolvantur ad ea universalissima, Quodlibet est, vel non est, Impossibile est idem simul esse & non esse, sat enim est ea in quacunque demonstratione virtualiter includi: nam cum quis ad ostendendum hominem esse risibilem assumit hanc propositionem, Homo est animal rationale, satis est cognoscat hominem ita esse animal rationale, ut non possit esse simul animal ratione carens, & sic includitur illud principium communissimum in quacunque demonstratione, virtute, id est sub terminis particularibus, non vero formaliter, id est sub terminis illis communibus.

DVBIVM VII.

Num demonstrationis præmissæ veræ, certæ, & evidentes esse debeant.

VEritas actus, vt visum, cõsistit in adæquatione, & conformitate eius cum obiecto, ut scilicet taliter se habeat obiectum à parte rei, ut per actum repræsentatur.

Certitudo triplex est, obiectiva, subiectiva, & formalis. Obiectiva est immutabilitas obiecti cogniti, qualis cernitur in ista propositione obiectiva, Deus est. Subiectiva est firma adhęsio intellectus ipsi obiecto, non propter motivum infallibile, sed vel

vel à voluntate & passione motus, vel quia oppositas non callet rationes, vel alia de causa. Sic Mahometani, Iudęi, & Hęretici tenaciter suis erroribus affixi sunt. Formalis est cognitio firma, qua intellectus adhæret obiecto ex vi medij, aut motivi infallibilis penetrati. Hæc certitudo idem est realiter cum entitate cognitionis, nam sicut ipsa entitas realiter est talis repręsentatio talis obiecti, ita & omnino certa repræsentatio, quia non nisi ut certum illud repræsentat.

Evidętia est claritas, & perspicuitas cognitionis repræsentantis obiectum, quæ eo nomine donatur. Quia sicut oculus illuminatum obiectum visione clarissime perspicit, ita intellectus cognitio perspicua suum obiectum quasi videt, & perspicit luculenter. Vnde fit primo, ut evidentiam semper certitudo sequatur; non enim fieri potest ut intellectus clare obiectum percipiat, quin ei firmiter adhęrescat, imo quo maior est evidentia naturalis cognitionis, eo maior ipsius firmitas. Fit secundo, ut non semper evidentia certitudinem sequatur, ut in veritatibus fidei ostenditur, quę sunt certissimę, sed inevidentes. Fit tertio, ut evidentia nunquam sine veritate reperiatur, nam quod verũ non est, evidens esse non potest. Fit quarto, ut sicut certitudo nõ discrepat realiter ab entitate actus cognitionis, ita nec evidentia, quippe ipsissimus actus, qui est repræsentatio talis obiecti certa, est etiam & perspicua repræsentatio. Confirmari potest. Ipsissima visio ocularis per suam entitatem clare repræsentat obiectum visum, ergo & evidens cognitio intellectualis per se ipsam clare obiectum intellectum.

Positio prima. Præmissæ demonstrationis verę esse debent: id docuit Aristoteles, dum in definitione demõstrationis dixit, constare ex primis, veris, & certis: & hoc libro capite secundo vera inquit, esse oportet, quia fieri nequit, ut id quod non est, sciatur. Et probatur primo, quia conclusio esse debet vera, sed eius veritas pendet à præmissis veris, ergo debent esse verę. Secundo, quia si aliqua præmissa esset falsa, utin hoc syllogismo, Omnis lapis est substantia, sed omnis homo est lapis, ergo omnis homo est substantia. Hæc conclusio esset virtualiter falsa, ut supra attigi, quia saltem est virtualis approbatio identitatis lapidis cum homine & substantia, ergo &c.

Positio secunda. Principia demonstrationis certa esse debẽt. Probatur, nam conclusio est cognitio omnino certa, sed eius certitudo pendet à principiis, ergo certa esse debent. Minor probatur, nã ideo certo intellectus assentitur conclusioni, quia certo cognovit per actº principiorum identitatem medij cum extremis. Cõfirmatur, nam ideo conclusio probabilis est incerta, quia principia, quibus nititur, incerta sunt, ergo ut conclusio scientifica certa sit, opus erit, ut certis innitatur principiis.

Positio tertia. Demonstratio efflagitat necessario principia evidentia. Probatur, nam principia demonstrationis sunt necessario certa, igitur evidentia. Probatur consequentia, quia ac-

tus naturalis cognitionis, & qua hic loquimur, non habet unde hauriat certitudinem, nisi ex evidentia, qua luculenter perspicit obiectum sicut est, ideoque illi constanter adhæret, ergo &c.

DVBIVM VIII.

An præmissæ veriores, certiores, & evidētiores sint conclusione.

Sic D. Th. q. 2. de virtutibus art. 9 ad 1. Suar disp. 9. Met. sect. 8. n. 14. Vas quez 1. p disp. 104 c. 6. n. 26. Rubius hic quæs. 4. Blancbic d. s pu. 4. sect. 1. Hurta disp. 11. Logica, sect. 3.

Dico primo. Præmissæ non sunt veriores conclusione. Probatur. Veritas consistit in indivisibi, ergo non datur una alia maior, sicut nec punctū alio maius. Antecedens probatur, nam veritas est conformitas actus cum obiecto repræsentato, ut est in se, vel ergo actus repræsentans, conformatur cum obiecto, vel non; si cōformatur, est prorsus verus; si non, est omnino falsus, ergo consistit in indivisibili. Secundo. Aequalitas consistit in indivisibili, ergo & conformitas. Liquet consequentia. Conformitas enim, quæ est veritas, est quædam æqualitas actus cum obiecto in ratione repræsentationis & repræsentati.

Ita Aristoteles hoc loco, & cum eo cō muniter Autores.

Dico secundo. Præmissæ formales sunt certiores conclusione formali. Probatur primo. Actus intellectus eo habet minorē certitudinem, quo à pluribus dependet, sed actus conclusionis à pluribus pendet, quā actus præmissarum, ergo actus conclusionis minus est certus. Minor liquet. Maior probatur: Magis infallibilis est actus à nullo pendens, quam pendens ab aliquo, ergo actus eo habet minorem infallibilitatem, quo à pluribus pendet. Antecedens probatur. Actus pendens ab alio desinit esse infallibilis, & certus quocunque illorum à quo pendet desinente esse infallibilem, & certum, vel à parte rei, vel ex suppositione; atqui actus à nullo pēdens, non potest ex hoc capite desinere esse infallibilis; ergo maiorem infallibilitatem, & certitudinem habet actus à nullo pendens, quam pendens ab alio, ac per consequens quo actus pēdet à pluribus, eo est minus infallibilis, quia eius infallibilitas pendet ex aliis. Corroboratur, quia ens quo minus est dependens, eo est magis infallibile, & necessarium, sic maiorem necessitatem habet ens à se quam ens ab alio, ergo certitudo actus quo magis pendens erit ab alio, eo erit minus infallibilis & necessaria.

Secundo. Ideo voluntas magis amat, & propēdet in finem quā in media, quia illum amat propter se, ea in ordine ad illum; sed similiter intellectus assentitur præmissis propter se, cōclusioni propter illas; ergo magis inclinatur, & adhæret præmissis conclusione. Favet Aristoteles huic rationi, qui eandem inter finem & media proportionē, & inter præmissas & conclusionem servari inculcat, præcipue hoc libro primo capite secūdo.

Dico tertio. Præmissæ demonstrationis evidentiores sunt cōclusione ex ipsis deducta. Probatur primo. Quia sunt certiores; sed maior certitudo emicat ex maiori evidentia in actu naturali, ergo sunt evidentiores. Secundo, quia sicut in visione ocu-

lari

lari quando obiectum vicinius est luci, tanto clarius ab obiecto perspicitur, ita invisione intellectuali, quanto obiectum vicinius est lumini naturali intellectus, tanto manifestius perspicitur; sed principia sunt lumini naturali vicioniora, quam conclusio, ergo manifestius perspicientur. Minor probatur, nam principia solo lumine naturali intellectus, & extremorum cognitione in se penetrantur, conclusio vero non item, cum non in se, & immediate, sed mediante alio, & per discursum.

Collige hic solum contendere certitudinem, & evidentiam formalem principiorum esse maiorem, non vero gradualem & intensivam, hæc enim potest esse maior in conclusione: cuius ratio à priori est, nam intensio cognitionis non se tenet ex parte obiecti, vel alicuius rationis essentialis ipsius, sed ex parte potentiæ maiori vel minori conatu attendentis; sed potest intellectus maiori conatu attendere conclusioni, quam præmissis; ergo potest assensus conclusionis intensior esse assensu principiorum, ergo licet horum certitudo & evidentia substantialis, & formalis sit semper maior, gradualis tamen minor esse potest.

Contra primum dictum obijcies primo, Aristotelem asserentem propositionem hanc, Bonũ est bonum, veriorem esse illa, Bonum non est malum. Respondeo, ab Aristotele non sumi ibi veriorem pro veritate formali, vel etiam materiali, seu fundamentali, sed pro proprietate maiori, & formali idemptitatem nã per primam propositionem explicatur ratio boni per seipsam, in secunda vero per solam negationem contrarij.

Obijcies secundo. Vnus actus voluntatis est melior alio, ergo & una cognitio altera verior; sicut enim veritas est conformitas cum obiecto repræsentato, sic bonitas actus voluntatis est conformitas cum obiecto. Stoici ne consequentiam concederent, negabant antecedens, & dicebant, omnes actus voluntatis esse æque bonos, vel æque malos, quia omnes attingunt, vel non attingunt regulam morum. Contra quos arguunt Theologi in materia præsertim de peccatis. Concesso ergo antecedente, neganda consequentia, nam bonitas, vel malitia sumitur, tũ ex obiecto, tum ex libertate operantis, tum etiam ex adiunctis circunstantijs, in quibus est se potest maius, vel minus, secus veritas formalis.

Obijcies tertio. Falsum suscipit magis & minus, magis enim falsum est dicere, Deum non esse, quam Petrum non currere, etiam dum currit, ergo & verum suscipit magis & minus. Confirmatur. Vnum mẽdacium est maius altero, quis neget? ergo & unum falsum, ergo & unũ verum. Aliqui concedunt antecedens, & negant consequentiã: nam tametsi conformitas, quam dicit veritas in indivisibili consistat, at recessus ab ea, quem dicit falsitas, potest habere latitudinem, sicut meta, vel punctum, licet indivisibiliter attingatur, ab ea tamen magis vel minus recedi potest: verbi gratia, qui sunt Romæ, æque sunt ibi; at qui distant, non æque distant, sed unus magis alio: magis enim

distat, qui est Cæsar augustę, quâ qui Neapoli. Non tamen probatur hęc responsio, quia etiam falsitas consistit in indivisibili: nâ sicut quocunque modo conformetur cum obiecto, est omnino verus, ita quocunque modo sit illi difformis, est omnino falsus. Ratio est, quia falsitas non consistit in recessu materiali ab obiecto, sed in carentia adęquationis & conformitatis cum illo, eo autem ipso, quod non adęquetur illi, nec sit conformis, quacunque ratione contingat est falsus, & ideo falsitas posita est etiam in indivisibili. Quo circa ad argumentum in forma negandum antecedens. Ad confirmationem respondeo in communi sermone sicut dici solet, una veritas maior alia, ita una falsitas, vel unum mendacium maius altero: tunc autem non sumitur falsitas in sensu formali, sed dicitur maior falsitas vel mendacium de re magis impossibili, minusque credibili: sic sicut dicimus esse verius Deum esse, quam Petrum currere, ita magis falsum appellamus asserere, Deum non esse, quam Petrum currere, id est magis impossibile, quia negat obiectum magis immutabile, iuxta quem sensum interpretandus est Aristoteles, quando dicere videtur, unum actum veriorem, vel falsiorem altero.

Disp. II. Logicæ sect. 3. Contra secundum dictum oppones primo cũ Hurtado. Vnio extremorum inter se est eadem cum unione eorundem extremorum cum medio, ergo æque certa est conclusio ac præmissæ. Patet consequentia, quia circa idẽ obiectum non possumus eodem syllogismo esse magis, ac minus certi. Confirmatur, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, ergo tam certum est duo esse eadem inter se, quam esse eadem uni tertio. Respondeo. Vnionem extremorum conclusionis esse eandem realiter, non ratione cum unione eorundem extremorum cum medio. Deinceps neganda est consequentia. Ad cuius probationem, nego circa idem reale obiectum, formaliter tamen distinctum, non posse nos eodem syllogismo esse magis, & minus certos, nam cum syllogismus constet pluribus actibus, & unus pendeat ab alio, & conclusio attingat diverso modo obiectum, ac principia, scilicet per consequutionẽ pendenter ab alijs, inde enascitur diversitas certitudinum. Ad confirmationẽ admitto tam certum esse duo esse eadẽ inter se, ac uni tertio, si eodem modo attingantur, scilicet in se ex terminis, & non dependenter ab alio, secus si diverso modo attingantur.

Oppones secundo. Idem est motivum, & eædem rationes assentiendi conclusioni ac præmissis, ergo eadem est certitudo. Patet consequentia, quia certitudo formalis à motivo sumitur. Respondeo idem esse motivum principiorum, & conclusionis, diverso tamẽ modo applicatum, nam actus principij attingit obiecta immediate ex terminis independenter ab aliis: at conclusio ut alteri applicatur, & per discursum ac consequutionem dependẽter ab alijs, quę multum de certitudine detrahunt.

Oppones tertio. Hæc conclusio, Deus est, tam certa est Theologo,

logo, quam effectus naturales ex quibus deducitur, ergo &c. Respondeo negando eam propositionem, Deus est, ut conclusio est deducta ex effectibus esse æque certam, ac cognitionem effectuum, ex qua infertur, tametsi materialiter sumpta, & obiective sit certior, quia est per se nota secundum se, licet non quoad nos. Theologica autem conclusio certior non est principio etiam naturali à quo elicitur, ut recte admonet Gillius.

Lib. 1. tract. 6. c. 3. n. 13.

Oppones quarto. Hæc conclusio, Christus est risibilis, est æque certa, ac alia propositio, Homo est risibilis, ex qua deducitur, ergo conclusio non est minus certa quam suum principiũ. Confirmatur conclusio illata ex duplici præmissa de fide divina eandem habet cum illis certitudinem, ergo & naturalis ex duplici naturali principio. Respondeo, negando etiam eam conclusionem formalem, ut deductam ex alia esse cum illa æque certam. Et similiter, ad confirmationem nego conclusionem deductam ex duplici de fide, ut deductam ex illis habere eandem cum illis certitudinem.

Oppones quinto, & evidenter, ut ait Hurtadus. Actus quo credo mysterium revelatum, tã certus est, ac ille, quo credo Deũ illum revelasse, sed ille est actus conclusionis deductus ex hoc alio, ergo &c. Nego minorem, actus enim fidei non est discursivus, ut communiter tenent Theologi. Vnde simplicissimo actu creditur obiectum materiale, scilicet mysterium revelatum, & Deum revelasse, sicut simplicissimo actu amatur unum propter aliud, atque adeo non datur hic unus actus, cuius certitudo pendeat ex alio actu à quo deducitur, unde oritur decrementum certitudinis in discursu.

Contra tertium dictum insurgis primo. Principia non sunt veriora conclusione, ergo nec evidentiora. Negatur consequentia, quia veritas posita est in cõformitate indivisibili, quæ magis, minusve non capit, ut supra ostendimus, secus autem se habet evidentia, nam cum ea sita sit in clara obiecti cognitione, & inter obiecta quædam sint patentiora, & viciniora intellectui, ita evidentiori actu concipiuntur, unde & evidentia magis & minus capit.

Insurgis secundo. Præmissæ sunt causæ naturales conclusionis, ergo tribuunt illi tantam evidentiã, quantam habent; & consequenter præmissæ non erunt conclusione certiores. Nego consequentiam: nam solum causæ univocæ naturales possunt producere effectum æque perfectum, præmissæ autem sunt æquivocæ causæ conclusionis, ideoque nequeunt illi totam suam evidentiam tribuere.

Collige, syllogismum Theologicum, quem alij supernaturalem, aut Theologicam vocãt demonstrationem, nõ efflagitare principia evidentia, nam interdũ conflatur ex gemino principio de fide, & obscuro, interdum vero uno naturali evidenti, & altero de fide & obscuro.

DV-

DVBIVM IX.

Expeditur illud axioma, Propter quod unumquodque est tale, &c.

ARistoteles, ut probaret principia esse certiora conclusione, hoc usurpavit principiū, Propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale. Difficultas modo est, an in omnib⁹ causis veritatem obtineat, an in aliquibus tantum: res enim talis dicitur ratione alicuius causæ.

Dicendum, illud axioma esse verum triplici adhibita conditione. Prima, ut denominatio & attributum, in quo fit comparatio, utrique extremo competat, & ab eis sit quodāmodo distinctum. Secunda, ut illud prædicatum susciptat magis & minus, & uni conveniat per participationem ab alio, alteri per se primo. Tertia, ut utriqueconveniat in eodem ordine causæ, scilicet si illud cui primo convenit prædicatum sit causa efficiens, vel finalis, aliud esse debet effectus, vel medium. Quare eo pronuntiato sic accepto, optime probavit Aristoteles, cum conclusio sit certa & evidens propter principia, principia esse certiora, & evidentiora conclusione, quia utrique competit denominatio, & prædicatum certitudinis, & est quodammodo diversum, & susciptt magis & minus, & principiis convenit per se, conclusioni vero dependenter ab illis. Tandem, quia eodem ordine causę convenit, nam principia sunt causa efficiēs conclusionis, hæc vero effectus.

Hinc colliges primo. Axioma memoratum non habere locum in causa materiali, & formali, quia denominatio, quę attribuitur effectibus illarum causarū, non accommodatur causis: unde non recte infertur, homo est albus propter albedinem, ergo albedo est magis alba; nec homo est materialis propter materiā, ergo materia est magis materialis.

Oppones. Hæc est vera in causa formali, Homo est spiritalis propter animam, ergo anima est magis spiritalis. Respondeo in rigore esse falsam, nam aliud spiritale homini attribuitur, & aliud animæ; homo enim dicitur spiritalis, quia constat spiritu; Anima vero, quia est purus spiritus, non quia constet alio spiritu, quare non habet hic locum illud pronuntiatum, requirit, ut idem prædicatum, quod uni tribuitur, tribuatur & alteri, quod si id fiat in illa consequutione falsa erit, ut est manifestum.

Colliges secundo. Axioma verum esse in causa finali, est enim bona consequutio, Potio amara amatur propter salutem, ergo salus magis amatur. Beatitudo amatur propter Deum, ergo Deus magis amatur: atque hoc intelli ge de amore appretiativo, nam amore affectivo, seu intētionis, maiori potest voluntas amare beatitudinem quam Deum, tametsi illam propter Deū amet. Intellige etiam de causa finali primaria, & adæquata, nam in partiali, & non primaria sæpe non valet, ut Deus amatur propter retributionem amore appre

ciati-

ciativo, ergo magis eo amore retributio amatur. Falsa est consequutio, quia retributio non est primarius & ultimus finis. In efficienti etiam causa, & per se verum est axioma.

Colliges tertio. In veritate nō valere consequutionem ex eo pronuntiato deductam: ut conclusio est vera propter principia, ergo magis vera principia, quia veritas non suscipit magis aut minus.

DVBIVM X.

An Præmissæ sint notiores conclusione.

SVppono primo, duobus modis aliquid posse esse notius. Primo natura, & hoc dupliciter, scilicet vel quia perfectius est ut Deus, & Angeli respectu hominis, vel quia est id, unde aliud dependet, cuiusmodi sunt causæ respectu effectuū. Secundo, notius nobis, quod à nobis facilius, & prius noscitur. Sic accidentia sensibilia notiora sunt nobis subitātia, quia vicinior sunt sensibus.

Suppono secundo. Vniversaliora esse notiora natura minus universalibus, quia hæc ab illis pendent, non vero illa ab istis; imo etiam universaliora sunt notiora nobis minus universalibus cognitione clara, & distincta. Clare enim prius & facilius cognoscet aliquis animal, quod ab homine non dependet, quam hominem ab illo dependentem, & plura includentem prædicata. Facilius etiam hac ratione pars cognoscitur quam totum ex partibus conflatum. Verum cognitione prima confusa minus universalia notiora sunt nobis universalibus, quia sunt sensibus viciniora, species autem impressa non solum repræsentat universaliora, sed etiam minus universalia, imo, quod primo cognoscitur singulare est, quāvis si semel intellectus superius ab inferiore distinxerit, facilius percipiet animal pauciora claudens, quam hominem.

Autumo primo. Principia obiectiva semper sunt nobis notiora conclusione obiectiva, natura vero aliquando. Demōstratur prima pars, quia principia semper sunt à nobis cognoscenda prius quam conclusio, & hæc cognosci nequit nisi illa nota sint, quin & principia paucioribus indigent quam conclusio, ergo semper principia sunt nobis faciliora cognitu, & notiora nobis. Secunda pars ostenditur, quia demonstratio propter quid cōstat medio, quod est causa, quæ natura est notior effectu, qui solet esse medium in demonstratione quia. Quod si dicas, in demonstratione Quia, cōclusionem continere causam, quæ nobis & natura est notior effectu, cum hic ab illa pēdeat, dico alia via posse effectum esse minus notum, cum in hac cognitione pendeat ab effectu, non vero effectus à causa in cognitione experimentali, qua Philosophi in causarum notitias devenere.

Autumo secundo. Principia formalia semper sunt notiora conclusione natura, & nobis. Primum patet, quia principia formalia non pendent à conclusione, sed sunt illius causa; at

omnis conclusio ab illis pendet essentialiter, ergo sunt natura notiora. Secundum eodem pacto probatur, quia semper facilius à nobis eliciuntur principia formalia, quam conclusio formalis, quia hæc pendet ab illis, ergo sunt nobis notiora.

CAPVT QVARTVM,
De modis dicendi per se.

SVMMA CAPITIS.

IN hoc capite quatuor præstat Philosophus. Primo, statuit præmissas demõstrationis debere esse necessarias. Secundo, exprimit quid sit dici de omni. Tertio, quot modis contingat dici per se. Quarto, quid sit dici universaliter.

EXPLICATVR TEXTVS.

QVONIAM autem, &c. In prima capitis parte Philosophus hanc statuit assertionem, Omnis demonstratio cõstari debet ex præmissis necessarijs, quam ita suadet. Quia id, quod demonstratur, & demonstratione scitur, est necessarium: sed necessarium non demonstratur nisi ex necessarijs: ergo præmissæ debent esse necessariæ. Rursus ut exponat quales istæ præmissæ esse debeãt tres explicat terminos, videlicet dici de omni, dici per se, & dici universaliter.

De omni quidem, &c. In secunda parte inquit Philosophus, dici dõ omni est nihil esse sub subiecto, de quo vere non efferatur, & omni tempore attributũ: v.g. animal dicitur de homine, ut de omni, quia enuntiatur de eo, & omnibus sub eo contentis: similiter punctum de linea.

Quæ ergo dicuntur, &c. In tertia parte docet, dici per se, contingere quatuor modis. Primus, quando attributum est tota definitio seu essentia subiecti, aut pars essentiæ illius. Secundus, quando attributum est passio, seu proprietas subiecti. Tertius, potius est essendi per se, quam dicendi per se, & est ille, quem habet substantia ratione cuius est per se, & non in alio, sicut accidens. Quartus est causandi per se, quando unum est causa per se alterius.

Universale autem, &c. In postrema parte capitis Philosophus explicat quid sit attributũ universum, seu dici universaliter, & ait esse, quod prædicatur de omni per se, & secundum quod ipsum, vel primo. Tres particulæ continentur in huiusmodi defi-

definitione. Prima est de omni, unde risibilitas non erit attributum universum animalis, quia non est de omni. Secunda particula est, per se; unde candor nõ erit attributum universum nivis, tametsi dicatur de omni nive, quia non dicitur per se de illa. Tertia particula secundum quod ipsum, vel primo; unde sentire non erit attributum universum hominis, quia licet efferatur de omni homine, & per se, non tamen effertur de eo, secundum quod est homo, sed ea ratione, qua est animal, & ita nõ primo prædicatur de illo, sed de animali, & mediante animali de homine. Alios textus præter eo, quia quæ Philosophus in illis docet à capite quinto usque ad postremum, in sequentibus dubijs fiet satis: si autem illa in eodem textu extense videre exoptes, lege Conimbricenses hic.

DVBIVM IX.

An præmissæ esse debeãt necessariæ, & de prædicato de omni.

NEcessariũ dicitur hic quod perpetuo, & indissolubili cõvenientię nexu cũ subiecto copulatur. Quadruplex est. Primũ, quod nulla Dei virtute tolli potest, ut Hominẽ esse animal. Secundum, quod naturaliter impediri nequit, & sine miraculo, ut ignem esse calidum. Tertium, ex suppositione, quando res absolute aliter se habere potest, facta tamen suppositione convenit necessario: sic Petrus ex suppositione, quod currat, necessarium est ut moveatur. Quartũ, quod in plurimum ita contingit, tametsi aliter evenire queat, ut homines senectute canescere, & imberno tempore esse pluvias.

Assero primo. Demonstratio constat præmissis necessarijs, non tamen quarto modo. Probatur. Si non constaret præmissis necessarijs, conclusio necessaria non esset, sed tantum probabilis, ergo non esset demõstratio. Secunda pars liquet, quia quarto modo necessarium absolute est contingens, & potest communi naturę cursu aliter evenire, ergo demonstratio nequit eo constare.

Assero secundo. Demonstratio constare potest necessarijs primo, & secundo modo, quia ea propriè sunt necessaria, reddãtque certam cõclusionem. Quod si dicas hãc propositionem, Omnis ignis est calidus, posse de potentia absoluta esse falsam, auferente Deo ab igne calorem. Respondeo, sensum illius propositionis, ut à nobis affirmatur, esse ignem relictum suæ naturæ, & sine miraculo calidum existere, quo pacto est propositio necessaria.

Assero tertio. Demonstratio etiam admittit principia, quæ sint propositiones ex suppositione necessarię. Probatur, quia dãtur propositiones ex suppositione evidentes, & necessariæ; ergo istæ servire possunt demonstrationi. Antecedẽs probatur: nam hæc propositio, dum Petrus currit movetur; ex suppositione, quod currat, & oculis videatur, & necessarium erit, & evidens movetur; itaque hæc erit optima,

omne quod currit movetur, sed Petrus modo currit (facta suppositione quod oculis videatur currens) ergo Petrus movetur: in quo syllogismo propositiones sunt necessariæ ex suppositione: & minor illa, Petrus currit, est evidens sensatione oculorum.

Dices, propositio illa, Petrus currit, est simpliciter contingens sicut & obiectum, sed hoc absolute potest mutari, ergo & illa propositio potest mutari de vera in falsam; unde demonstrativa conclusio in falsam etiam abire poterit, quod eius repugnat naturæ. Respondeo. Enuntiationem de obiecto simpliciter contingenti, & solum ex suppositione necessario quando determinat convenientiam prædicati cum subiecto pro certo tempore, quo res visione intuitiva perspecta est, & eo modo, quo enuntiatur, non posse mutari de vera in falsa, ut docui tractatu quarto, disput. unica de Enuntiatione, dubio quinto; & talem enuntiationem solum esse utilem demonstrationem contendimus, & non aliam, quæ fit cognitione abstracta, & confusa, non determinando convenientiam attributi pro certo tempore, potest enim in falsam migrare.

Prædicatum de omni definitur iuxta Aristotelem, quod omnibus inferioribus subiecti, & semper convenit: v. g. Omnis homo est animal, animal enim omnibus, & semper inferioribus convenit. Hoc aliud est prioristicū, aliud posterioristicum primū: de quo egi in Synopsi, & in libro Priorum, solum spectat formam, ita ut si semel proferas, Omnis homo est leo, tenearis, efferre leonem de Petro & Paulo, omnibus hominibus. At secundum de quo in præsenti spectat materiam, & connexionem necessariam cum subiecto, & omnibus illi subditis. Hoc ergo prædicatum necessarium est ad eam demonstrationem, in qua aliquid ostenditur de essentia communi, aut de eius singulari: v. g. animal, aut admirativum, de homine, & de Petro. At ad demonstrationem constantem de subiecto omnino singulari, & carente inferiori, ut de Deo, vel de Petro, necessarium non est. Neque est cur dicas, omne prædicatum necessarium esse de omni falsum enim, id est, illud enim prædicatum dicitur de omni, quod dicitur de omni contento sub subiecto, de quo effertur, atque adeò indiget subiecto communi.

DVBIVM XII.

An præmissæ demōstrationis sint propositiones per se, & secundum quod ipsum.

PRædicatum per se ita potest explicari; est id, quod convenit ratione subiecti, ut rationale, & admirativum homini. Quę explicatio colligitur ex Aristotele. Et prędicatio, seu propositio per se erit illa, cuius prædicatum ratione subiecti ipsi cōvenit qualis est hæc, Homo est rationalis. Quare indirecte propositiones non sunt per se, quia in eis subiectum non est ratio, cur cōveniat attributum, ut hęc Risi- *Hic lib. 1. cap. 4.*

Risibile est homo, Vt autē constet quotuplex sit propositio per se, advertendus est quadruplex modus dicendi per se, quem Aristoteles assignavit

Primus modus, qui appellatur absolute modus per se prædicandi, definitur ab Aristotele: Cuius prædicatum inest re ipsa in subiecto tāquam quid. Vbi duo exigit, primum ut prædicatum sit tanquam forma subiecti, secundum ut sit conceptus essentialis sive partialis, sive totalis. Ad hunc modum attinent omnes rationes superiores, etiam transcendentales usque ad ens, cum sint de inferiorum essentiali cōceptu. Tum etiam omne quod est de intrinseca constitutione subiecti, etiam si in obliquo ponatur, ut est perspicuum his exemplis, quæ ab Aristotele afferūtur. Linea constat punctis, triangulus linea, nihil enim refert, quod in recto, aut in obliquo efferatur, si intrat subiecti essentiam.

Secundus modus, quem vocāt per se inhærēdi, definitur ab eodem Aristotele: Attributum de omni, quod ita inest subiecto, ut in eius definitione subiectum ipsum ponatur, ut homo est risibilis, nam risibile definitur, homo aptus ad ridendum. Ita explicatur Aristoteles ab Hurtado, & alijs: verum magis mihi probatur explicatio illa Conimbricentium, qui aiunt, in definitione huius prædicati, minus bene poni subiectum secūdum se, sed solum secundum rationem aliquam communem: ut si dicas, Risibile est habens potentiam ridendi, nulla hominis mentione facta: quo circa melius, & clarius definietur, est prædicatum conveniens subiecto extra essentiam necessario. Ad hunc modum spectant omnes propositiones quarti prædicabilis.

Tertius modus est per se existendi, qui congruit primis & secundis substantijs, nam dici hoc modo idem est, ac non dici de subiecto inhæsionis, quod cōperit omni substantiæ, imo & quantitati in Eucharistia, ubi per se existit: ita huiusmodi est illa prædicatio Quātitas Eucharistiæ est accidēs per se existēs. Huc reducuntur accidentia in abstracto, quia tametsi re ipsa inhæreāt, in prædicatione tamē non exprimuntur ut inhærentia, sed tanquam per se existentia, ut cernere licet in hac propositione, Albedo est color.

Quartus modus vocitatur per se causandi, quando videlicet ponitur causa cum effectu, qui ex illa per se oritur: ut ædificator ædificat, iugulatus interijt: nam tam ædificator ut sic ædificij, quamquam iugulatio interitus per se est causa.

Inter has causas per se illud est discrimen, quod aliquando effectus solum sequitur contingenter, ut ex ædificatore ædificium, aliquando necessario, ut ex iugulatione interitus, & utraque pertinet ad quartum modū per se causandi, excluditur tamē causa per accidēs, qualis est fossor inventi thesauri. Hic quartus modus differt ab alijs, quia semper continet actum causæ per se ad illum ordinatę, & cum quatuor sint genera causarum, quadruplex esse poterit, iuxta Aristotelem, quælibet enim causa vendicat actum ad quem per se est instituta. 5. *Met. c. 3.*

Iuxta hos quatuor modos dicendi

cendi per se, quadruplex est propositio per se, ut est manifestū ex dictis consectarium. Nunc igitur

Dico primo. Propositio per se in primo modo necessaria est ad demonstrationem, quam vocāt perfectissimam propter quid, qualis est, quæ per definitionem subiecti ostendit de ipso primā passionem, ut Omne animal rationale est admirativum, homo est animal rationale, ergo &c. Eodem modo ostenditur hominem esse ens, substantiam, &c. Si tamen propositiones huiusmodi contineant prædicatū subiecto universalius, ineptæ sunt ad concludendum aliquid speciei proprium; non enim bene per substantiam, aut animal potest de homine risibilitas concludi.

Dico secundo. Propositiones in secundo modo licet aptę non sint ad primam passionē à priori demonstrandam, quia monstratur per definitionem subiecti, sunt tamen necessarię ad demonstrationes propter quid & quia, quibus secunda passio per primam, & per secūdam prima, ut admirativum de homine per risibile, & è contra ostenditur.

Dico tertio. Propositiones in tertio modo per se exsistēdi servire possunt tam ad demonstrationem quia, quam propter quid, quia ex substantia creata increata ostenditur, & ex substātia creata aliquę dimanant proprietates realiter, aut ratione diversæ, quæ per illam à priori demonstrantur. Item de Deo effor mari possunt demonstrationes à priori per eius substantiam á posteriori cognitam, ut quando ex immutabilitate ostenditur æternitas.

Dico quarto. Propositiones in quarto modo aptę sunt ad demōstrationē propter quid, & quia. Notandum tamen ut in eo demōstrationes fiant, tam à priori, quam à posteriori opus esse, ut effectus oriatur necessario à sua causa ut dixi: effectus enim, qui non oritur à causa necessario nō potest recte á priori monstrari, nam ad eum à sua causa non valet consequentia à priori, ut Petrus est risibilis, ergo rides; neque item à posteriori ab effectu ad causam, ut est albº, ergo cygnus. Sunt tamē aliqua inter quę non datur mutua necessaria connexio, datur tamen ex parte unius extremi, & ex ijs formari sufficienter possunt demonstrationes à posteriori. Tametsi enim homo non coniungatur necessario cum actuali risu, bene tamen risus cum homine; unde ex hoc à posteriori deduci potest aptitudo ad ridendum in homine.

Propositio secundum quod ipsum, est ea in qua prædicatum convertitur cum subiecto, ut rationale & admirativum cum homine; hæc propositio vel est de primo modo, vel de secundo dicendi per se, unde idem de ea, quod de illis dicendum est.

DVB. VLTIMVM.

An principia possint esse propositiones de singularibus, corruptibilibus, & contingentibus.

COnstare posse alteram, vel utrāque præmissam extremo singu-

singulari patet exēplis. Primū, Omne animal est substantia, Petrus est animal, ergo &c. Secundum, Hoc animal rationale est homo, Petrus est hoc animal rationale, ergo &c. qui syllogismus expositorius est.

De corruptibilibus constat, quia prima demonstrario de existentia Dei ex solis effectibus corruptibilibus à nobis habetur, sic ex actuali risu elicitur risibilitas.

Disp. 11 Logica, sect. 6. De contingentibus est nonnulla difficultas, nam Hurtadus existimat constare posse demonstrationes prædicatis contingentibus. Primo quia Astrologus ex contingenti astrorum positione & situ monstrat evidenter futuram eclypsim, ab eclypsi morbos, ab his mortes. Secundo, hic syllogismus, Omne vivens dum currit calefit, Petrus currit & est vivens, ergo Petrus calefit, nec est probabilis, nec falsus, ergo demonstrativus. Tertio demonstratio & opinio non differunt in materia necessaria & contingenti, cum etiam de materia necessaria habeamus sæpe opiniones, ergo solum differunt incertitudine, & evidentia, quæ etiā reperiri queunt in re contingenti.

Censeo primo, de re contingenti necessaria tamen ex suppositione posse aliquid demonstrari. Hoc probant adversantia argumenta, quia ex suppositione actus ridendi, recte inferri potest potestas eius actus, & ex suppositione talis occursū astrorū, recte sequitur eclypsis, & ex cursu, & motu calefactio: sic scientia divina, & Angelica rerum existentium contingenter, sunt necessariæ ex suppositione. Ad ultimum dicito, rem contingentem nullam vendicare certitudinem, nisi ex hypotesi.

Censeo secundo. Demonstrationem non posse constare prædicato contingenti, ut pure contingens est, nisi sit aliquo modo necessarium ex hypotesi. Ratio est, quia nisi prædicatum contingens supponatur, necessarium ex hypotesi, non est certa propositio, ergo neque esset sufficiens ad demonstrationem. Patet antecedens, quia res contingentes possunt non habere connexionem, ergo nusquam habēt certo connexionem, nisi quando existunt, & ex suppositione quod existant: hoc est necessarium ex hypotesi, ergo nisi cō tingens ponatur ex hypotesi necessarium, non erit certa propositio.

DISPVTATIO TERTIA.

De essentia, & partitione demonstrationis.

PRæcedētes disputationes nobis viam fecere ut ad optatum finem perveniremus, & ut citius essentia demonstrationis appareat, quam ostendere conabimur in hac disputatione, ostensam dividere, divisamque contemplari.

DVBIVM I.

Quid, & quotuplex sit demōstratio.

CIrca definitionem duas tradidit Aristoteles, primam primo

primo Poſteriorum capite ſecũ do ſic: Demonſtratio eſt ſyllogiſmus efficiens ſcire. Quæ definitio optima & eſſentialis eſt, nam ſyllogiſmus eſt genus abſtrahens à ſyllogiſmo probabili, ſophiſtico, & demonſtrativo; efficiens ſcire, eſt differentia, qua demonſtratio differt à ſyllogiſmo probabili, qui parit opinionem; & à ſophyſtico qui errorem generat. Inſuper tametſi efficiens ſcire intelligi poſsit effective, tum quia demonſtratio per præmiſſas efficit actum concluſionis, qui eſt ſcientia actualis; tum quia demonſtratio ipſa tota efficit ſcientiam habitualem, ut ſupra iam dictum. Placet tamen nunc ita accipere, ut faciat nos ſcire in genere cauſæ formalis; nam demonſtratio intellectum informans reddit ipſum actu ſcientem. Cui interpretationi favet Ariſtoteles, ita ſe explicans: *Eam ratiocinationem dico efficere ſcientiam, quia ſcimus ipſam habendo.* Quæ definitio, ea ratione explicata, eſſentialis eſt; traditur enim per effectum formalem, qui ei eſt eſſentialis.

Alteram definitionem tradidit Ariſtoteles ibidem ita: Eſt ſyllogiſmus conſtans expropoſitionibus veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſiſque concluſionis. Quę definitio phyſica eſt, quia per partes phyſicas traditur, ſcilicet per præmiſſas, & concluſionem, ex quibus phyſice demonſtratio coaleſcit. Eſt tamen eſſentialis, ſicut hominis definitio, quæ datur per phyſicas partes. In hac definitione aliquæ particulę ponuntur maioris claritatis, & explicationis gratia, ut notarũt Hic cap. 2. q. 2. arti. 3. Conimbricenſes, nam in primis idem fere valet, primis, ac immediatis, & prioribus idem fere eſt, ac notioribus: Immo & prioribus, ac notioribus ſatis contineri intelliguntur in cauſis cõcluſionis; nam propoſitio, quę continet cauſam concluſionis, prior eſt, & notior illa: quare brevius ſic poſſet cõcinnari: eſt ſyllogiſmus conſtãs ex propoſitionibus veris, immediatis, cauſiſque concluſionis.

Dilucidius tamen poſſet definiri demonſtratio ita: Eſt ſyllogiſmus certus, & evidens. Syllogiſmus eſt genus, vel quaſi genus, certus, & evidens, partes ſunt differentiæ, nam per primam particulam differt enuntiatio à ſyllogiſmo probabili, erroneo, ſeu ſophiſtico; per ſecundam & ultimam à ſyllogiſmo Theologico, qui licet certus, non eſt evidens.

Circa diviſionem hęc eſt multiplex. Prima in demonſtrationem formalem, & obiectivam: illa ſunt actus intellectus, hæc horum obiecta. Secunda in demonſtrationem internam, ſeu mentalem, quæ conſtat ſolis actibus mentalibus; & in externã, quæ cõſtat vocibus, vel ore prolatis, vel calamo expreſsis. Tertia in demonſtrationem affirmantem, & negantem. Quarta, in demõſtrationé propter quid, quæ demõſtrat rem per cauſam; & in demonſtrationem quia, quæ demõſtrat rem per aliquid diſtinctum à cauſa, cum re tamen demonſtranda neceſſario connexum.

✠

DVBIVM II.

Quid sit, & qualis demonstratio propter quid.

QVid sit iam constat, scilicet est syllogismus certus & evidens, ostendens rem per causam. Nunc vero operepretium est investigare per quas causas possit res demonstrari.

Dico primo. Per unamquamque causam, & per omnes simul, potest res quælibet à causis dependens demonstrari. Etenim cum unaquæque, & cum omnibus simul, necessariam habet cõnexionem, quare omnes, ac singulę poterunt ut medium deservire ad rem demonstrandam. Discurramus per singulas. Per causam materialem, en tibi demonstratio: Omne constans materia sublunari, est corruptibile, homo constat materia sublunari, ergo homo est corruptibilis. Per causam formalem: Omne constans anima spirituali est rationale, homo constat anima spirituali, ergo homo est rationalis. Per causam efficientem: Omne rationale est risibile, homo est rationalis, ergo est risibilis. Per finalem: Omne creatum à Deo ad beatitudinem est intellectivum, homo est conditus à Deo ad beatitudinem, ergo, &c. Per omnes simul causas: Omne constans materia & forma rationali factum à Deo ad beatitudinem est homo, Petrus constat materia & forma rationali, estque factus ad beatitudinem à Deo, ergo, &c.

Dico secundo. In demonstratione sufficere causam virtualem, id est, quę realiter non differt à suo effectu, sed solum virtute. Ratio est, quia tantam, imo maiorem connexionem habet talis causa cum suo effectu, ergo hic per illam recte poterit demonstrari: v. g. volitivũ per rationale.

Dico tertio. Non solum causa adæquata, quæ convertitur cum effectu, & hic cum illa, sed etiam causa inadæquata, quæ licet convertatur cum effectu, hic cum illa non convertitur, sufficit ad demonstrationem: nam ut effectus per causam à priori ostendatur, sufficit illa causa, quæ cum effectu coniungitur necessario, licet hic cum illa non coniũgatur, quia potest ab alijs procedere, sic enim recte ex tali causa infertur effectus: sic ex igne tanquam ex causa recte deducitur calor, licet ex hoc ignis non inferatur, valet enim est ignis, ergo calidus; non vero, est calidus, ergo ignis.

Dico quarto. Sive causa sit immediata, seu mediata, dummodo necessariam habeat connexionem cum effectu, est apta ad demonstrationem tanquam medium: nam quidquid necessariã habet cum alio connexionem, est aptum ut ex eo aliud deducatur: sic ex rationali deducimus risibile, quamvis inter hoc & illud mediet admirativum.

DVBIVM III.

De demonſtratione Quia.

DEmonſtratio Quia, eſt ſyllogiſmus certus & evidēs, oſtendens rem per quidpiam à cauſſa diſtinctum. Quare ſive effectus ſit, ſeu aliud neceſſario cum alio connexum, eſt medium aptum demonſtrationi Quia. Hinc

Colligo primo. Demonſtrationi Quia non quadrare definitionem Ariſtotelicam demonſtrationis, ſi in rigore ſumatur, ſcilicet Demonſtratio eſt ſyllogiſmus faciens ſcire, quia iuxta Ariſtotelē ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere.

Colligo ſecundo. Diſtinctum à cauſa, quo aliquid de alio demonſtratur, ſufficere ut ratione diſtinguatur: ſic demonſtratione Quia, oſtendes de Deo immutabilitatem per æternitatem, quia eſt veluti effectus, & ratio ab illa dimanans.

Colligo tertio. Triplicem demonſtrationem Quia. Prima eſt, qua cauſſa per effectum oſtenditur, & dicitur à poſteriori, quia effectus poſterior eſt cauſſa. Secunda, quę oſtendit rem per cauſam remotam, quæ non influit in effectum neceſſario, talis eſt animal reſpectu reſpirationis; nam ſi neceſſario influeret, ubicunque eſſet animal, eſſet & reſpiratio, quod tamen falſum eſt, cum piſcis ſit animal, nec tamē habeat reſpirationem. Quippe cauſſa neceſſario influens in eā, pulmo eſt, & non animal. Hic nota, hoc genus demonſtrationis non procedere per veram cauſſam, ſed per negationem attributi ſuperioris, vel cauſſæ remotæ. Nota deinde in hoc genere demonſtrationis non licere uti terminis affirmativis, eſſet enim falſa concluſio: v.g. Omne animal eſt reſpirans, piſcis eſt animal, ergo eſt reſpirans. Vera tamen concluſio deducitur in demōſtratione negativa, nam ſi quis neget animal, optime negabit reſpirativum, ut omne reſpirans eſt animal, planta non eſt animal, ergo neque reſpirans.

Tertia demōſtratio Quia, eſt quæ oſtendit rem per aliquid neceſſario cum ea connexum, quod nec eſt effectus, nec cauſa remota, ſed certum & evidēs ſignum illius, quia neceſſario cum illo coniungitur. Sic per riſibile probatur flebile de homine. Hæc demonſtratio à Raimūdo Lullio dicitur çquiparantię, ab alijs dicitur à neceſſario connexis. 7. *parte artis magnæ.*

Quæres hic qualis ſit diviſio demōſtrationis in propter Quid, & Quia? Reſpondeo primo eſſe adçquatam, nam nulla datur demonſtratio, quæ non ſit propter Quid, vel Quia, cum nullū detur medium, quod non ſit cauſa, & ſpectabit ad demonſtrationē propter Quid, vel diſtinctum à cauſſa, & ſpectabit ad demonſtrationem Quia.

Nec dicas primo, demonſtrationem deducentē ad incommodum, nec eſſe propter Quid, nec Quia: hoc enim eſt falſum. Nā cum iſta demōſtratio procedat ex conceſsis, ſive veris, ſive falſis, à deſtructione conſequentis ad deſtructionem antecedentis, vel ad deſtructionē cauſſæ, procedit

cedit, si negetur effectus; ut Homo non est risibilis, ergo nec rationalis; sed est rationalis, ergo est risibilis: & sic est demonstratio propter Quid: vel procedit ad destructionem effectus, si causa negetur, & sic est demonstratio Quia. v.g. si homo nõest rationalis, nec est capax disciplinarum, sed est capax disciplinarũ, ergo est rationalis.

Ned dicas secundo, demonstrationem ostendentem prædicatum superius per inferius nec esse propter Quid, nec Quia, hoc enim est falsum; nam huiusmodi demõstratio est propter Quid, quia ostẽdit rem per causam materialem, nõ quidem physicam, sed metaphysicam, nam prædicatum inferius est materia metaphysica recipiens superius; vel si mavis dic, & vere dices, esse causam formalem metaphysicã, quia est perfectius superiore, illudque determinat metaphysicè, quare hæc demonstratio erit propter Quid: Omne vivens est substantia, homo est vivens, ergo homo est substantia.

Respondeo secundo, prædictam divisionẽ demonstrationis in propter Quid, & Quia, esse generis in species; liquet, nam demonstratio Quia, vere est demonstratio, ac scientiam ingenerat; nec demonstratio convenit demõstrationi Quia, dependenter à demõstratione propter Quid, & ex alio capite essentialiter differunt, ergo, &c.

DVBIVM IIII.

An demonstratio circulum admittat.

PONo primo. Circulum in hac materia esse recursum à conclusione ad præmissas probãdas, per quas conclusio probatur. Vt si probetur hominem esse rationalem, quia est risibilis, & esse risibilem, quia est rationalis.

Pono secundo. Circulum esse quadruplicem. Primus est materialis, qui sunt propositiones ipsæ obiective sumptæ. Secundus formalis, scilicet assensus præmissarum. Tertius simpliciter, vel uniformis, qui fit quando præmissæ probantur ex conclusione cognita præcise ex ipsis præmissis. Quartus secundum quid, vel difformis, in quo præmissæ probantur ex conclusione aliunde magis penetrata.

Dico primo. In demonstratione dari potest circulus difformis materialis. Probatur. Nam si quis postquam probavit hominem esse risibilem, quia est rationalis, penetret ex alijs capitibus, videlicet inductione, vel experientia, connexionem risibilitatis cum homine, poterit commode demonstrare hominem esse rationalem, quia est risibilis. Tunc enim ignotius per notius demonstrabit, quia, quæ antea erat conclusio, aliunde magis innotescit, quam præmissæ, ergo per illam poterunt istæ demonstrari.

Dico secundo. Circulus materialis conformis demonstrationi repugnat, nam hæc procedit

à notis ad ignota probanda, id est, à præmissis ad cõclusionem, sed si conclusio aliunde non magis pateat, quam ex præmissis, est ignotior illis, ergo nequit in demonstratione fieri recursus à conclusione per præmissas cognita, ad ipsas præmissas.

Dico tertio. Circulus formalis secundum quid, vel difformis, impossibilis est in demonstratione. Nam non potest dari circulus difformiter, quin conclusio aliunde magis penetretur quam per præmissas, sed tunc variatur realiter conclusio formalis, cum varietur eius obiectum, ergo non poterit dari circulus formalis difformis.

Dico quarto. Circulus formalis simpliciter, vel uniformis, non admittitur in demonstratione, quia per quod aliud ostenditur, debet esse illo notius, sed conclusio ut demonstrata per præmissas non est notior illis, sed ignotior, ergo ex illa nequit fieri recursus ad probandas præmissas, progrederetur enim mens ab ignoto ad notum, quod est contra syllogisticam formam.

DISPVTATIO VLTIMA,

De scientia & aliis virtutibus mentis.

HOc unum deerat nostræ Logicæ decorandæ, hic splendor, decorque virtutum desiderabatur tantum, ut esset Dialecticæ coronis, coronaque Dialectico: splendet namque mirificè diademate caput, nitescit pulchre virtutibus intellectus. Has igitur omnes, integra ista claudet disputatio, ut ex hoc cumulo possit animus, quas maluerit, vel simul omnes, accipere.

DVBIVM I.

Quid & quotuplex sit virtus mentis.

NOtãdum est primo, Aristotelem distribuere virtutẽ mentis in Intelligentiam, Sapientiam, Scientiam, Prudentiam, & Artem, quę cum sigillatim in hac disputatione sint declarandæ, operepretium erit de virtute mentis in communi, quę genus est ad eas, exordiri. Ad quod 6. Ethic. c. 3.

Moneo, virtutem abstrahentem ab intellectuali & morali definiri: Habitus inclinans potentiam rationalem ad actum perfectum. Dicitur habitus, quia actus communiter non vocatur virtus, sed habitus, seu facultas inclinans ad actum. Sic enim actus malus non dicitur vitium, sed propensio ad illud. Verbum inclinans, non significat facilitatem cum comprehendat virtutes supernaturales, quę facultatem tribuunt operandi, & non facilitatẽ, ut supra notavimus. Additur potentiam rationalem, quia virtus in intellectu & voluntate, utraque potentia rationali invenitur. Ideoque Philosophus virtutem distribuit in intellectualẽ & moralem, seu appetitivam; illa in mente residet, illumque inclinat in actum infalli- 2. Ethic. c. 1

fallibiliter verum ; hæc vero in voluntate, eamque in actum honestum, sine defectu inclinat. De posteriori Philosophi morales, ac Theologi, de priori nos.

Assero primo. Virtus mentis est habitus inclinans intellectû immediate in actum verum cum incapacitate erroris, aut falsitatis. Habitus est qualitas iam nota ex disputatione de qualitate. Inclinans intellectum immediate, reijcit habitus inclinantes voluntatem, ut habitus temperantiæ, & alios, præsertim veracitatem, quæ inhæret voluntati, & inclinat ad veridictionem. Apponitur in actum verum, cum in capacitate falsitatis, ut excludat habitum erroris, opinionis, suspicionis, & fidei humanæ, de quocûque obiecto, quia sunt falsitatis capaces.

Oppones. Act⁹ fidei humanę, quo credimus Valentiam esse, vel Romam, ex tot hominum affirmatione physice, & metaphysice est infallibilis, ergo incapax falsitatis. Impossibile enim videtur, ut tot & tantæ conditiones hominum in rei falsæ affirmationem conspiraverint, ergo iste actus generabit habitum fidei humanæ à virtutibus mentis minime excludendum. Vasquez prima parte concedit antecedens, verum immerito illi actui tantam certitudinem adscribit, non enim repugnat si res spectetur metaphysice, ut tot homines in rei falsæ affirmationem convenerint : quare ille actus moraliter solum, & non metaphysice est infallibilis.

Assero secundo. Divisio virtutis in membra recensita non est immediata. Probatur primo. Quia virtutes mentis aliquæ sunt practicæ, aliæ speculativæ, ergo à practicis abstrahi potest ratio communis practica virtutis, & ab speculativis speculativa, & in eis dividi immediate. Secundo. Quia multę ex his virtutibus conveniunt in ratione intelligentiæ, aliæ in ratione scientiæ; ergo istę rationes poterunt abstrahi ab illis, & in eas dividi immediate. Antecedens claret, nam cum intelligẽtia sit assensus circa prima principia, potest reperiri in sapientia, arte, & prudentia; & similiter, cum scientia inclinet in assensum conclusionis propter principia, reperitur etiam in sapientia, arte, & prudentia.

Assero tertio. Non est divisio simpliciter adæquata in ordine ad omnes virtutes naturales, & supernaturales. Suadetur primo. Fides divina est virtus supernaturalis inclinans in actum verum infallibiliter, & sub nulla ex numeratis ab Aristotele continetur; non enim est intelligentia, cum non sit assensus evidens primorum principiorum ex terminorum connexione. Non scientia, cum fides non sit discursiva. Neque ars, neque prudentia, neque sapiẽtia, cum sint notitiæ evidentes, aut principiorum, aut cõclusionis, quorum nihil in fide reperitur, cum sit assensus obscurus propter divinam authoritatem, ergo non est simpliciter adæquata divisio. Secundo. Habitus Theologicus inclinat etiam in assensum conclusionis certum & infallibilem, & est virtus supernatu-

ralis,&tamen cum sit inevidēs, neque proprie est scientia, neque alia virtus ex enumeratis.

Collige primo. Habitum fidei quia inclinat in assensum sine discursu,& ex illo deducuntur Theologiæ conclusiones, posse reduci ad intelligentiam,vocarique intelligentiam supernaturalem, & cum inclinet in assensum propter rationem altissimā divinam utique authoritatem, revocari posse ad sapientiam,cū eam imitetur,dicique sapientia supernaturalis,& similiter Theologiam,quia maxime accedit ad naturam scientiæ, posse etiam ad scientiam, vel ad sapientiam revocari,vocarique supernaturalem.

Collige secundo. Divisionem esse adæquatam in ordine ad virtutes naturales,quia omnis virtus naturalis evidens,vel inclinat in assēsum ex terminis, estque intelligentia, vel in assensum conclusionis,& sic aut versatur circa res altissimas,& per similes causas, & est sapientia; aut versatur circa res inferiores. & per causas inferiores, & est scientia;aut circa res faciendas, & est ars;aut circa res agendas, & est prudentia,atqui nulla alia virtus cogitari potest,quæ extra hos fines excurrat,ergo erit adęquata in ordine ad virtutes naturales.

Oppones. Synderesis est virtus naturalis, & inclinat in actum certum infallibiliter. Tum etiā fides divina naturalis, quæ de Deo sicut amor divinus naturalis haberi potest inclinans infallibiliter ad verum, & tamen non est aliqua virtus ex enumeratis,ergo &c. Respondeo ad primū. Synderesim inclinare in assensum primorum principiorū moralium quale est illud, Quod tibi non vis,alteri ne feceris, & esse intelligētiam moralem. Ad secundum respondeo,fidem divinam naturalem communiter à Theologis in materia de fide negari, si tamen illa esset possibilis,revocaretur sicut fides divina ad intelligentiam, vel sapientiam, quia magis cum eis, quam cum alijs virtutibus convenit.

Assero vltimo. Aristoteles nō attulit exactam virtutis mentis divisionem, sed quandam enumerationem. Probatur,quia exacta divisio ponit membra se mutuo excludētia,qualia non sunt ista. Etenim sapientia hominis, aut versatur circa principia rerum altissimarum,& est intelligentia, vel circa conclusiones per altissimas causas, & est scié tia; ergo includitur in his duobus membris. Insuper prudentia & ars, aut versatur circa prima sua principia,& sunt intelligentia;vel circa conclusiones ex illis deductas, & sunt scientia, ergo sub scientia,& intelligentia cætera omnia continentur. Quare intelligentia, & scientia solum se mutuo excludent.

DVBIVM II.

An sit ponendus habitus intelligentiæ circa principia.

ENucleamus iā singulas virtutes mentis: ac primo ordimur ab intelligentia, quia est prima virtus inter enumeratas,

tas, quæ etiam appellatur ab Aristotele intellectus, tum ratione illius præstantiç, tum etiam quia instar potentiæ intellectivæ est causa cognitionis scientificæ.

Dico primo. Habitus intelligentiç non est inditus à natura, sed proprijs actibus adquiritur. Probatur primo, quia Aristoteles *Lib. 3. de Anima.* dicit, intellectum esse veluti tabulã rasam, in qua nihil est descriptum, ergo habitus intelligentiç non est à natura inditus, sed proprijs actibus adquisitus. Secundo, quia alioqui æqualem facilitatem experiremur ante repetitionem multorum actuũ, ac post illam; sed hoc experientia ipsa docet esse falsum, ergo &c.

Dico secundo. Non est negandus habitus intelligẽtiæ, etiam circa principia generalissima. Consonat hoc dictum cum superiori: quia si habitus intelligentiæ proprijs actibus adquiritur, ergo etiam circa principia generalia est concedẽdus habitus intelligentiç. Consequẽtia liquet. Nam ideo concedimus habitus in intellectu, & alijs potentijs, quia post exercitationem multorum actuum facilius, & delectabilius prorumpimus in actus circa aliquam materiam; sed videmus facilius nos assentiri primis principijs etiam generalibus, postquam illa novimus; ergo ponendus est habitus circa illa.

Oppones primo. Intellectus apprehensis terminis, naturaliter omnino determinatur ad assensum principiorum, ergo nõ indiget habitu, sicut nec alij sensus externi. Confirmatur: quia intellectus ex apprehensione terminorum non comparat habitum, quia naturali necessitate fertur in illam posita, vel excitata specie obiecti, ergo neque comparabit ad assensum principiorum, cum pari necessitate in eum feratur.

Admisso antecedenti negandã consequentia, quia etiam intellectus, supposita cognitione principiorũ, necessario fertur in conclusionẽ, ad quã etiã ponitur habitus. Nec obstat in alijs potentijs externis non poni habitus: quia visus v. g. & idẽ est de alijs, cum eadem facilitate producit primũ ac reliquos actus: at intellectus in suis apprehensionibus, iudicijs, & discursibus non sic se habet, licet omnes potentiæ opperentur naturaliter. Ad confirmationem respondeo, intellectum circa simplicissimã apprehẽsionem eodem modo se habere atque oculus circa visionem, posita enim specie, & sine repræsentatione obiecti prçvia, fertur naturali omnino pondere in illud simpliciter apprehendendo.

An autem ad simplicem apprehensionem compositã, Habitus adquiratur, maior est dubitatio. Mihi probabilius videtur, saltẽ ad apprehẽsionem compositam, & artificiosam, posse habitum dari, quia in debita ratione apprehendendi potest esse aliqua difficultas, aut maior facilitas.

Oppones secundo. In voluntate ad amandũ bonum in communi, non datur habitus; ergo neque in intellectu ad cognoscenda prima principia. Nego antecedens. Nam etiam in voluntate admittendum arbitror habitum ad amandum bonum, abstrahens ab honesto, vtili, & delecta-

lectabili, quia quamvis voluntas facillimo negotio tendat in bonum in communi, non tamen ex se habet omnimodam facilitatem, quæ non patiatur augeri in dies.

DVBIVM III.

An, & quomodo intelligentia nitatur experientia, & inductione.

Ita docet Aristot. 1. Meta. cap. 1. & alibi.

EXperientia proprie sumpta primo debet versari circa singularia, ad illam enim solũ pertinet singularia lustrare, ac notare diligenter, non vero aliquid universale deducere. Secundo efflagitat plurium singularium cognitiones, ut per se liquet; non enim experientiam propriam dicitur comparasse, qui dumtaxat unicum agnovit singulare. Tertio exigit cognitiones singularium, non quidem tantũ successivas, sic enim bruta haberent experientiam, sed inter se collatas, ita ut conferat singularia inter se, observẽtque eorum similitudinem, quod est hominis proprium. Ex quo fit experientiam, & inductionem universalis ex pluribus singularibus discrepare ut partem à toto; inductio enim claudit experientiam, & supra illam addit conclusionem universalem ex singularibus illatam. Sit exemplum: Hic ignis calefacit, ille ignis calefacit, & ille alius, &c. ergo omnis ignis. In hac argumẽtatione iudicia illa circa singularia constituunt experientiam, & experientia ex illis iudicijs conflata simul cum conclusione universali, inductionem componit.

Dico primo. Ad intelligentiã plurium principium valde universalium, multisque scientijs communium, qualia sunt: Impossibile est idem simul esse, & non esse: Omne totum est maius sua parte: Quodlibet aut est, aut non est: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, non exigitur experientia, aut inductio. Ratio est, quia adeo est patens eorum veritas, ut quivis, nisi omnino plumbeus, ex sola cognitione terminorum, eam penetret; meritoque de his principijs dixit Philosoph⁹, In ianuis quis erraſcet? scilicet qui ea non percipiat, aut in eorum perceptione aberret. Cõfirmatur, quia quando nos ea volumus alicui persuadere, qui propter terminorum ignorantiam aut non percipit, aut non assentitur, statim ad terminorum explicationem confugimus, quæ non est experientia, neque inductio.

Dico secundo. Ad intelligentiam plurium principiorum in particularibus scientijs semper opus est experiẽtia, & inductione, num maiori, nunc minori, pro eorũ diversitate. Probatur, quia eorum veritas plerunque non est adeo patens, nec ita facile terminorum connexio in se penetratur ob imperfectionem nostri intellectus, qui maxime pendet à sensibus, ideoque sine eorum adminiculo, nequit sæpenumero ita luculenter veritatem perspicere, sicut oportet ad certum, & evidentem principiorum assensum, quod satis nos docet experientia ipsa.

Atque hæc accipienda sunt regulariter, nam interdum tam

perspicax esse potest ingenij acies, ut ex sola unius singularis perceptione veritatem perspiciat, interdum vero tam obtusa, ut neque experientia, neque inductione plurium singulariũ, in assensum, & penetrationem veritatis inducatur.

Dico tertio. Ratio formalis assentiendi principijs, non est experientia, aut inductio, sed immediata connexio terminorum. Probatur primo ex Aristotele libro primo Posteriorum capite tertio asserente, principium esse illud, quod scimus cũ terminos cognoscimus, id est cui assentimur ex sola terminorum penetratione; & primo Topicorum capite primo dicente, principia sunt, quæ nõ per alia, sed per se fidẽ habẽt, ergo ratio assentiendi principijs non est experientia, seu inductio, alias iam principium, seu intelligentia ex alio fidem haberet. Secundo, Assensus principiorum penetrat evidenter necessariam cõnexionem terminorũ; est enim certissima, & evidentissima cognitio rei in se; sed experientia non applicat hanc necessariam connexionem terminorum, & prorsus immutabilem, ergo ea non est ratio formalis assentiendi primis principijs. Minor probatur: nam experientia solum attingit actualem coniunctionem prædicati cum subiecto, neque expendit an sit necessaria, vel contingens: ut cum agnoscit quod ex applicatione talis medicamenti huic, vel illi morbo, sanitas fuerit semper secuta, attingit quidem coniunctionem sanitatis cum applicatione talis medicamenti, non vero ex ea coniunctione colligit, an sit necessaria connexio, cum etiam, quæ contingẽter connectuntur, possint esse actu coniuncta. Tertio, Principia (ut supradictum) sunt certiora scientia, seu conclusione, at experientia, ut docet Hippocrates, fallax est, & incerta, ergo non potest esse formalis ratio principiorum, tribueret enim illis certitudinem, & infallibilitatem, quam non habet. Quarto, quia si assensus primorum principiorum esset propter experiẽtiam, aut inductionem, esset discursus. Probatur consequentia, nam inductio assentitur propter experientiam, ut supra notavi, sed inductio est discursus, ergo & intelligentia, seu assensus principiorum, quod est inauditum. *Aphorismo 1.*

Obijcies Aristotelem docentem principium inductione fieri verum solum ibi docet fieri inductione, quia sæpe est necessaria ad terminorum connexionem attingendam, non vero quod sit ratio formalis assentiẽdi principijs, aliàs principium foret discursus, quod ibi negat Aristoteles. *6. Ethi. c. 3.*

Dico, experientiam, aut inductionem solum esse veluti viam quandam, & manuductionem, disponẽtem intellectum ad percipiendam connexionem terminorum inter se, qua perspecta, sequitur assensus. Ratio est, quia sæpe intellectus non ita penetrat terminos, ut possit eorum connexionem iudicare certe, & evidenter, prævio tamen sensu, quem uti fidum ducem, & administrum cognitionis habet, disponitur ad penetrandam terminorum connexionem, eaque penetrata pronus rapitur in assẽsum. Confirmatur, quia rationes

probabiles de credibilitate mysteriorum fidei, & motiva cognita, ut miracula in eius confirmatione patrata, & alia similia, quæ antecedunt fidei assensum, non sunt ratio formalis illius, sed solum quædam prævia dispositio præparãs intellectum ad illum assensum, ergo experientia & inductio solum sunt dispositio ad actum intelligentiæ. Patet consequentia, quia sicut fides post illas rationes & discursus credibilitatis mysteriorum fidei non assentitur propter illos, sed propter authoritatem Dei testificantis, ita intelligentia, experientia, & inductione nota, non immediate propter illam, sed propter connexionem terminorum, quam iam agnovit, ergo solum sunt dispositio.

Duplici ergo ratione inductio, & experientia iuvant intellectum. Primo removendo obicem: nam dum intellectus non adeo clare connexionem terminorum penetrabat, ab assensu retardabatur formidine, quam pellit experientia, & inductio, dum in eandem rem, sensum cũ intellectu cõspirare demõstrat. Secundo, quia dum experientia varia perlustrat, & repræsentat singularia, excitat intellectum ut melius terminorum cõnexionem assequatur.

DVBIVM IIII.

An habitus intelligentiæ sit multiplex specie.

STatuo primo duplex esse obiectum intelligentiæ. Primum materiale, quod est veritas ipsa materialis principiorum. Secundum formale, quod est veritas ipsa ex se immediate cognoscibilis ex sola connexione terminorum.

Statuo secundo. Habitus intelligentiæ versantes circa obiecta speculativa, ut Omne totum est maius sua parte: Quæ sunt eadẽ uni tertio, &c. Et versantes circa obiecta practica, ut bonum amandum, turpe fugiendum, specie & formaliter distingui, nam habent obiecta formalia specie distincta: sub diversa enim ratione formali tendunt in obiectum, ut liquet.

Dico primo. Habitus intelligẽtiæ speculativæ est multiplex specie. Demonstratur, nam inter obiecta speculativa per se, & immediate cognoscibilia, multa sunt specie distincta, ergo & habitus tendẽtes in illa. Antecedẽs probatur: Nam quoties dantur extrema essentialiter diversa, datur unio ipsorum essentialiter diversa, sed hæc unio, & connexio in se cognoscibilis est obiectum formale intelligentiæ, ergo habet multa obiecta formalia specie distincta. Confirmatur, quia actus intelligentiæ speculativæ multi specie differunt. Quis enim neget hos specie distare? Omne totum est maius sua parte, & Impossibile est idem simul esse, & non esse, ergo & habitus ad tales actus inclinantes. Consequentia liquet, quia actus generat habitum sibi similem.

Dico secundo. Habitus intelligentiæ practicæ similiter est multiplex specie. Dictum cõsectarium est ex prçcedenti, & eisdem rationibus probandum.

Oppones. Habitus distinguuntur propter obiecta, sed omnes habi-

habitus intelligentiæ intuentur idem obiectum immediatum, scilicet terminorum connexionem in se cognoscibilem, ergo non distinguntur specie.

Respondeo, immediatam connexionem terminorum in se cognoscibilem esse obiectum idē genere ad habitus intelligētiæ, sicut & ratio assentiēdi propter principia est obiectum formale idem genere respectu habitus sciētiæ. Quare sicut hoc non obstante obiectum formale scientię variatur, variatis specie principijs, aut altero eorum, ita & illud obiectum formale intelligentiæ specie variatur variatis essentialiter extremis, vel saltē uno eorum, tunc enim evadit connexio in se cognoscibilis diversa specie ut dictum, & habitus naturalis intelligentiæ specie differunt. Quomodo autem distinguatur habitus intelligentiæ ab habitu scientiæ, dicam inferius, cum notus fuerit habitus scientiæ.

DVBIVM V.

Quid sit Scientia.

SVppono dari syllogismos evidentes, quorum conclusiones scientiæ sunt actuales, & facilitates illis productę; quæ inclinant in similes actus habituales.

Lib. 1. ca. 2. Aristoteles sic definit scientiam: Cognitio rei per suam causam, & quod illius sit causa, ut aliter esse non possit. Verū hæc definitio solum scientiam actualem, & propter quid comprehendit, iuxta mentem Philosophi. Prima pars constat ex ipsius verbis, nam scire & cognoscere actionem sonant. Secunda vero probatur, quia sola scientia à priori cognoscit rem per suam causam, sciētia vero à posteriori per effectum.

Dices etiam, sciētiam à posteriori cognoscere rem per causam, cognoscit enim propter præmissas formales, quæ sunt causæ conclusionis formalis. Verū verba Aristotelis satis aperte indicant, ipsum locutum de causa obiectiva rei cognitæ, non de causa efficiente cognitionis, nā de illa causa loquitur, quam opus est cognoscere ut causā rei, & quod illius sit causa; sed ad scientiam, & conclusionem demonstrativam non est necesse cognoscere præmissas formales esse causam conclusionis formalis per notitiam reflexam, ut dictum in Proœmialibus, ergo nō loquitur de causa cognitionis, sed rei, quam oportet percipere ut causam ut illius scientiam cōparemus; melius tamen aptare posset scientię Quia, seu à posteriori, si quis diceret, illud cognoscere rem per causam, accipiēdum esse de præmissis obiectivis, nam propter illas cognitas, tanquam propter rationem, & causam actus conclusionis rem cognoscimus. Hæc definitio convenire potest scientiæ divinæ, & Angelicæ à priori, & non solum humanæ. Ratio est, quia Deus, & Angeli rem etiam per suam causam perfectissime comprehendunt simplici notitia: debet autem scientia definita abstrahere à creata & increata, discursiva, & non discursiva, ut possit illis esse communis.

Dico ergo. Scientia nostra actualis optime definitur: Cog-

nitio discursiva certa & evidēs. Colligitur ex Scoto, à qua non multum discrepat illa Hurtadi definitio: Est actus deductus ex duobus principijs certis & evidentibus. Patet ipsa explicatione. Cognitio genus est commune etiam ad alias notitias, quæ scientia non sunt, cætera vicem habent differentiæ. Discursiva reijcit simplicem apprehensionem, hic enim discursiva cognitio est perfecta, quæ etiam est iudicativa. Reijcit alia particula, certa, dubias notitias, ut suspicionem, opinionem, fidem humanam, & errorem. Postremo illa, evidens, excludit fidem divinam, & sacram Theologiam, quæ certitudinem habent, non tamen evidentiam, consequētis inquam, nam evidentia consequentię in omni formali syllogismo, in quo optima est consequentia, invenitur.

Scotus in 4. quæs. prolegi Hurta. disp. 11. Legica. §. 56.

Opponea. Scientia solum adquiritur per syllogismum demonstrativum, sed ista definitio scientiæ convenit cognitioni acquisitæ per inductionem; qualis est hæc: Hic ignis calefacit, iste calefacit, & ille alius, ergo omnis calefacit. Ista enim cognitio est certa, evidens, & discursiva, ergo non est bene definita scientia. Respondeo, cognitionem inductione comparatam non esse formaliter discursivam, seu discursum formalem, nam inductio, ut alibi dixi, non est formalis discursus, nisi ad syllogismum revocetur, quare illius conclusio non est formaliter discursiva, & ex formali discursu comparata.

Hinc facile infertur, scientiā actualem formaliter duntaxat consistere in actu conclusionis demonstrationis, quo percipitur res ut deducta ex principijs certis, & evidentibus: & tametsi Aristoteles finiens demonstrationem dixerit: Est syllogismus faciens scire, subdideritque, *Dico faciens, quia scimus habendo ipsam demonstrationem*, noluit tamē ut per totam demonstrationem formaliter reddamur scientes, sed per præmissas dispositive, per conclusionem autem formaliter, ipsa enim formaliter solum est scientia.

DVBIVM VI.

An veritas, certitudo, & evidentia sint de essentia scientiæ.

POno hic non esse sermonem de veritate transcendentali, quæ est passio entis, cum omne ens sit unum, verum, & bonum; sed de veritate formali, quæ est duplex; una actualis, quæ consistit in actuali conformitate ad obiectum; altera radicalis, quæ est illa, à qua habet scientia necessariam, & infallibilem conformitatem cum obiecto.

Dicendum primo. Veritas actualis non est de essentia actus scientiæ, sed proprietas. Probatur prima pars, nam veritas formalis actualis est conformitas cognitionis cum obiecto repræsentato, sed hæc non est essentialis, cum sit denominatio extrinseca ab obiecto repræsentato, ut supra dictum, ergo

Ita contra Hurt. supra impugnatū. Caietan° 1. 2. q. 19 ar. 1 Pat. Suarez disp. 8. sect. 2. N. Blāch disp. ulti. Legica sect. 2.

go neque veritas formalis actualis. Secunda pars suadetur, nam veritas formalis actualis est forma omnino inseparabilis à scientia, semperque illam comitatur, eique necessario debetur, ergo erit eius proprietas. Antecedens patet, quia scientia est cognitio vera incapax falsitatis. Amplius constabit ex secundo dicto.

Dicendum secundo. Veritas radicalis est de essentia scientiæ. Probatur, quia veritas radicalis est ipsa natura cognitionis adeo perfecta, ut necessario petat, tâquam sibi debitum, actualem conformitatem cum obiecto repræsentato: sed ista entitas, & perfectio petens talem conformitatem, est essentialis cognitioni, ergo & veritas radicalis. Confirmatur: quia sicut accidens ratione suæ entitatis exigit inhærentiam, ita entitas scientificæ cognitionis conformitatem cum obiecto: quomodo enim erit evidens, si non sit vera? atqui illa exigentia est de essentia physica accidentis, ergo hæc alia de essentia scientiæ.

Dicendum tertio. Certitudo formalis est etiam de ratione essentiali scientiæ. Probatur primo: quia certitudo formalis est ipsa entitas actus repræsentans obiectum ex vi medij infallibilis, & quod aliter se habere non potest, sed id est de essentia cognitionis, ergo & certitudo. Secundo, quia scientia & opinio distinguuntur essentialiter, & specificè: sed nullum aliud datur propter quod distinguantur essentialiter, nisi probabilitas, & certitudo, ergo &c. Postremo omnis scientia oritur ex principijs essentialiter certis, illisque evadit similis, nam principia communicât suam certitudinem, & evidentiam conclusioni, ergo essentialiter est certa.

Dicendum quarto. Evidentia est etiam de essentia scientiæ. Probatur primo, quia Divus Thomas de veritate capite nono docet, scientiam consistere in visione rei præsentis, id est, clare & evidenter apparentis; nomen enim Visio, hoc denotat. Secundo, scientiæ nomen impositum fuit a Philosophis ad significandam conclusionem discursivam certam, & evidentem, ergo sicut certitudo est de essentia scientiæ, ita & evidentia.

Dices, nomen scientiæ impositum esse ad significandam cognitionem discursivam certam tantum, & infallibilem. Sed contra, quia nullam cognitionem discursivam certam agnoverunt Philosophi, quæ non esset evidens, ergo impositum fuit hoc nomen ab illis, ut exprimerent conclusionem discursivam certam, & evidentem; Præsertim cum evidentia & certitudo realiter non differant ab entitate cognitionis, cui conveniunt.

Tertio, scientia est perfectissima cognitio, qua cognoscit intellectus, ergo claritas, & evidentia est de essentia scientiæ. Consequentia probatur. Ablata hac evidentia non dicitur quis scire, sed vel credere, vel opinari, ergo indicium est hanc esse de essentia scientiæ.

Ita Christophorus Gilli 1. p. lib. 1. tract. 4. c. 6. nu. 9. P. Molina 1. p. q. 1. ar. 2. disp. 2. Vasquez 1. p. disput. 4. PP. Conimbri. lib. 2. c. 26. q. 1. ar. 3 N. Blanch di su curata sect. 1. Hurtadus citatus §. 13. & cæteriter auctores.

Collige primo, Scripturam & sanctos Patres, quando appellant Theologiam scientiam, loqui improprie propter similitudinem maiorem cum scientia, quam cum alia virtute: Theologia enim assimilatur scientiæ, in hoc quod est deducere cõclusionem certam ex principijs certis, absolute tamen non est nuncupanda scientia, sed virtus altioris ordinis, sicut nec fides divina intelligentia, tametsi tendat in principia.

1. *Topic. c. 1.* Collige secundo, Aristotelem cum docet sciẽtiam esse ex principijs per se notis, vel ex eis, quæ per alia fidem susceperunt, nomine fidei intelligere firmũ assensum, non vero actum credẽdi propter alienam authoritatẽ: quia libro primo Posteriorum capite secundo, differens etiam de notitia tum conclusionis, tũ primorum principiorum, quæ ait esse per se nota, subiungit, vocabulum credendi.

DVBIVM VII.

An habitus scientiæ consistat in collectione specierũ, & an distinguatur ab habitu intelligentiæ.

Circa primam partẽ dubij sit prima conclusio. Habitus sciẽtię est habitus quidam particularis, distinctus ab speciebus intelligibilibus simul collectis. In primis certum est, habitum scientiæ discriminari ab speciebus expressis, quia his destructis, adhuc manet in intellectu. Probatur deinde primo discrepare ab speciebus expressis, ex D. Thoma asserente habitus intellectuales acquiri per actus intellectus, atqui species intelligibiles non fiunt per actus intellectus, sed ante illos iam præsupponuntur, cum sint causæ efficientes ipsorum actuũ, & producantur ab intellectu agente, & phantasmate, ergo habitus scientiæ est qualitas posterior speciebus intelligibilib⁹ impressis ab illis realiter distincta. Secundo, quia nullis novis speciebus acquisitis, sed sola actuum repetitione circa assensum conclusionis experitur intellectus maiorem facilitatem, quam postea quam varias istas species, quas adversarij ponunt comparavit: ergo facilitas vel habitus ille non sunt species simul collectæ. 1. 1. q. 51. ar. 1. & 3.

Confirmatur. Habitus, ut vidimus, non sunt necessarij in potentijs ad simpliciter operandum, sed solum ad facilius operandum: sed species impressæ sunt necessariæ in intellectu ad simpliciter operandum, ergo, &c.

Circa secundam partem dubij sit secunda conclusio. Habitus intelligentię realiter distinguitur ab habitu scientiæ. Et probatur authoritate Aristotelis, qui numerans virtutes mentis, ponit intelligentiam, & scientiam tanquam habitus distinctos. Secundo probatur à priori, quia habitus intelligentiæ inclinat ad assentiẽdum principijs propter immediatam connexionẽ terminorum cum uno tertio, ergo distinguuntur illi habitus realiter. Antecedens constat ex ipsa definitione horũ habituũ. *Ita cõmuniter Philosophi.* 6. *Ethi. c. 3.*

Con-

Consequentia patet, quia habitus intelligentię inclinat ad assensum sine medio, & discursu, habitus scientiæ propter medium, & discursum, ergo cum ista obiecta formalia realiter distinguantur, distinguętur etiam habitus, quos specificant. Confirmatur primo, quia actus specie distincti producunt habitus specie distinctos, sed actus intelligentiæ, & actus scientię distinguuntur specie, ergo producent habit⁹ sibi similes, videlicet specie distinctos. Confirmatur secũdo, quia potest quis sentire summam facilitatem ad actus intelligentię, & summam difficultatem ad actus scientiæ, ergo realiter distinguentur habitus inclinantes in similes actus, alioqui id numquam eveniret, cum esset habitus unus & idem.

Obijcies primo. Idem habitus sufficit ut assentiamur Deo revelanti mysteriũ aliquod, & propter ipsum mysterio revelato, ergo idẽ etiã habitus sufficiet ad assentiendum præmissis, & conclusioni propter ipsas præmissas. Respondeo negando consequentiam. Ratio enim discriminis est clara: quia ibi in illis actibus obiectum formale est unũ, & idemꝑat in istis est distinctũ, quia ratio formalis fidei est semper divina authoritas, contrarium autem evenit in habitibus scientiæ, & intelligentiæ, ut declaratum est in conclusione.

Obijcies secundo. Eodem modo se habet intentio finis in voluntate respectu electionis medij, sicut cognitio principiorũ in intellectu respectu conclusionis: atqui ad intentionem finis, & electionem mediorum datur tantum unicus habitus, ergo etiam ad cognitionem prœmissarum, & cõclusionis propter prœmissas dabitur tantum unicus habitus. Respondeo, dato antecedente, quod est dubium, nego consequentiam. Ratio discriminis est, quia illi actus sunt mutuo dependentes, ita ut intentio sit volitio efficax finis per media, & electio volitio efficax mediorum propter finem, at intelligentia & scięntia non sunt mutuo dependentes, quia licet scięntia sit assensus conclusionis propter præmissas, intelligentia tamen non est assensus præmissarum propter conclusionem, sed propter seipsas: quia intelligentia in hoc tantum differt à scientia, quia est sine medio, & non discursiva.

DVBIVM VIII.

Quæ res possint esse subiectũ scientiæ partialis.

OBserva, subiectum scientię esse illud proprie, de quo habetur scientia, quod solet esse subiectum in conclusionę; non autem hic loquimur de subiecto inhæsionis, quod est intellectus.

De ente reali universali perspicuũ est apud omnes dari posse scientiam, imo scientiæ esse dicuntur de rebus universalibus.

Dico primo. De individuo potest dari scientia, qua demonstretur proprietas communis, vel particularis, si cognoscatur. Prima pars patet: quia risibile potest ostẽdi de Petro per essentiam specificam. Secunda ostenditur

ditur. Non minus essentia individualis est causa proprietatis individuæ, quam specifica proprietas communis, ergo sicut proprietas specifica demonstrari valet per speciem, ita individua per individuum. Tum quia de Deo ostendimus à posteriori aliqua attributa, scilicet existētiam, potentiam, sapiētiam, &c. & tametsi individua corrumpi cernantur, hoc tamen est quoad existentiam, non quoad essentiam: dicitur autem sciētia esse universalium, quia hæc frequentius, & certius notiora sunt.

Dico secundo. De ente reali per accidens potest dari sciēria. Probatur hoc dilemmate. Vel ens per accidens est causa alicuius proprietatis, vel non. Si primum, ergo poterit per illam demonstrari, ad eum modum quo Logica demonstrat demonstrationem, syllogismum probabilem, &c. & Polytica Rempublicam, & Militaris exercitum, & sic de alijs, quæ omnia sunt entia per accidēs, & faciunt unum unitate ordinis, vel aggregationis. Si secundum, ergo saltem potest de illo demonstrari esse unum per accidēs, tanquam per causam, quia constat ex rebus physice completis sine unione physica, aut diversorum prædicamentorum.

Ita P. Fons. to. 4. Meta. cap. 1. sect. 3

Dico tertio. De ente privativo, negativo, & rationis potest dari sciētia. De ente privativo, & negativo, probatur primo, ex Aristotele, qui in Physicis multa de privatione, negatione, & vacuo probat. Secundo, quia potest effici hæc demonstratio: Carentia formæ in subiecto apto opponitur privative tali formæ, sed cæcitas est carentia visionis in oculo subiecto apto ad illam, ergo ei formæ opponitur privative, & hæc alia in negatione: Omne non ens opponitur enti contradictorie; negatio hominis est non ens, ergo, &c. De ente Rationis patet, quia de illo potest demonstrari, quod in sui existētia pendeat ab actuali cognitione intellectus necessario, quod possit concipi, & intelligi à Deo, & Angelo, quod fingatur ad similitudinem entis realis, quod illi repugnet realis existentia, &c. ergo potest de illo dari scientia.

DVBIVM IX.

De obiecto scientiæ partialis.

OBiectum formale Quod, est illud, quod attingitur directe per actum; & obiectum formale sub Quo, est ratio formalis sub qua obiectum formale Quod, attingitur. Hoc posito

Censeo primo. Obiectum formale Quod scientiæ, est connexio prædicati cum subiecto conclusionis obiectivæ. Suadetur, quia scientia est cognitio iudicativa, sed omne iudicium fertur in connexionem attributi cum subiecto, ergo & scientia. Confirmatur, quia obiectum formale Quod intelligentiæ, est cō nexio extremorum principij, ergo & scientiæ connexio extremorum conclusionis: unde fit ut quælibet connexio prædicati cum subiecto prędicationis, tā directe, quam indirecte demonstratione demonstrabilis possit esse

esse obiectũ formale Quod scię-tiæ. Quæres hic, An possit esse obiectũ formale Quod scię tiæ connexio, quæ datur inter subiectum, & prædicatum in prædicatione, quæ neque est directa, neque indirecta. Ante solutionem præmoneo, nos dixisse dubio ultimo tractatus secundi iterum tractaturos de similibus prædicationibus, & distulisse in hunc locum, quod fuit tantum ad impugnanda medias prædicationes inter directas, & indirectas. Nunquam enim mihi placuit similis opinio, quia censeo omnem prædicationem, vel esse directam, vel indirectam, hoc unico tãtum medio: quia in hac prędicatione, v.g. Album est dulce, vel album sumitur materialiter tantum, hoc est secundum subiectum albedinis; vel formaliter, hoc est secundum formam tantum, nempe albedinem. Si primum, Prædicatio est directa, ut per se patet: quia idem est dicere, Album est dulce, ac dicere, subiectum habẽs albedinem est subiectum habens dulcedinem: v.g. in lacte idem est dicere, Album est dulce, ac dicere, lac est dulce. Si secundum, est disparata, & falsa: quia dicere Album est dulce, in lacte v. g. non est dicere, albedo est subiectum habens dulcedinem: quia de forma in abstracto nullum concretum prædicatur. Atque hinc patet solutio ad quęsitum, cũ nulla detur prædicatio, quæ non sit directa, vel indirecta.

Censeo secundo. Obiectum formale sub Quo, sunt principia. Probatur primo ex Aristote le dicente, scientias distingui propter principia. Secũdo, quia obiectum formale sub Quo scię tiæ, est illud propter quod actus scientificus fertur in obiectum: sic enim obiectum formale sub Quo fidei divinæ, est divina authoritas, quia propter eam intellectus assentitur mysterio revelato, & bonitas divina est etiam formale obiectum actus charitatis, quia propter illam fertur voluntas in Deum: sed actus scientificus fertur in conclusionem obiectivam, id est in connexionem attributi cũ subiecto propter principia, ergo erũt obiectum formale sub Quo illi. Minor probatur, quia ideo intellectus in conclusione assentitur connexioni inter duo extrema, quia cognovit in præmissis connexionem utriusque cum uno tertio, ergo propter principia, uti rationem formalem extrinsecam assentitur.

Lib. 1. c. 23.

Maior difficultas est, an veritas intrinseca conclusionis, seu connexio utriusque extremi sit etiam obiectũ formale sub Quo, & ratio movens intellectum.

Censeo tertio. Veritas intrinseca conclusionis obiective, seu connexio prædicati & subiecti inter se non est obiectum formale sub Quo inadæquatum scientiæ, sed tantum terminus. Probatur primo. Si motivum actus conclusionis essent præmissę, & veritas ipsius conclusionis, ille actus simul esset intelligentia, & scientia, ergo nequit habere duplex motivum. Antecedens probatur. Scientia attingit obiectum propter aliud, intelligẽtia vero propter se, sed ille actus quatenus niteretur motivo præmissarum, attingeret conclusionem propter aliud, quatenus vero niteretur motivo veritatis conclusionis, attingeret propter

se, ergo. Prima pars minoris cōstat. Secunda probatur, quia attingi propter se, est rem ipsam esse motivum, vel motivum nō esse aliquid distinctum á veritate rei, quæ cognoscitur, sed illius actus motivum prout nititur propria veritate conclusionis, non est aliquid distinctum, sed ipsa conclusionis veritas, ergo attingitur propter seipsam. Confirmatur primo. Amor finis est propter se, quia motivum est eius bonitas, quæ respectiva est mediorum. Deus etiam propter se amatur, quando amor nititur ipsa Dei bonitate, ergo etiam quādo motivum intellectus est ipsa veritas conclusionis, quæ cognoscitur, erit actus ille propter se, atque adeo intelligētia. Confirmatur secundo. Idem actus Angeli, & Dei est intelligētia, & scientia, quia attingit effectum, v.g. propter eius veritatem, & propter causam, sed eodem pacto attingitur conclusio ex adversariorū mente, ergo simul est intelligētia & sciētia.

Secundo probatur dictum. Actus cōclusionis prout nititur motivo ipsius veritatis conclusionis, est immediatus, ergo est intelligentia. Antecedens probatur: tum quia ut sic non habet medium. Quodnam enim illud est? tum quia ille actus est immediatus, cuius motivum est ipse terminus, qui cognoscitur, vel qui non habet motivum distinctum á veritate cognita, sed motivum actus conclusionis ut sic est ipsa veritas conclusionis, quæ cognoscitur, ergo actus ille est immediatus ut sic. Maior ostendi potest evidenter in omnibus actibus immediatis principiorum.

Occurres. Hanc veritatem conclusionis esse dependentē à præmissis, & respectivam præmissarum; nec posse cognosci, quin attingantur terminative præmissæ á quibus pendet, sicque non est immediata. Cæterum id nō officit cognitioni immediatę, & intelligentiæ. Primo, quia tametsi attingātur terminative præmissæ, non tamen ut sic sunt eius actus motivum, ergo est immediatus actus. Secundo, Deus, & Angeli intelligentiam habēt de effectu, & tamen ille actus necessario terminatur ad causam tanquam ad terminum respectus transcendētalis, quem habet effectus ad causam, & idem est de veritate cuiuscunque effectus, quæ essentialiter dependet à causa vel ut à termino, ergo etiā licet actus conclusionis attingat præmissas tanquam terminum á quo dependet conclusio, erit actus intelligentię. Tertio, etiam causa cognosci nequit quidditative, & per actum intelligentiæ, quin cognitio terminetur ad effectum tanquam ad terminum, quem essentialiter veritas causæ intuetur, & tamen causa ut sic cognosci valet per intelligentiam, ergo idem erit in conclusione. Vltimo, quia etiam veritas accidentis est essentialiter dependens à substantia, (ut adversariorum utar exemplo) & tamen accidens cognosci potest actu intelligentię, qui ad substantiam terminatur, ergo etiam licet actus conclusionis attingat terminative præmissas, poterit esse intelligentia.

Instabis. Veritatem conclusionis esse dependem à præmissis obiectivis veluti terminis cognitis. Neque id obstat intelligē-

tiæ.

tiæ. Primo, quia hæc sæpe supponit experientiam tanquã conditionem tantum, non tanquam motivum, ergo etiam potest supponere præmissas cognitas tanquam terminos. Secundo, in nobis cognitio substantiæ pendet semper ab accidente prius cognito, & tamen cognoscitur substantia actu intelligentiæ, quia præsupponitur accidens cognitum tanquam terminus, non ut motivum, ergo idem erit in præsenti. Tertio, Deus, & Angeli simul cognoscunt causam & effectum, & unum in ordine ad aliud necessario, & tamẽ habent illorum intelligentiam, ergo etiam actus conclusionis attingẽs immediatam connexionem extremorum, & extrinsece præmissas veluti terminos, erit actus intelligentiæ.

Contrariam sententiam nonnulli recentiores amplectuntur, quam videtur innuere Vasquez, qui existimant in conclusione reperiri propriam veritatem intrinsecam dependentem à præmissis, quę veritas est etiam obiectum motivum assensus conclusionis, per cognitionem autem eius veritatis solum attingi præmissas terminative, sicut per cognitionem accidentis attingitur substantia, à qua dependet, & quam respicit transcendentaliter. Probant primo. Eodẽ modo se habent conclusio ad principia, ac medium ad finem, sed ratio amandi medium est bonitas ipsa intrinseca existẽs in ipso medio, licet relata ad ipsum finem, ergo eodem modo ratio intrinseca formalis assentiendi conclusioni erit veritas existens in conclusione, tametsi relata ad præmissas. In primis negari potest minor, cum communiore sententia, asserente rationem amandi medium esse finem. Deinceps admissa minore, nego consequentiam. Ratio est, quia medium, ut medium, non postulat amari mediate, id est propter aliud motivum mediũ, differt enim ab amore finis, quia iste amari potest propter se, id est sine ordine ad aliud acquirendum; at medium ut sic amari debet propter aliud, non quod aliud sit motivum amandi, sed quia ordinatur ad illud, & ex se est utile illi comparando: scientia autem & intelligentia discrepant, quod intelligentia percipiat res immediate in se, id est sine motivo alio; & scientia percipiat res mediate, id est ratione alterius tamquam motivi. Vnde conclusio debet attingere proprium obiectum per alienum motivum, quia debet attingere mediate.

1.2. disp. 1. c. 2. & expressius disp. 33 cap. 4. in solutione ad primum.

Secundo, motivum totale cõclusionis est veritas prçmissarũ, ergo actus intelligentiæ, & conclusionis non differunt specie. Patet consequentia, quia actus solum specie differunt ad distinctionem obiectorũ formalium, & motivorum, ergo si idem est motivum principijs, & conclusioni, idem etiam specie erit actus. Confirmatur. Ideo enim actus fidei, quo credo divinam authoritatem revelantem propter se, & obiectum revelatum propter authoritatem divinam, non differunt specie, quia idem est motivum, scilicet authoritas divina: similiter amor Dei propter se, & proximi propter Deũ; adoratio etiam exemplaris, & imaginis propter exemplar, ergo neque cognitio principiorũ

propter se, & conclusionis propter principia. Respondeo, actus intelligentiæ & scientiæ esse specie distinctos propter diversum modum attingendi obiectum, scilicet propter se, ac sine respectu ad aliud, & propter aliud. Idem dicendum censeo ad confirmationem de fide, amore, & adoratione: nam tametsi eadem bonitas Dei sit, qua amatur Deus propter se, & proximus propter Deum, est tamen diverso modo accepta bonitas, ideoque specificat distinctos actus, idem est de fide, & adoratione. Retorqueo autem argumentum: nam aliquando veritas præmissarum, & conclusionis est tantum numero distincta, cum scilicet obiecta numerice tantum differunt, & tamen actus intelligentiæ & scientiæ sunt distincti propter diversum modum attingendi, ergo etiam semper propter istum diversum modū attingendi erunt actus intelligentiæ & scientiæ specie discreti.

Tertio. Conclusio ex se habet posse deduci ex præmissis, ergo ex se est cognoscibilis dependenter à præmissis, ergo habet veritatem propriam à præmissis deductam. Respondeo, conclusionē ex se deduci posse ex præmissis tanquam ex motivo, & ideo eius veritatem eas respicere tanquam motivum integrum, sicut in fide, & in amore.

✠

DVBIVM X.

De scientia practica, & speculativa.

HIC tantum attingemus, quæ reliquimus in Proœmialibus, videlicet, an idē actus possit esse simul practicus & speculativus. Pro quo diluendo

Sit Assertio. In nobis idem actus scientiæ potest esse practicus, & speculativus. Probatur, quia actus iudicij vel enuntiationis simplicis potest esse simul practicus, & speculativus; ergo & actus conclusionis. Antecedens probatur, quia in hac enuntiatione, Virtus est bona, & amanda, per modum unius potest per unum actum apprehendi, & affirmari de virtute connexio utriusque prædicati: quæ namque hic monstrabitur implicatio! Cōfirmatur, quia varia individua & subiecta possunt per modum unius, & confuse, uno actu apprehendi, & uno actu subijci prædicato: ut cum intellectus asserit, Omnis homo est animal, ergo & multiplex prædicatum simili ratione poterit apprehendi, & affirmari de suo subiecto.

Dices, ex hoc sequi, eundem actum indivisibilem pertinere ad duas scientias totales: quod videtur absurdum. Sequela suadetur hac demonstratione. Qui infinitus est, est bonus, & amandus; Deus est infinitus, ergo Deus est bonus, & amandus. In qua conclusio est metaphysica, nam Deus est bonus, ad Metaphysicam spectat. Est etiam Ethica; nam

nam Deus est amandus, scientia moralis est. Idem liquet in demonstratione, cuius hæc est cõclusio: diffinitio est qualitas exprimens essentiam, & constans genere, & differentia: nam qualitas exprimés essentiam de diffinitione, probatur per scientiam de anima; constans vero genere, & differentia per Logicam. Respondeo, admittendam sequelam, nec in illa cernitur aliqua contradictio, cum simpliciter non tollat diversitatem scientiarum inter se.

Hinc fit, eundem habitum indivisibilem scientiæ posse esse simul practicum & speculativum; nam actus pure practicus generat habitum pure practicum, & actus pure speculativus habitũ pure speculativum, ergo actus simul practicus & speculativus producet habitum speculativum simul & practicum.

DVBIVM XI.

An sit una totalis scientia ponenda.

COnclusio est affirmans, varias esse scientias adæquate distinctas. Probatur primo ex Aristotele distinguente Metaphysicam ab omnibus aliis scientijs. Secundo, quia omnes habitus voluntatis componunt varias virtutes, ergo omnes habitus scientiæ component varias scientias. Antecedens per se notum est, quia virtus Temperantiæ adæquate distinguitur à virtute Iustitiæ; & istæ duæ à Fortitudine, & sic de alijs, ergo &c. Consequentia non minus liquet, quia sicut se habent habitus voluntatis in ordine ad voluntatem, ita habitus intellectus in ordine ad intellectum: atqui habitus illi constituunt in voluntate virtutes varias, ergo Confirmatur, quia si omnis habitus arithmeticæ inter se connectantur, nullam habent connexionem cum Medicinę habitibus, ergo constituent varias scientias.

4. Meta. in initio.

Obijcies, ideo omnia entia naturalia in communi opinione pertinent ad unam scientiam naturalem, videlicet Philosophiam, quia continetur sub una ratione communi entis naturalis, sed omnia obiecta partialia conveniunt in ratione scibilis communi, & solum distinguitur in ratione talia scibilis, aut specifice, aut numerice; ergo omnia ad unam scientiam pertinebunt. Consequentia patet: nam quamvis Deus & Angelus differant essentialiter per proprias rationes, non tamen constituunt diversas metaphysicas adæquate distinctas, ergo obiecta scibilia particularia quamvis differant essentialiter, non constituent diversas scientias adæquatas, sed quæ sint partes unius scientiæ totalis Metaphysicæ. Respondeo negando consequentiam. Ad probationem concesso antecedente, nego consequentiam. Quia Deus & Angeli conveniunt in ratione quadam entis abstrahentis à materia, & ideo pertinent ad unam scientiam metaphysicã, & omnia alia obiecta conveniũt in alia ratione magis determinata, sub qua sciatur, ut in ratione entis naturalis, aut corporis substantialis,

ſub quibus rationibus ſciuntur, & ut ſic ſunt extra terminos Metaphyſicæ, nimirum in rebus artificialibus maxime oſtenditur ratio quædam determinata, & particularis.

Diſputant hic aliqui, An ſcié tia totalis ſit una ſimplex qualitas. Nos conſulto omiſimus hanc quæſtionem, cum ſatis liqueat quid ſentiendũ ſit de quavis ſcientia totali, ex his, quę docuimus de Logica diſputatione tertia Proœmialium dubio primo.

DVBIVM XII.

De requiſitis ad ſubalternationem ſcientiarum.

Diuidunt Dialectici ſcientiam in ſubalternantem, & ſubalternatam: quare operepretium duximus utriuſque tractationẽ lucubrationibus noſtris attexere.

Pono primo, ſubalternationẽ ſignificare ſubordinationem inter ſcientias totales iuxta Philoſophorum impoſitionem: quare concluſio non dicetur proprie ſubalternari præmiſſis.

Pono ſecundo. Vnam ſcientiam pendere poſſe ab alia, vel ratione finis, quãdo finis unius ſcientiæ dirigitur ad finem alterius, quo pacto ars equeſtris ad militarem artem dirigitur, eique ſubordinatur; vel ratione ſubiecti, vel obiecti, quando obiectum unius cõtinetur ſub obiecto alterius, quo pacto ſubiecta omnium ſcientiarum ſubalternantur aliquo pacto Metaphyſicæ; vel ratione principiorum, quando principia unius ſciẽtiæ ſunt concluſiones in alia demõſtratæ. Hac ratione ſubditur Philoſophię Medicina, niſi ſit illius pars, de quo in Proœmialibus Phyſicorum.

Concluſio prima. Dependentia in principijs neceſſaria eſt ad ſubalternationem. Probatur, quia ſubalternatio eſt dependentia unius ſcientiæ ab alia in ratione ſciẽtiæ, & in certitudine, & evidentia, ſed hæc deſumitur ex principijs, ergo dependentia in principijs eſt ad ſubalternationem neceſſaria: quare ſi una ſcientia deſumat tanquam principia concluſiones plurium ſciẽtiarum, pluribus ſcientijs ſubalternabitur.

Concluſio ſecunda. Subalternatio exigit, ut ſubiectum ſubalternatæ ſciẽtiæ contineatur ſub ſubiecto ſubalternantis. Ratio eſt, quia totum eſſe ſcientiæ eſt in ordine ad ſubiectũ, ergo dependentia unius ſcientię ab alia conſtare nequit, quin ſubiectum unius contineatur ſub ſubiecto alterius, etenim ex dependẽtia, & ſubordinatione ſubiectorum petitur dependentia, ac ſubordinatio inter ipſas ſcientias.

Concluſio tertia. Subiectum ſcientiæ ſubalternatæ addere debet differentiam accidentalẽ ſubiecto ſubalternantis, quæ nõ ſit ſubiecti ſubalternantis proprietas, & cum illo conſtituat unum per accidens. Ratio eſt, quia illa differentia, quæ additur, eſt ſubiectum alterius ſcientiæ, hoc autem eſſe non poſſet, ſi eſſet proprietas, vel differentia eſſentialis ſubiecti ſcientiæ ſubalternantis, ergo eſſe debet differentia accidentalis. Probatur minor. Ad eandem ſciẽtiam ſpe-

ſpectant attingere ſubiectum, & eius proprietatem, ac ſpecies, ut conuenit inter omnes, ergo ut differentia addita ſubiecto ſcientiæ ſubalternantis pertineat ad ſubalternatam tãquam eius ſubiectum, nec proprietas, nec differentia eſſentialis ſubiecti ſubalternantis conſtituens unam ſpeciem inferiorem illius obiecti totalis eſſe debet, ſed prorſus accidentalis; ideo Muſica ſubalternatur Arithmeticę, quia ſubiectum muſicæ eſt ſonorum, & hoc eſt differentia pure accidentaria numero, qui eſt obiectum Arithmeticæ.

Ex dictis conſtat quid ſit ſubalternatio, eſt enim dependentia unius ſcientiæ in eſſe ſcientiæ ab alia.

1. de demonſtratione ca. 10. Quæres, quid ſibi voluerit Ariſtot. cum dixit, ſubalternantem ſcire propter quid, ſubalternatam vero, quia. Reſpondeo, duntaxat voluiſſe ſubalternantem tradere principia ſubalternatę tanquam cauſas concluſionum, & ſubalternatam ea principia à poſteriori cognoſcere.

DVBIVM XIII.

Vtrum ſubalternata ſcientia poſſit eſſe ſcientia ſine ſubalternante.

Concluſio prima. Scientia ſubalternata non indiget immediata dependentia à ſubalternante in ſuis omnibus concluſionibus. Etenim poſtquã demonſtratæ ſunt aliquę concluſiones per principia mutuata, poſſunt illæ concluſiones aſſumi tanquam principia ad elicien das alias concluſiones. Tunc ergo ſubalternata non indiget immediata dependentia à ſubalternante.

Concluſio ſecunda. Sæpe ſcientia ſubalternata depẽdet à ſubalternante immediate: nam ſæpe concluſiones ſubalternatæ immediate probantur per principia à ſubalternante deſumpta. Exemplũ gratia. Ars chirurgica immediate pendet à Geometrica ad probandum à priori vulnus rotũdum difficilius curari: debet enim deſumere ex Geometria iſta principia: Vulnus cuius latera difficilius coniunguntur, difficilius curantur, ſed latera vulneris rotundi difficilius coniunguntur, ergo difficilius curatur vulnus rotundum.

Concluſio tertia. Scientia ſubalternata à poſteriori poteſt ſine ſubalternante obtineri. Ratio eſt, quia poteſt ſua principia, vel experientia, vel à poſteriori evidẽter noſſere, & ex illis ſua deducere cõcluſiones, abſque eo quod nitatur principijs à ſubalternante demonſtratis, ſed aliàs experientia, vel à poſteriori notis, ergo dari poteſt ſcientia ſubalternata ſine ſubalternante: quare tunc talis ſcientia formaliter non eſt ſubalternata, ſed materialiter, quia tunc formaliter non ſubordinatur ſubalternanti, ſed poteſt ſubordinari, ſi velit ſua principia à priori oſtendere, vel uſque ad prima principia deducere.

DVBIVM XIIII.

Vtrum Logica subalternetur alijs scientijs, vel Logicæ aliæ subalternentur.

Disp. 1. Metaphys. §. 8.

Conclusio prima cõtra Hurtadum. Logica non subalternatur omnibus scientijs. Probatur, nam obiectum Logicę non addit accidentalem differentiam super obiecta omnium scientiarum, neque Logica suas conclusiones probat per principia ab omnibus scientijs desumpta, sed hæc duo ad subalternationem requiruntur, ergo proprie non subalternatur alijs omnibus scientijs.

Dices. Logica habet modum differendi etiam obiectivum, ergo attingit etiam omnia obiecta aliarum scientiarum ut demonstrabilia, vel intelligibilia in rectum differendi modum, ergo addit differentiam accidentalem. Nego antecedens, nam, ut vidimus in Proœmialibus, actus intellectus ut directi, & dirigibiles, sunt adæquatum obiectum Logicæ, non vero eorum obiecta.

Conclusio secunda. Logica subalternatur Philosophiæ, illiquę de anima agit. Ratio est, tũ quia obiectum Logicę addit differentiam accidentalem, id est, dirigibilitatem, & directionem in modum rectum differẽdi obiecto illius Philosophiæ, id est nudis actibus intellectus: tum etiam quia ut Logica demõstret demonstrationem constare ex propositionibus certis, & evidentibus, necesse est ex Philosophia sciat quid sit propositio certa, & evidens.

Conclusio tertia contra Suarez. Logica propriæ subalternatur Metaphysicæ, nam Logica habet obiectum addens differẽtiam accidentariam obiecto Metaphysicę, & per principia à Metaphysica emendicata suas probat conclusiones, ergo Logica Metaphysicę subalternatur. Probatur prima pars antecedentis, nam Metaphysica considerat actus intellectus quatenus sunt affectiones Angelicæ mentis, & animæ separatæ, & Logica considerat illos ut dirigibiles in rectum modum differendi. Secunda pars probatur, quia prima principia metaphysica deserviunt ad probandas conclusiones uniuscuiusque scientiæ, saltem plures, & consequenter deservient Logicæ ad suas conclusiones probandas, deducendo illas usque ad prima principia metaphysica. *Disp. 1. Metaphys. sect. 1. §. 50.*

Conclusio quarta. Nulla scientia subalternatur Logicæ, nam nulla scientia considerat actus intellectus dirigibiles, vel directos in rectum differendi modũ ut subtractos alicui differentię accidentariæ. Item principia Logica non deserviunt ad probandas conclusiones aliarum scientiarum, ut erit considerãti perspicuum, ergo nulla scientia subalternatur Logicæ.

Rogabis, An Logica sit dignitate superior, vel inferior alijs scientijs.

Dico primo. Logica inferior est Metaphysica, & Philosophia naturali. Patet, nam scientiæ perfectio & nobilitas sumitur ex obiecto, sed obiectum Metaphysi-

physicę, & Philosophiæ est substantia ut sic, Logicæ vero accidens, quo nobilior est substantia, ergo Logica nobilitate vincitur à Metaphysica, & Philosophia.

Dico secundo. Logica præstantior est Philosophia Morali, Mathematicis, & mechanicis artibus. Probatur, quia obiectum moralis Philosophiæ sunt actus voluntatis, Mathematicæ, & mechanicæ circa quantitatem versantur diverso modo, sed actus intellectus actibus voluntatis & quantitati dignitate antecellunt, ergo Logica est nobilior, & præstantior.

Quod ad ordinem attinet cursim dico rite tradi Logicam post humaniores facultates, quia hæ non ita pendent à Logica, & ex alio capite sermonem dirigunt, quo logici conceptus pandendi sunt. Recte autem precedit Metaphysicam, & Philosophiam, præmunit enim illis viam, difficiliora subministrans instrumenta disserendi, sine quibus non æque facilis ad eas patesceret aditus.

DVBIVM XV.

De Sapientia, Prudentia, & Arte.

OMnia quę Philosophi longis tractatibus discutiunt, hic paucis complectar, ne nimietas fastidium potius quã studium pariat. Circa primum pono, Sapientiam definiri, Cognitionem rerum altissimarum per causas supremas, ex Aristotele,

1. *Met. c. 2.*

Dico primo. Sapientia est virtus mentis. Patet ex Aristotele, & probatur, quia inclinat in assensum obiecti per altissimas causas, cum incapacitate erroris, ergo est virtus mentis. 6. *Ethicorũ.*

Dico secundo. In sapientia datur habitus intelligentiæ, tum etiam scientiæ, seu conclusionis. Probatur, quia circa obiectum perfectissimum, & altissimum dari potest assensus propter immediatam terminorum connexionem inter se, ergo & intelligentiæ actus, qui & habitum circa materiam, & obiectum sapientiæ proprium generavit. Secundo etiam ostenditur, quia ex his principijs intelligentię circa altissimas res, & per causas supremas possunt deduci conclusiones scientificæ, ergo istę generabunt habitum sapientiæ, qui sit scientiæ, vel conclusionis.

Dico tertio. Ratio sapientiæ ex se communis est ad notitias practicas & speculativas. Patet per se, quia intra terminos obiecti sapientiæ per altissimas rationes potest constitui cognitio inclinans ad opus, & cognitio sistens in sola contemplatione veritatis, ergo est communis ex se ad practicas, & speculativas notitias.

Circa secundum pono. Prudentiam sic definiri ab Aristotele, Est habitus verus; vel ut alii recentiores volunt, cum vera ratione circa bona humana activus. Pono etiam esse virtutẽ mentis, iuxta dicta supra de sapientia (idemque sit dictum de arte, ne iterum & sępius ista repetamus.) 6. *Ethi. c. 5.*

Dico primo. In materia prudẽtiæ datur intelligentia, & con-

cluſio. Probatur, quia iudicium inclinans in obiectum morale iuxta regulas rationis faciendum, aliquando eſt immediatũ ſine diſcurſu, ut Deus eſt amandus; aliquando eſt mediatum, id eſt cum diſcurſu, ergo, &c.

Dico ſecundo. Prudentia eſt virtus practica. Perſe patet, quia verſatur circa actus humanos, & illos dirigit dictans hoc vel illud bonum, inſpectis omnibus circunſtantijs, hic & nunc eſſe faciendum, ergo erit practica.

Hinc collige, non inde ſequi non dari habitus prudẽtiæ ſpeculativos, quia habitus, quo iudicatur opus eſſe iuxta regulas rationis factum, ſpeculativus eſt, quia nihil dictat de opere.

Circa tertium, dico primo. Ars verſatur circa univerſalia, quia ars domificandi verſatur circa domum in communi, tradendo regulas, per quas ſit facienda domus ut ſic; at iſtæ regulę non applicantur in exercitio, niſi operi ſingulari. Quis nãque dicat poſſe in executione fieri domum in communi, cum certo conſtet apud omnes non dari univerſum à parte rei?

Dico ſecundo. Ars vere eſt ſcientia practica, & ſpecies ſciẽtiæ in communi. Prima pars manifeſta eſt, cum dirigat ad opus. Secunda etiam fiet ſic manifeſta, quia in arte ſunt multæ demonſtrationes, in quibus concluſio evidenter infertur: v. g. in ædificio lapides graviores eſſe ponendos in inferiori loco, leviores in ſuperiori, ut omnia procedant ſecundum rectam naturæ normam: quod patet hac demonſtratione: Omne grave debet poni in inferiori loco, atqui lapides magni ſunt graves, ergo debent poni in inferiori loco. Idem poteſt probari à contrario de rebus levibus.

Dico tertio. Habitus artis non concurrit immediate ad opus artificiale. Hoc dictum à nemine arbitror poſſe negari, quia habitus artis ſolum concurrit ad opus dirigendo potentiam, atqui dirigit illam media cognitione actuali, ergo non concurrit immediate ad opus quod regulatur.

Collige primo. Arté non concurrere efficiẽter phyſice ad opus artificioſum, ſed tantum dirigendo, & regulando, quia cognitio intellectus non concurrit phyſice ad actum voluntatis, ſed tantum dirigendo voluntatem, & proponendo illi obiectum: vnde à fortiori id erit dicendum de opere artificioſo.

Hinc collige ſecundo. Opus eſſe regulatum tantum eſſe extrinſecam denominationem; ſicut dici ſolet idem de actibus intellectus, & nos tenuimus etiam ſupra in Proœmialibus diſputatione prima, dubio quinto, concluſione quinta.

Dico tertio. In arte datur duplex habitus, unus intelligentiæ circa principia, & alter ſciẽtiæ circa concluſiones. Patet ex dictis in hoc dubio de Prudentia, & Sapientia.

DVBIVM XVI.

De opinione.

PRima concluſio. Opinio actualis definitur: Aſſenſus alicui obiecto determinatus ob motivum incertum & intrinſecum

cum cum formidine opposito. Assensus est genus, reliqua habent vicem differentiæ. Dicitur determinatus, ut differat à dubitatione, per quam animus hæret in medio, in neutram partem se determinans. Dicitur ob motivum incertum, & intrinsecum, ut distinguatur à fide, quæ habet motivum incertum, & extrinsecum, videlicet authoritatem dicentis. Denique subiungitur cum formidine, ut excludatur actus virtutis, qui formidinem non habet, cum sit penitus certus.

Secunda conclusio. Formido positiva formalis est de essentia opinionis, non vero negativa. Prima pars probatur. Scientia & opinio habent contrarias essentias: quia sicut scientia est actus certus, & infallibilis, sic è contrario opinio est actus incertus, & fallibilis: sed de essentia scientiæ est certitudo positiva formalis, & intrinseca, ergo de essentia opinionis erit formido intrinseca, & formalis. Secunda pars probatur: quia illa formido negativa est negatio certitudinis, ergo nō potest esse de essentia opinionis, quæ est actus positivus. Vnde erit proprietas inseparabilis, quia cum ille actus sit essentialiter fallibilis, habet inseparabiliter adiunctam carentiam certitudinis.

Tertia conclusio. Opinio potest dividi in immediatam, & mediatam tanquā genus in suas species. Prima pars probatur, quia opinio immediata est assensus probabili principio ex connexione terminorum intrinseca probabili sine discursu; opinio mediata est assensus cū discursu, quia est conclusio deducta, vel ex altero, vel duplici principio probabili: sed dantur principia multa probabilia, quæ sic se habeant, ergo, &c. Minor probatur hoc syllogismo, in quo maior propositio continet opinionem immediatam, & conclusio mediatam: v.g. Omnis mater diligit filium suum, hæc est mater, ergo diligit filiū suum. Secunda pars probatur ex dictis supra de scientia, & intelligentia, quia sicut istę differunt specie, quia una est mediata, & altera immediata, ita hæ duæ.

Ita Rub. tra. 8. q. 5. dist. 1

Colligo duo. Primum, opinionem, sive mediatam, sive immediatam posse esse practicam, & speculativam.

Secundum, habitualem opinionem esse habitum inclinantem in assensum determinatum ob motivum incertum intrinsecum cum formidine partis oppositæ.

DVBIVM XVII.

De fide naturali.

SVppono, Actum fidei naturalis esse assensum determinatum alicui obiecto propter authoritatem creaturæ intelligentis, cum formidine partis oppositæ. Quę definitio est essentialis. Per verba, Propter authoritatem, distinguitur ab opinione, quæ est assensus propter connexionem intrinsecam probabilem, sive mediatam, sive immediatam, illa alia creaturæ intelligentis à fide supernaturali, & divina, quæ est assensus propter increatam Dei authoritatem, cætera ex dictis dubio prędeti liquent.

Dicendum primo. Ratio formalis specifi-ãs actum fidei est authoritas dicentis. Probatur, quia cuilibet rei suam debemus designare essentiam; atqui nihil apparet in fide, per quod distinguatur à scientia & opinione, nisi authoritas dicentis, ergo, &c. Confirmatur, quia quo maior est authoritas dicentis, firmius illi assentimur, ergo signum est nos tantum per authoritatem adhibere fidem dicenti.

Dicendum secundo. Authoritas ista consistit in veracitate, & sapientia proxima dicentis, non in radicali. Probatur prima pars, quia ideo movetur intellectus ad assentiendum alicuius dicto, quia existimatur verax, ergo authoritas in ista consistit veracitate. Confirmatur etiam confirmatione primę conclusionis. Secũda pars probatur, quia veracitas & sapientia radicalis nihil aliud est, quam ipsa natura intelligens, prout capax veracitatis & sapientiæ proximæ, sive actualis, sive habitualis: sed ratio movens est proxima veracitas intelligentis, & sapiẽtia, non natura ipsius, quia natura ista capax veracitatis, & sapientiæ, etiam est in rustico, cui nullus adhibet fidem, ergo authoritas in proxima, non in radicali veracitate consistit.

Dicendum tertio. Obiectum formale fidei est authoritas obscure revelans obiectum, hoc est non patefaciens clare. Hæc conclusio notissima est: quia scientia in hoc distinguitur à fide, quod illa evidenter, & clare monstrat obiectum, hæc obscure, ergo, &c.

Ex dictis constat contra Durandum, opinionem, & fidem discriminari essentialiter, quia utraque fertur in medium essentialiter distinctum, Opinio quidem propter intrinsecam termi norum connexionẽ solum probabilem, Fides vero propter authoritatem extrinsecam, nõ attingendo intrinsecam terminorum connexionem.

Quæres, quid sit suspicio, & quomodo distinguatur à fide, & opinione. Respondeo, suspicionem esse actum intellectus, quo coniectura probabili opinamur hoc, aut illud ita esse: vnde non differt essentialiter à fide naturali, aut opinione mediata, quia vel motivum suspicionis est alicuius dictum, vel probabile signum. Si primum, erit fides, cum nitatur authoritate. Si secundũ, erit opinio mediata, quia est assensus cum formidine, cum nitatur medio, nẽpe propter hoc, vel illud signum.

DVB. VLTIMVM.

Num possint esse simul scientia, opinio, & fides, de obiecto eodem in eodem intellectu.

CIrca opinionem dico primo. Opinio, quæ habet formidinem extrinsecam adiunctam, qua iudicatur obiectum posse aliter evenire, nõ potest esse simul naturaliter cum scientia de eodem obiecto. Probatur conclusio, quia si hoc esset verum, sequeretur inde duas contradictorias posse simul esse veras. Sequela probatur, quia per scientiam ita assentitur intelle-

Quæst. 1. Prolo. distinct. 11.

tellectus obiecto alicui, ut evidenter iudicet positis his circũstantijs rem non posse aliter evenire; atqui per opinionem dictam iudicaret intellectus posse hic, & nunc obiectum aliter evenire, ergo darentur duæ contradictoriæ simul veræ.

Dico secundo. Actus opinionis sine formidine potest esse cum scientia de eodem obiecto. Pro hac conclusione sufficiat authoritas unius, D. Thom. cõtra omnẽ Thomistarum catherva, qui sic habet. *Opinio ex syllogismo dialectico causata est via ad scientiam, quæ per demonstrationem adquiritur, quæ tandem adquisita, remanere potest cognitio, quæ est per syllogismum dialecticum, quasi consequens scientiam demonstrativam.* Quid clarius? Offundat nunc Caietanus solitas suarum distinctionum tenebras, istis enim clarescet potius. Secundo probatur. Si aliquid obstaret, maxime oppositio aliqua, quæ inde sequeretur, hoc est falsum, ergo. Maior probatur ipsorum adversariorum argumento, nihil enim aliud obijciunt. Minor probatur, quia hic non datur oppositio relativa, quia utraque sunt absoluta; non privativa, aut contradictoria, quia utraque sunt positiva, vel affirmative, vel negativa, ut supponimus; neque contraria, nam verum vero non opponitur; sed opinio probabilis de obiecto vero est certa, ergo &c. Tantum ergo est oppositio disparata, quæ non excludit ipsos ab eodem subiecto.

3. p. q. 9. ar. 3. ad 2.

Respondebis, oppositionem oriri primo ex obscuritate opinionis, secundo ex incertitudine ipsius. Sed primum sic impugno, & ponamus cum Durando Hominem sic assentiri medio probabili, & eius conclusioni, ut ei omnia videantur evidentia; tunc necessario assentitur præmissis, & conclusioni. Deinde manentibus ijsdem assensibus, proponatur medium aliud demonstrativum de obiecto eodem, tunc melius assentietur: atqui iste homo habebit duos assensus, scientiæ, & opinionis, quis enim destruet alium, aut quomodo cum uterque sit affirmativus, vel negativus, ergo. Secundum sic infringo. Ita se habent quoad certitudinem, & incertitudinem, Fides divina & humana, sicut opinio & scientia, atqui duplex illa fides sæpe sepius est in eodem subiecto, ergo & scientia, & opinio. Maior probatur, quia sicut alterius fidei medium est falsibile, ita alterius prorsus infallibile. q. 1. Prolog.

Obijcies primo. Lux & tenebræ nõ possunt esse simul in eodem subiecto, atqui scientia est lux, opinio tenebræ, ergo &c. Respondeo esse hic ingentem æquivocationem, quia lux & tenebræ sunt contraria, ista non sunt contraria, quia opinio etiã est lux intellectus, licet nõ tam clara, quam scientia; at lux parva, non pugnat cum luce maiori.

Obijcies secundo. Duo actus contrarij nequeunt esse in eodem subiecto, atqui scientia & opinio sunt cõtrarij actus, quia scientia est actus clarus & certus, opinio obscurus & incertus, ergo. Sed iam est dilutum hoc argumentum solutione primi: falso enim supponit minor,

nor, esse istos actus contrarios, quod nunquam probabitur.

Circa fidem eodem modo est philosophandum: quia si fides humana habet adiunctam formidinem extrinsecam, posse scilicet obiectum aliter evenire, repugnat cum scientia propter argumenta primæ conclusionis.

An scientia & fides divina possint esse simul, Theologis discutiendum relinquo. Nunc interim oculos, mentemque convertamus ad Deum hominem, Almamque Virginem Carmeli dominam ab omni originali lue illitâ, eiusque gratis gratulemur mentibus, ut idem faustum, fœlixque lumen, quod nobis huc usque illuxit, fœlicius posthac illucescat.

Omnia sint dicta sub correctione sacrosanctæ Matris Ecclesiæ, necnon grauissimorum Doctorum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX TRACTATVVM, CAPITVM, DISputationum, & Dubiorum, quæ in hoc opere clauduntur.

TRACTATVS PRIMVS, De natura, & essentia Logicæ in communi.

Disputatio prima, obiectũ Dialecticę investigatur.

DVBIVM primum. Quodnam sit obiectum materiale Dialecticæ. 3

Dubium 2. Vtrum conceptus, obiectivi, aut modus differendi externus pertineat ad obiectum Dialecticæ. 5

Dubium 3. Quænam operationes intellectus sint à Logica regulabiles. 9

Dubium 4. Quodnam sit obiectum formale Logicæ. 11

Dubium 5. Quid tandem sit prædicta dirigibilitas, aut directio actualis. 15

Dubium ultimum. Satis fit non levibus obiectionibus contra doctrinam dubij præcedentis. 18

Disputatio II. De essentia, & divisione habitus Logicæ.

DVbium primum. Analogia sit virtus mentis. 21

Dubium 2. Qualis virtus mentis sit Logica. 22

Dubium 3. An Logica sit scientia practica, vel speculativa. 24

Dubium 4. Aliqua contra superiorem doctrinam obiectantur, & diluuntur. 25

Dubium 5. De divisione Logicæ, in docentem, & utentem. 26

Disputatio III. De Logica secundum se, & in ordine ad alias scientias.

DVbium primum. An Logica ex multiplici qualitate componatur. 28

Dubium 2. Quodnam sit subiectum istorum habituum receptivum. 30

Dubium

Dubium 3. Aliqua prænoto ad quæstionem de necessitate Logicæ enodandam. 31
Dubium 4. Logicam non esse simpliciter necessariam, efficaciter ostenditur. 32
Dubium 5. Aliter roboratur sententia eadem, contrariæque partis argumenta apponuntur, & enervantur. 34
Dubium ultimum. An Logica supernaturalis sit necessaria ad modos differendi supernaturales regulandos. 36

TRACTATVS SECVNDVS, In Porphyrianam Isagogem, sive de ente rationis, universalibus, & prædicabilibus.

Introductio ad introductionem Porphyrianam, sive Disputatio prima de ente rationis.

Dubium primum. Detur ne ens rationis. 39
Dubium 2. De essentia, & existentia entis rationis. 41
Dubium 3. Communis divisio entis rationis in relationem, privationem, & negationem expenditur. 42
Dubium 4. An divisio entis rationis in supra dicta membra adæquata, & sufficiens sit. 45
Dubium 5. Quænam sit causa efficiens entis rationis. 47
Dubium 6. An Deus cognoscat, & efformet entia rationis. 48
Dubium ultimum. De secundis intentionibus Logicis. 50

Disputatio II. De universo in communi.

Dubium primum. Detur ne universum, & quotuplex sit. 51
Dubium 2. Quid sit universum. 52
Dubium 3. Verum, & quam distincta sint prædicata universalia à suis singularibus, vel inferioribus. 54
Dubium 4. Verum à parte rei detur unitas formalis, & in quo consistat. 57
Dubium 5. An naturæ secundum se conveniat aliqua unitas præcisionis. 58
Dubium 6. Nonnullæ difficultates obvie proponuntur, & explicantur. 60
Dubium 7 Quænam unitas ad naturam universam requiratur. 61
Dubium 8. Præcipuis rationibus ostenditur non esse formaliter universam ante intellectus operationem. 63

Dubium 9. Per quem intellectum, & per quam ipsius cognitionē fiat universum. 65
Dubium 10. Ad quam operationem intellectus pertineat cognitio informativa universi formalis. 68
Dubium 11. Per quid constituatur essentialiter universum Metaphysicum. 69
Dubium 12. Per quem intellectum, & per quam cognitionem abstractivam fiat universum Metaphysicum. 71
Dubium 13. Vtrum præter universum Logicum relativum, & Metaphysicum, sit admittenda alia species universi Logici. 73

Explanatio capitis primi de Genere. 75
Disputatio prima de Genere.

Dvbium primum. An genus exacte definiatur à Porphyrio. 76
Dubium 2. An generis definitio sit descriptiva. 77
Dubium 3. Quodnam sit definitum in definitione generis adducta a Porphyrio. 78
Dubium 4. Quid habeat locum generis in adducta generis definitione. 80
Dubium 5. An genus ita respiciat plures species, ut in una non possit conservari. 82
Dubium 6. An natura generica prædicetur de speciebus ut pars, vel ut totum. 84
Dubium 7. Itur obviam argumentis quibusdam contra superiorem doctrinam. 87
Dubium 8. Qua ratione genus prædicetur de individuis. 88
Dubium 9. An dentur individua generis ei immediate subiecta. 91
Dubium 10. In quo adversariorum argumenta proponuntur, & enodantur. 92
Dubium vltimum. Quæ naturæ possint affici relatione generis. 93.
Caput secundum, de specie. 95

Disputatio quarta, investigatur speciei atque individui natura.

Dvbium primum. An natura specifica componatur ex genere, & differentia. 96
Dubium 2 Quid sit species subijcibilis. 97
Dubium 3. An species subijcibilis ut sic, sit universalis. 99
Dubium 4. Quid sit species prædicabilis, & an sit cum subijcibili connexa. 100
Dubium 5. An natura multiplicabilis, in plura individua possit esse species prædicabilis. 101
Dubium 6 Quid sit individuum. 105
Dubium 7. Quotuplex sit individuum prædicabile. 106

Dubium 8. An directe, & formaliter individuum prædicetur. 108
Dubium 9. de individuo vago. 110
Caput tertium, de differentia. 112

Disputatio V. De natura & distinctione differentiæ.

Dubium primum. An divisio differentiæ in communem, propriam, & maxime propriam sit perfecta, & adæquata. 112
Dubium 2. Sit ne univoca, vel analoga prædicta divisio. 114
Dubium 3. In quo reliquæ differentiæ divisiones à Porphyrio traditæ, ad expositam revocantur. 116
Dubium 4. Natura, & varia munera differentiæ essentialis exponuntur. 117
Dubium 5. An differentia inferior includat differentiam superiorem, & genus. 119
Dubium 6. An differentia essentialis sit simplex, vel cómposita. 122
Dubium 7. Quid sit differentia, ut est tertia vox prædicabilis. 123
Dubium vltimum. Respectu quorum differentia sit universalis, & quomodo de inferioribus prædicetur. 125

Explicatio Capitis quarti de proprio. 127

Disputatio VI. de proprio.

Dubium primum. Quid sit proprium. 128
Dubium 2. Quodnam proprium constituat quartum prædicabile. 129
Dubium vltimum. In quo de natura proprij aliquæ difficultates exagitantur. 130

Explanatio Capitis quinti de accidenti. 132

Disputatio ultima de accidente.

Dubium primum. An prima accidentis definitio à Porphyrio tradita sit optima, & quomodo sit intelligenda. 133
Dubium 2. Quæ inferiora habeat accidens, ut universale. 136
Dubium 3. Quænam exsistentia requiratur in accidenti, & subiecto ad hoc quintum prædicabile. 138
Dubium 4. An universale sit genus ad quinque universalia. 141
Dubium 5. Solvuntur aliqua argumenta doctrinæ superiori adversantia. 141
Dubium 6. An Vniversale sit genus immediatum ad quinque universalia. 143
Dubium 7. An universalia recte ponantur quinque. 145

Dubium 8. Satis fit argumentis adversariorum. 147
Dubium 9. Vnde sumantur genus, & differentia. 149
Dubium ultimum. De prædicationibus concretorum, & abstractorum. 150

TRACTATVS TERTIVS,

De Anteprædicamētis, prædicamētis, & post prædicamentis.

Caput primum, de æquivocis, univocis, & denominativis. 156
Caput secundum, de complexis, & incomplexis. 170
Caput tertium, de regulis. 177

Disputatio prima, de ante prædicamentis.

DVbium primum. An æquivoca Arist. probe definierit. 161
Dubium 2. Quot sint species æquivocorum, & an in conceptibus, & vocibus inveniantur æquivoca. 162
Dubium 3. De univocis, seu synonymis. 163
Dubium 4. de Paronymis, seu Denominativis. 164
Dubium 5. Quid & quotuplex sit analogum. 166
Dubium 6. Analoga Physica, & Metaphysica referuntur. 168
Dubium 7. de Analogis attrit 169
Dubium 8. de analogis proportionis. 171
Dubium ultimum, de analogis transcendentiæ. 173
Caput quartum, de decem prædicamentis. 175

Disputatio II. De Prædicamētis in communi, & de divisione entis in decem prædicamenta.

DVbium primum. Quid sit prædicamentum, & quę eius materia, & forma. 175
Dubium 2. Quænam entia collocentur in categorijs. 177
Dubium 3. An quæ in prædicamento ponuntur, esse debeant abstracta, vel concreta. 178
Dubium 4. Quid sit ens, & an habeat unum conceptum formalē. 181
Dubium 5. Detur ne unus conceptus obiectivus entis. 183
Dubium 6. Num ens habeat unum conceptum obiectivum ad intrinsecum, & extrinsecum. 187
Dubium 7. An sit admittendus unus conceptus obiectivus entis physice completi. 188

Dubium 8. Num conceptus obiectivus entis, sit præcisus à differentijs inferiorum. 190
Dubium ultimum. An conceptus obiectivus entis, sit univocus, vel analogus. 191
Caput quintum, de substantia. 195

Disputatio III. De essentia & partitione substãtiæ.

Dvbium primum, de quidditate substantiæ. 199
Dubium 2. Num substantia prædicamentalis sit completa, vel incompleta. 202
Dubium 3. de partitione substantiæ in primam, & secundã. 204
Dubium 4. An sit ista divisio univoca, vel analoga. 205
Dubium 5. Quid sit prima substantia. 206
Dubium 6. Quid sit secunda substantia. 208
Dubium 7. An Deus locum habeat in prædicamento substãtiæ. 209
Dubium 8. An Christus dominus locetur in hoc prædicamẽto. 212
Dubium 9. An Angeli, & cœli collocẽtur in hoc prædicamẽto. 214
Dub. 10. An partes essẽtiales Physicæ ponãtur in prædicamẽto. 215
Dubium 11. An partes integrantes, similares, & dissimilares locẽtur per se in prædicamento. 216
Dubium ultimum. An partes Metaphysicæ sedem habeãt in prædicamento substantiæ, & de serie illius. 220

Disputatio IIII. De accidenti in communi.

Dvbium 1. Quæ sit essentia accidentis in communi. 222
Dubium ultimum. An divisio accidentis in nouẽ genera, sit mediata, vel immediata, univoca, vel analoga. 225
Caput sextum, de quantitate. 226

Disputatio V. de quantitate continua, & discreta.

Dvbium 1. Variæ sententiæ de essentia quantitatis oppugnantur. 228
Dubium 2. An quantitas det partes substantiæ. 230
Dubium 3. Quænam extensio sit essentia quantitatis. 233
Dubium 4. An quantitas realiter differat à substantia, materiali, & qualitatibus eius. 238
Dubium 5. de passionibus quantitatis. 241
Dubium 6. Num linea, superficies, & corpus, sint species quantitatis completæ. 243
Dubium 7. Num superficies propriam claudat longitudinem, & corpus longitudinem, & latitudinem. 247
Dubium 8. Num locus, & pondus locum habeant inter species quantitatis. 248
Dub 9. An motus & tempus sint species quantitatis continuæ. 250
Dub. 10. Quid numerus, & an sit species quantitatis discretæ. 25
Dubiũ 11. Quid oratio, & an sit species quantitatis discretæ. 256

Dubium 12. de serie huius prædicamenti. 258
Caput septimum, de relatione. 261

Disputatio VI. de relatione.

Dubium primum. Quid & quotuplex sit relatio. 261
Dubium 2. Discrimina inter prædicamentalem, & transcendẽtalem relationem. 263
Dubium 3. Definitio relationis prædicamentalis enodatur. 266
Dubium 4. An relatio discrepet à fundamẽto, & termino, & quo modo. 267
Dubium 5. Obiectiones expediuntur. 280
Dubium 6. Nonnullæ difficultates de fundamento, & termino relationis elucidantur. 276
Dubium 7. An substantia possit esse fundamentum proximum relationis. 279
Dubium 8. An una relatio possit esse fundamentum alterius. 280
Dubiũ 9. Quot relationũ genera ex fundamentis deducantur. 282
Dubium 10. Difficultates aliquæ enodantur de primo relationum genere in unitate & multitudine fundato. 284
Dubium 11. De secundo relationum genere in potentia activa, vel passiva fundato. 288
Dubium 12. De tertio relationum genere fundato in mẽsurabili, & mensura. 290
Dubium 13. An terminus relationis prædicamentalis, sit absolutus, vel relativus. 294
Dubium 14. A quo relatio suam sumat speciem. 299
Dubium 15. Vnde capiatur distinctio relationum numerica. 320
Dubiũ ulti. De serie & proprietatibus huius prædicamenti. 303
Caput octavum, de qualitate. 304

Disputatio VII. de natura, speciebus, & proprietatibus qualitatis.

Dubium primum de essentia qualitatis. 308
Dubium 2. Divisio qualitatis Aristotelica expenditur. 311
Dubium 3. De patibili qualitate, & passione. 313
Dubium 4. De forma & figura. 315
Dubium 5. De potentia, & impotentia. 317
Dubium 6. De habitu & dispositione. 321
Dubium 7. De distinctione specierum qualitatis inter se. 324
Dubium ultimum, de proprietatibus, & serie qualitatis. 325
Caput nonum, de sex ultimis prædicamentis. 327

Disputatio VIII. de sex vltimis prædicamentis.

Dubium primum. Actionis essentia. 327
Dub. 2. Quænam actiones in hoc prædicamẽto sedẽ habeãt. 329
Dubium 3. De essentia passionis. 329

Dubium 8. Num conceptus obiectivus entis, sit præcisus à differentijs inferiorum. 190
Dubium ultimum. An conceptus obiectivus entis, sit univocus, vel analogus. 191
Caput quintum, de substantia. 195

Disputatio III. De essentia & partitione substãtiæ.

Dubium primum, de quidditate substantiæ. 199
Dubium 2. Num substantia prædicamentalis sit completa, vel incompleta. 202
Dubium 3. de partitione substantiæ in primam, & secundã. 204
Dubium 4. An sit ista divisio univoca, vel analoga. 205
Dubium 5. Quid sit prima substantia. 206
Dubium 6. Quid sit secunda substantia. 208
Dubium 7. An Deus locum habeat in prædicamento substãtiæ. 209
Dubium 8. An Christus dominus locetur in hoc prædicamẽto. 212
Dubium 9. An Angeli, & cœli collocẽtur in hoc prædicamẽto. 214
Dub. 10. An partes essẽtiales Physicę ponãtur in prædicamẽto. 215
Dubium 11. An partes integrantes, similares, & dissimilares locẽtur per se in prædicamento. 216
Dubium ultimum. An partes Metaphysicæ sedem habeãt in prædicamento substantiæ, & de serie illius. 220

Disputatio IIII. De accidenti in communi.

Dubium 1. Quæ sit essentia accidentis in communi. 222
Dubium ultimum. An divisio accidentis in nouẽ genera, sit mediata, vel immediata, univoca, vel analoga. 225
Caput sextum, de quantitate. 226

Disputatio V. de quantitate continua, & discreta.

Dubium 1. Variæ sententiæ de essentia quantitatis oppugnantur. 228
Dubium 2. An quantitas det partes substantiæ. 230
Dubium 3. Quænam extensio sit essentia quantitatis. 233
Dubium 4. An quantitas realiter differat à substantia, materiali, & qualitatibus eius. 238
Dubium 5. de passionibus quantitatis. 241
Dubium 6. Num linea, superficies, & corpus, sint species quantitatis completæ. 243
Dubium 7. Num superficies propriam claudat longitudinem, & corpus longitudinem, & latitudinem. 247
Dubium 8. Num locus, & pondus locum habeant inter species quantitatis. 248
Dub 9. An motus & tempus sint species quantitatis continuę. 250
Dub. 10. Quid numerus, & an sit species quantitatis discretæ. 25
Dubiũ 11. Quid oratio, & an sit species quantitatis discretæ. 256

Dubium 12. de serie huius prædicamenti. 258
Caput septimum, de relatione. 261

Disputatio VI. de relatione.

Dubium primum. Quid & quotuplex sit relatio. 261
Dubium 2. Discrimina inter prædicamentalem, & transcendentalem relationem. 263
Dubium 3. Definitio relationis prædicamentalis enodatur. 266
Dubium 4. An relatio discrepet à fundamento, & termino, & quo modo. 267
Dubium 5. Obiectiones expediuntur. 280
Dubium 6. Nonnullæ difficultates de fundamento, & termino relationis elucidantur. 276
Dubium 7. An substantia possit esse fundamentum proximum relationis. 279
Dubium 8. An una relatio possit esse fundamentum alterius. 280
Dubium 9. Quot relationum genera ex fundamentis deducantur. 281
Dubium 10. Difficultates aliquæ enodantur de primo relationum genere in unitate & multitudine fundato. 284
Dubium 11. De secundo relationum genere in potentia activa, vel passiva fundato. 288
Dubium 12. De tertio relationum genere fundato in mensurabili, & mensura. 290
Dubium 13. An terminus relationis prædicamentalis, sit absolutus, vel relativus. 294
Dubium 14. A quo relatio suam sumat speciem. 299
Dubium 15. Vnde capiatur distinctio relationum numerica. 320
Dubium ultimum. De serie & proprietatibus huius prædicamenti. 303
Caput octavum, de qualitate. 304

Disputatio VII. de natura, speciebus, & proprietatibus qualitatis.

Dubium primum de essentia qualitatis. 308
Dubium 2. Divisio qualitatis Aristotelica expenditur. 311
Dubium 3. De patibili qualitate, & passione. 313
Dubium 4. De forma & figura. 315
Dubium 5. De potentia, & impotentia. 317
Dubium 6. De habitu & dispositione. 321
Dubium 7. De distinctione specierum qualitatis inter se. 324
Dubium ultimum, de proprietatibus, & serie qualitatis. 325
Caput nonum, de sex ultimis prædicamentis. 327

Disputatio VIII. de sex vltimis prædicamentis.

Dubium primum. Actionis essentia. 327
Dub. 2. Quenam actiones in hoc prædicamento sedem habeat. 329
Dubium 3. De essentia passionis. 329

Dub 4. An actio, & passio inter se realiter discrepent. 334
Dubium 5. An actio eductiva, & passio ratione distent. 336
Dubium 6. de Vbi, seu præsentia. 340
Dubium 7. de quando, seu duratione. 342
Dubium 8. de situ. 344
Dubum 9. de habitu, seu habere. 346
Caput 10. de oppositis. 348
Caput 11. de modis prioris. 351
Caput 12. de modis simul. Ibid.
Caput 13. de speciebus motus. Ibid.
Caput 14. de modis habere. 352

Disputatio ulti. de postpredicamentis,

Dvbium primum. Quid & quotuplex oppositio. 353
Dubium 2. de oppositione relativa, & contraria. 354
Dubium ult. de privativa & contradictoria oppositione. 355

TRACTATVS QVARTVS,

In duos libros Aristotelis de Interprætatione,

Liber primus de Interpretatione.

Caput primum, de signis. 358
Caput secundum, de nomine. 359
Caput tertium, de verbo. 360
Caput quartum, de oratione. Ibidem,
Caput quintú, de speciebus oppositarum enuntiationum. 361
Caput sextum, de futuris contingentibus. 362

Liber secundus, de Interpretatione.

Caput primum, de Enuntiatione infinita. 364
Caput secundum, de Enuntiatione una, & multiplici. Ibidem,
Caput tertium, de Enuntiationibus modalibus. 366
Caput quartum, in quo quandam quæstionem dissolvit Arist. 366

Disputatio unica, de Enuntiatione.

Dvbium primum. An enuntiatio sit una simplex qualitas. 367
Dubium 2. Declarantur aliquæ enuntiationis divisiones. 371
Dubium 3. Quid sit veritas enuntiationis formalis. 372
Dub. 4. An veritas reperiatur in omnibus operationb⁹ intel. 374
Dub. 5. An eadem enúntiatio transire possit de vera in fallam. 377
Dubium 6. An propositiones de futuro contingenti habeant determinatam veritatem, vel Falsitatem. 379
Dub. ultimú, adversariorú argumenta proponuntur, & diluuntur, 383

TRACTATVS QVINTVS

In duos libros Aristotelis, de priori resolutione. Disputatio unica, in duos libros de syllogismo, vel priori resolutione.

Dvbium primum. Argumentationem adęquate dividi in syllogismum, & enthymema ostenditur. 386
Dubium 2. An solus syllogismus sit argumentatio formaliter. 387
Dubium 3. Quid sit syllogismus. 389
Dubiũ 4. Quibus partibus confletur essentialiter syllogismus. 392
Dub. 5. Quomodo imitetur conclusio debiliorem prȩmissam. 393
Dubium ultimum. Divisiones syllogismi explicantur. 396

TRACTATVS VLTIMVS,

Ad geminos Aristotelis libros de posteriori Analysi, seu de demonstratione.

Caput primum, de præcognitis. 399

Disputatio I. de præcognitis, seu notitijs prævijs demonstrationis.

Dvbium primum. An & quid sit de subiecto prænoscendũ. 401
Dubium 2. Quid prænoscendum de prædicato, medio, prȩmissis, & illatione. 401
Caput secundum, de scientia, demonstratione, & principijs. 403
Caput tertiũ, in quo duo Philosophorum errores evelluntur. 405

Disputatio II. de principijs demonstrationis.

Dvbiũ 1. An & quomodo prȩmissȩ sint causa conclusionis. 406
Dub. 2. Nũ conclusio exigat actualẽ prȩmissarũ existentiã. 408
Dub. 3. Nũ simul tẽpore cognoscantur principia, & conclusio. 410
Dubium 4. Necessitas assentiendi conclusioni. 412
Dubium 5. Quid sit propositio per se nota. 415
Dub. 6. An demonstratio exigat præmissas per se notas. 417
Dub. 7. Num demonstrationis præmissæ, veræ, certæ, & evidentes esse debeant. 418
Dub. 8. An præmissæ veriores, certiores, & evidentiores sint conclusione. 410
Dub. 9 Expẽditur illud axioma, Propter quod unumquodque est tale, &c. 414
Dub. 10. An præmissæ sint notiores conclusione. 415
Caput quartum, de modis dicendi per se. 416
Dub. 11. An præmissæ esse debeant necessariæ, & de prædicato de omni. 417
Dubiũ 12. An prȩmissȩ demonstrationis sint propositiones per se, & secundum quod ipsum. 418
Dubium ultimum. An principia possint esse propositiones de singulis-

gularibus, corruptibilibus, & contingentibus. 430

Disputatio III. De essentia & partitione demonstrationis.

Dubium primum. Quid sit, quotuplex sit demonstratio. 433
Dubium 2. Quid sit, & quotuplex demonstratio propter quid. 433
Dubium 3. De demonstratione quia. 434
Dubium ultimum. An demonstratio circulum admittat. 435

Disputatio ultima, de scientia, & alijs virtutibus mentis.

Dubium primum. Quid & quotuplex sit virtus mentis. 436
Dubium 2. An sit ponendus habitus intelligentiæ circa principia. 436
Dubium 3. An, & quomodo intelligentia nitatur experientia, & inductione. 440
Dubium 4. An habitus intelligentiæ sit multiplex specie. 442
Dubium 5. Quid sit scientia. 443
Dubium 6. An veritas, certitudo, & evidentia sint de essentia scientiæ. 444
Dubium 7. An habitus scientiæ consistat in collectione specierum, [illegible] 446
Dubium 8. Quæ res possint esse subiectum scientiæ partialis 447
Dubium 10. De scientia practica, & speculativa. 453
Dubium 11. An sit una totalis scientia ponenda. 453
Dubium 12. de requisitis ad subalternationem scientiarum. 454
Dubium 13. Vtrum subalternata scientia possit esse scientia sine subalternante. 455
Dubium 14. Vtrum Logica subalternetur alijs scientijs, vel Logicæ aliæ subalternentur. 456
Dubium 15. de Sapientia, prudentia, & arte. 457
Dubium 16. de opinione. 458
Dubium 17. de fide naturali. 459
Dubium ultimum. Num possint esse simul scientia, opinio, & fides de obiecto eodem in eodem intellectu. 460

FINIS.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

Liber quartus. De affectionibus & passionibus demonstrationis.

Liber quintus. De scientia, & actibus virtutibus scientiæ.

R.
FINE

Digitized by Google

A. PANDIMIGLIO
RESTAURO
DI
LIBRI - ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google